ENARRATIONES IN SACROSANCTVM Iesu Christi Euangelium secundum Ioannem, ad sensum literalem, historicum, & mysticum, immistis multis sermonibus moralibus non contemnendis.

AVTHORE MAGISTRO MICHAELE DE PALACIO, Granatensi, Philosopho, atq; Theologo clarissimo, Ecclesiæq; Ciuitatensis à sacris concionibus, & Philosophiæ atq; Theologiæ in Salmanticensi Academia olim professore.

TOMVS SECVNDVS.



CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE,

Excudebat Ioannes Ferdinandus.

M. D. LXXXI.

Approbatio operis.

HAS enarrationes in nouem vltima capita Euangelij B. Ioannis à magistro Michaele de Palacio editas qua potui diligentia perlegi ex cõmissione Regij, ac supremi senatus, easque dignas iudicaui, quæ in lucem prodeant, quòd sanam doctrinam contineant & catholicæ fidei minimè repugnent, sed patrum & sanctorum doctrinæ maxime consentiant. Matriti in collegio Societatis Iesu pridie Kalen. Maij, Anni 1579.

Alfonsus à Montoya.

ENARRATIONES IN EVANGELIVM Beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ.

Autore M. Michaele de Palacio Granatensi, Ecclesiæq; Ciuitatẽ. à sacris concionibus.

ENARRATIO PRIMA, IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Super illis verbis, *Ante diem festum paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem.*



RAECE QVIdem habetur, Ante autem festum paschæ, vt sit continuatio huius capitis cum superiore. Verum dies festus, & festum idem sunt. Laurentius voluit interpretandum, Quod venit hora sua, & non eius, quia non licet nobis quod Græcis, verum refert nihil, siue sic, siue aliter interpreteris, quoniam sensus integer persistit. ¶Euangelista igitur mortis dominicæ mysteria enarraturus mirabili exordio rem aggreditur, dicens ante diem festum paschæ. Per festum verò paschale, subintellexit sabbatum, quod pascha vocabatur, quando incidebat, vt tunc incidit, sub diebus azymorum. Et quia dominus cœnauit nouissima cœna advesperum ferię quintæ, quæ tunc incidit. 14. luna. Et hæc vespera erat initium secundum legalẽ computationem feriæ sextæ, quia tunc incipiebat feria sexta in vespera illa feriæ. 5. idcirco ait Ioannes, dominum cœnasse ante diem festum paschæ. Quia quamuis re vera cœnauit feria. 5. & 14. luna computabatur tamen feria sexta, non secundum communem dierum, sed solum secũdum legalem computationem. Quia igitur feria. 6. illa erat ante festum pascha le sabbatinum, ideo ait Ioannes, ante diem festum paschæ. Nos de re hac in. 4. sententiarum. dist. 11. disputatione. 4. affatim disputauimus, quæ hũc vocare piget. Sufficiat dixisse modo, Euangelistas esse in hoc, vt in cæteris sibi concordes. Quippe alij Euangelistæ testantur dominum in festo paschali edisse agnum typicum, cœnando cum apostolis suis: Ioannes verò videtur illis refragari, dicens, ante diem festum paschæ, aut ante festum paschæ dominum cœnasse. At verò nullus est inter eos dissensus, siquidem alij Euangelistæ, vesperam diei. 14. hinę quando agnus comedebatur vocant pascha, at Ioannes festum paschæ, per antonomasiam sabbatum illud vocat, quippe quando incidebat intrà azymales dies, erat insigne festum. Et quia sabbatũ, & quia azymalis dies erat, ideo Ioannes infrà dicit, Erat magnus dies ille sabbati, ob cuius cultum deposuerunt corpora crucifixorum ad vesperum feriæ sextæ. Vnde sabbati festiuitas exordium capiebat. *Sciens Iesus.* Sciebat Iesus hanc horam quatenus Deus, antequam secula conderentur, quatenus autem homo, à cõceptu suo in vtero genitricis suæ Mariæ. *Venit hora*, hoc est tempus decretum à Deo suæ passioni. Non tamẽ hinc putes horas esse fatales, vt stultum credit

dit vulgus: fatũ enim nullũ est, cogẽs nos ad aliqua vel facienda, vel patiẽda. Cęte rũ à Deo tẽpora sunt decreta pro actionibus, vel passionibus. Neminem tamẽ cogit decretũ hoc, quia diuina præscientia, nõ detrahit rerũ cõtingentiã. *Vt transiret.* Iudæi pascha, omne deriuant a verbo פסח Pasah, ideſt transiuit, vnde Phase, ideſt trãsitus. Appellant autẽ pascha trãsitũ, Hebræi, vt quibusdam arridet, quia postquã comederunt agnũ illum typicũ in AEgypto, exiuerunt ex AEgypto & trãsierunt mare rubrũ. Vel rectius, quia angelus domini sub ea nocte, in qua Hebræi exierunt ab Egypto, trãsiuit limina domorũ Iudaicarũ, illa seruãs illæsa, percutiens tamẽ domos AEgyptiorũ, occidens illorũ primogenita. Exo. 12. Vbi habetur, Videbo sanguinẽ, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens. Et rursus, Comedetis festinantes, est enim Phase, ideſt, trãsitus domini. Et infrà. Et cum dixerint vobis filij vestri, Quæ est ista religio? dicetis eis. Victima transitus domini est, quãdo transiuit super domos filiorũ Israel in AEgypto. Vbi vides etiã ipsum agnũ paschalẽ vocari transitũ, quia sub victima agni fuit celebratus trãsitus angeli incolumes seruantis Iudæos suos, quando discurrebat per domos AEgyptiorũ. Quia autem Christus ab Apostolo vocatur pascha nostrũ. 1. Cor. 5. vnde ecclesia canit ex eodem accipiẽs, Pascha nostrum immolatus est Christus, ideò Christus quoq; est trãsitus noster. Quippe propter sanguinẽ eius, ex quo sumus deliniti per baptismum, diabolus transit nos, vel transilit nos, dimittens illęsos, & sæuit in AEgyptios, hoc est in infideles, quos captiuos tenet sub sua potestate.

Nullum est fatum cogẽs liberum arbitrium.

Pascha vel phase transitum significat.

Agnus typicus etiam dictus Phase. siue trãsitus.

¶ Rursus est transitus noster, quia per Christũ, transimus à peccato in iustificationẽ, & ab exilio huius mundi ad patriã cœlestẽ cõuolamus. Trãsiuit autẽ dominus à mortali vita, per crucẽ, ad immortalẽ & gloriosam vitã per resurrectionẽ: & hoc vocat Ioãnes, transire ex hoc mundo ad patrẽ. Quippe deposita mundi vita, quę erat tẽporalis vita, induit cœlestẽ vitã, quæ erat beata, & æterna vita. Quia quãuis Christus degens vitã mortalẽ secundũ animã fruebatur gloria filij Dei, nõ tamẽ secundum corpus: quã tamẽ superinducẽs per resurrectionis suæ potentiã, accepit etiã secundũ corpus, immortalẽ gloriã, vt qui iã beatã ex vnione hypostatica assecutus fuerat vitã, per crucẽ suam, beatum corpus quoq; possideret. Quod si ad morales sensus in animo est, nõ nihil eu agari: vtiq; mũdus hic, quẽ colimus, trãsitus quidã est, nõ enim est hic morãdũ, sed hinc est abeundũ: nõ est hic mundus terminus, ad quem, sed via per quã. Non habemus enim hic ciuitatẽ permanẽtem, ad Heb. 3. sed futurã inquirimus. Et rectè mundus hic transitus est, quia nihil habet stabile, nihil fixũ. Vnde 1. Corin. 7. Paulus, Præterit figura huius mũdi, dicens. Et aptissimè figurã mũdi præterire, dixit. Mũdus enim specie exteriori, nos decipit: nos inescat enim visibilibus bonis: nobis imponit voluptatibus suis. Siquidem quando valde gaudemus sanitate, morbus repentinus nos corripit, quando diuitijs & honoribus, repẽtina obruimur vel paupertate, vel cõtumelia. Et demũ statutũ est omnibus hominibus semel mori, quãdo omnia absumuntur. ¶ Cæterum Christus per hunc transitũ transiuit ad patrẽ, siquidem per sanguinẽ crucis suę, ex hoc mũdo transiuit ad gloriã Dei patris. Quã assecutus est in die resurrectionis suæ, surgens beatissimo corpore, & illã consummauit, in die Ascensionis in cœlũ, vbi super astra intulit corpus suum. Itidẽ, & qui Christi sunt, transeunt ex hoc mũdo ad patrem cœlestẽ, qui autem nõ sunt Christi transeunt quoque ex hoc mũdo ad patrẽ, nõ cœlestem tamẽ, sed infernalem diabolũ. Nã hic pater est imitatione, nõ creatione impiorum, testante veritate. Ioã. 8. Vos ex patre diabolo estis. Mundus ergo hic omnibus est trãsitus, at differẽter: bonis est transitus ad vitam æternam, malis ad mortẽ æternam: boni transeunt ex çrumnis huius seculi ad gaudiũ paradisi, mali ex voluptatibus huius seculi, ad tormenta gehennę sempiterna. Transiuit porrò Christus ad gloriam Dei patris obtinendã, per crucem. Vt Apostolus ad Heb. 3. meminit, dicẽs, Christus assistens pontifex futurorũ bonorũ per amplius, & perfectius tabernaculũ, ideſt, nõ huius creationis, neq; per sanguinẽ hircorum, aut vitulorũ, sed per propriũ sanguinem introiuit semel in sancta. Idem ad Phili. 2. Christus ergo cœlestis põtifex, introiuit

Moralis sensus.

Mundus hic est transitus & pijs & impijs.

in

in cœlestẽ illã habitationem, in qua ex hoc mũdo trãsiuit, sed per proprium sanguinẽ, per suãque crucẽ. Fidelibus item adest etiã transitus ad gloriã patris assequendã, at per crucẽ. ¶Crucis sunt enim primũ subeũda tormẽta, & negãda sunt mundi caduca blãdimẽta, si cupimus ex hoc mundo trãsire ad patrẽ cœlestẽ. Vnde Christus ait volẽti disciplinã eius profiteri, vt abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur eum. Luc. 9. ¶Tria sanè nobis imponit volentibus trãsire ex hoc mundo ad patrẽ, & abnegare praua desideria nostra, & tollere crucẽ nostrã. Nõ iubet suã, quia grauissima est, & nostras vires excedit, ipse mortuus est pro hominibus, hoc fuit crux eius, nõ hoc nobis imponitur: sed vt tollamus cruces nostras: Et tertio vt sequamur Christũ. Sũt qui praua sua desideria calcare sciunt, at verò paupertatẽ, contumeliã, aliaque seculi detrimẽta ferre nesciũt: isti abnegãt se, at non tollunt cruces suas, imo cruces tollunt eos. Quippequi labores eis à Deo immissos iniquo ferunt animo, franguntur illorũ tædio: ex impacietia blasphemãt. Sũt etiã, qui & abnegãt sua desideria, & detrimẽta seculi patienter tolerãt, at verò nõ sequuntur Christũ. Quia vel nõ habent fidẽ Christi, aut si habent, nõ se abnegant, non tollunt cruces suas ex amore Christi, sed ob alias causas. Qui verò sunt Christi, & transire cupiunt cũ Christo ad gloriã Dei patris, isti crucifixerunt carnẽ suã cum vicijs, & concupiscentijs, & hoc propter ipsum Christum.

Tria obseruanda vt trãseamus ex hoc mundo ad patrẽ cœlestem.

Vt transeat. Quomodo transiuit Christus ad patrẽ, dicet aliquis, qui semper erat cũ patre? Ego in patre, ait, & pater in me est, vtiq; nõ transiuit diuinitate ad patrẽ, cui est idẽ Deus, sed trãsiuit corpore, ferens corpus suũ ad cœlestẽ Hierusalẽ, ex terrena hac peregrinatione. ¶Porrò aptissimè dixit Ioannes, Vt trãsiret ex hoc mũdo ad patrẽ. Quippe transiens ad gloriã sibi cõgruentẽ Dei filio secundũ corpus, transibat ad patrẽ, secundũ eandẽ corporis gloriam. Quoniã pater filio suo Iesu Christo hanc resurrectionis dedit vberrimã gloriã, propter ignominiã mortis maximã, quam obediẽter sustinuit. *Cum dilexisset suos, qui erant in mũdo, in finẽ dilexit eos.* Instar se gessit, iã iã moriturus Christus, erga apostolos suos, eorũ quichariſsimos mox deserturi, varia & maxima, & incõsueta amoris signa demõstrant, vt recedẽtis amici memoria, ex insignibus amicitię notis, tunc ostẽsis, fortius infigatur, & diutius apud relictũ amicum perseueret. Nãque dominus, instãte iam morte sua, quãdo ad tẽpus, secundũ corporalẽ præsentiã erat deserturus discipulos suos, maiora dilectionis exhibuit symbola, quã vnquã illis exhibuerat. Quãdoquidem, quod ipse seflexerat ad lotionẽ discipulorũ pedũ, eximium erat dilectionis signũ, quòd scilicet dominus, & magister, seruulorũ & discipulorũ lauisset pedes. Præterea, quòd corpus, & sanguinem suũ illis in eduliũ & poculum exhibuerit, superat omne dilectionis signũ. Denique, ꝙ sermone diuino illos fuerit cõsolatus, & eosdem docuerit de diuina charitate, deque christiana pace inuicem seruãda, vt in processu patebit per multa cõsequẽtia capita, non fuit mediocre dilectionis signũ. Itaq;, & opere, & verbo, dominus demonstrauit, iã prope mortẽ suã, se suos discipulos egregiè diligere. Quocirca nõ subdenotat Euangelista, alios nisi Apostolos, cũ ait, Cũ dilexisset suos, qui erãt in mundo. Omnes nanq; sunt Christi, siue qui in hoc mũdo sunt, siue qui in alio, quãuis differenter. Sunt nanque Christi homines omnes per creationem, siue electi, siue reprobi: sunt tamen specialiùs Christi electi, quia hos possidebit Christus æternò: & ideo filij Dei appellãtur, & oues Christi. Vnde patriarchæ, & prophetæ, & iusti omnes, qui erãt in limbo, erant Christi, quia electi erant, tametsi non erãt in mũdo. Verum nõ de istis verba facit Ioannes modo, sed de apostolis Domini, quibus solis exhibita sunt dilectionis egregia, quæ diximus, signa.

Maxima dilectionis signa protulit dominus suis discipulis iam iam moriturus.

¶Nãq; & si pro omnibus Christus mortẽ crucis subiuit, at vero nõ omniũ lauit pedes, sed solum Apostolorũ: & quãuis omnibus fidelibus Eucharistia porrigatur, at manu propria Christi, apostolis solis est porrecta, & ore proprio eos mirabili sermone admonuit. Enimuerò congruẽter apostoli istis amoris eximij priuilegijs erant donandi: quippe quibus dominus ait, Vos permansistis mecum in tentationibus meis. *In finem.* Varia est expositio huius orationis. Quidam cum D. Augustino exponunt, in finem, idest

In finem dili gere quid ve lit.

ad finē, hoc est, ad vitā æternam dilexit eos. Et secundū hanc expositionē, quod ait, Cum dilexisset suos, per suos, omnes subaudire electos oportebit. Siquidē ad vitā æternā, omnes electos diligit Christus: pro quibus solis efficaciter seipsum obtulit in sacrificiū Deo suauissimum. ¶Porrò Augustinus, nō hac est cōtētus expositione, quippe alias quoque adiecit, videlicet in finem, hoc est, in ipsum Christū, quā intelligentiā ordina. Glossa amat: quoniā Christus authore Apostolo, est finis legis, Rom. 10. Quocirca sensus erit, in finē, dilexit eos, ideſt propter se, & in se dilexit eos, quia dilexit eos, quatenus eos effecit mēbra sua, & nihil est dānationis ijs, qui sunt in Christo Iesu, ad Rom. 8. ¶Et itidē si hunc probam sensum, per suos omnes electos oportebit intelligere. Verūquî cōgruet, si omnes electi sunt subaudiēdi, cum eo quod ait, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo?* Siquidē multi tunc electi non erant in mūdo, quidā namq; ex mundo recesserant, vt qui mortē obierant, sancti patriarchę, & prophetę, alijq; tunc defuncti electi, alij vero nōdum nati erant, vt neque modo extant omnes electi. Propterea alius est sensus, in finē, ad mortē vsque dilexit eos, non quia post mortē non dilexit, sed quia morte sua dilectionem erga suos cō summauit. Et equidē hic sensus est cōmodior, qui etiam ab Augustino indicatur. Enimuerò obrepēte morte, etiā charissimorū subit obliuio. Maximę igitur dilectionis est symbolū, si etiā sub morte ipsa, charorū adsit memoria, & maximè, si eisdē egregia tunc proferamus amoris indicia. Quia igitur Christus instante iam morte discipulis suis sacrum memoriale suæ eximiæ dilectionis in eos exhibuit, ideo ait, Cū dilexisset suos, qui erant in mundo, in finē dilexit eos. Hoc est finaliter ostendit se eos verè diligere: siquidē non solū viuendo eos dilexit, quod minus erat, sed etiā, quod maximū erat, vrgente ipsa morte, non destitit à dilectione priori, sed eam consummauit præclara demonstrans amoris in eos signa, quæ viuendo cū eis, non demonstrarat, quem admodum prædictum iam est. *Et cœna facta cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit & ad eum vadit.* Stupēda res, quod diabolus non formidauerit inuadere apostolos, & Iudam rapere. Et non erubuit, quæ est eius petulantia, ex Christi schola, cuius Christus magister erat, discipulorum vnum abducere, ex Christi collegio, cuius ipse rector erat, apostolorum vnum collegam subripere, ex Christi grege, cuius ipse pastor erat ouem vnā atrociter iugulare. Quātò satius tibi esset ò Iuda, apostolico non fulsisse munere, quā post apostolatum tā fœditer labi. Heu quot hominibus accidit, quod & Iudæ, qui si in sublimitate non fuissent collocati fortè saluarentur, & in sublimitate perduntur. ¶Sunt qui putant, ex verbo hoc Ioānis, Et cœna facta, &c. Eucharistiæ sacramentū fuisse ante lotionē pedum institutum. Siquidē Iudas continuo à cœna, vt hoc loco Ioannes videtur docere, exiuit ad Pharisæos, & principes sacerdotū, vt Iesum illis traderet. Ait enim Ioānes. Et cœna facta cum diabolus iam misisset in cor Iudę vt eum traderet. Et Lucas refert. c. 22. Iudā interfuisse Eucharistię, igitur prius colligūt isti, fuit Eucharistia instituta, quā lotio celebraretur pedū. Et iuxta horū placitum, Iudas nō interfuit lotioni, neque pedes eius fuerunt à domino loti: quia continuo post cœnā, prius quā dominus lauaret apostolicos pedes, exiuit à cœnaculo, vt dominum traderet. ¶Porrò horum placitum non est legitima ratione suffultū, quippe nō sufficienter isti probant, quod Iudas non fuerit lotus pedes à domino. Enimuerò inter lauandum pedes discipulorum, dixit Christus. Et vos mundi estis, sed nō omnes. Et explicat Euangelista, verba hæc dicta esse à domino propter Iudā Simonis Iscariotem, ideo subiecit, *Sciebat enim quis esset, qui traderet eum: propterea dixit, Non estis mundi omnes.* Et ex contextu Ioannis satis liquet, post lotionem pedum, cœnā productā fuisse, quando eucharistia fuit instituta, secundum alios Euangelistas. Ait enim cum hæc dixisset, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit, Amē amen dico, quia vnus ex vobis tradet me. Et quibusdam interiectis respondit Iesus manifestans suum proditorem esse Iudam Iscariotem vnum ex duodecim Apostolis, dicens, Ille est, cui ego intinctum panem porrexero, igitur adhuc post

Diaboli audacia.

Placitum dicens Eucharisticam institutionē præcessisse pedū apostolicorū lotionem falsum est.

post lotos pedes Dominus recubuit iterũ, & cœnã interceptã continuauit, sub qua continuatione Eucharistia fuit instituta. Tametsi Ioannes, lotionis pedũ faciẽs mẽtionẽ, quã alij Euãgelistę suppresserũt, huius Eucharisticę institutionis nõ meminit: quippe quã apud alios luculẽter cõscriptã viderat Euangelistas. ¶Cœna igitur illa habuit duas partes, quas mẽsas vulgo vocãt, primã & secundã. Prior quidẽ fuit ad esum agni typici, cũ cæremonijs legalibus adornata. Exod. 12. cõmemoratis. Et hãc partẽ interrupit lotio pedũ Apostolicorũ, qua tamẽ absoluta Dominus cõtinuauit cœnã, quã lotione pedũ interruperat, & tunc pauit Apostolos suos corpore & sanguine suo. Matth. 26. cœnãtibus autẽ eis, accepit Iesus &c. Et hac consũmata cœna, Iudas exiuit, vt dominũ proderet. Et quod supra Ioãnes aiebat. Et cœna facta, Augustinus exposuit, idest cœna parata, vel cœpta, sicut cum dies incipit clarescere, diẽ dicimus esse factum. Cœna igitur cœpta Iudas qui iã vendiderat Dominum, & apud se firmiter decreuerat, prodere Dominum, nõ tunc exiuit, vt proderet, sed cœna cõsummata. Alijs placuit, per cœnã factã, esse intelligendã priorem partem cœnę, cuius dudum faciebam mentionẽ. At verò, vt dicebã, Iudas post esum agni paschalis, non continuo exiuit, vt proderet Dominũ, sed post lotos pedes, & post acceptam Eucharistiã. ¶At nõ ab re hæsitabit quispiã, si Iudas accepit Eucharistiã, cur illi fuit porrecta à Domino sciẽti, illi esse futurã venenum? Respon. Iustũ esse Dominũ, & quia Iudas corpus & sanguinẽ Domini summa affecit contumelia, tradens ea hostibus suis, ideò hęc ipsa, quę ipse indignissimè cõtẽpsit, versa sunt in dãnationẽ suam: vt inde pararetur Iudæ vltio, vnde fuerat culpa. Et quidem Iudã Dominus multis prosecutus fuerat beneficijs, & quod maximè saxeũ eius pect⁹ debuerat emollire erat, videre Dominũ prostratũ ad pedes suos, sed neq; hoc emolliuit, quò desisteret à cõcepto facinore, tradẽdi corpus & sanguinem Domini atrocissimis hostibus. Ideo iustissimè, ipsa eadẽ, quæ ipse summa iniuria affecit, versa sunt in maximã eius condẽnationẽ. Ideoq; surgens à cõmunione sacra, diabolus magis sæuit in eũ, quia cõtinuo opus iniquũ quod cœperat cõpleuit. ¶Porrò nonnulli credũt lotionẽ pedũ hanc fuisse ante esum agni paschalis, nedũ ante Eucharisticã institutionẽ. Argutantur autẽ: quia ex Luca. 7. videtur morẽ fuisse apud Hebræos id tẽporis, conuiuarũ, antequã ipsi accederẽt ad prandiũ, lauare pedes idcirco dominus expostulat cum Simone Pharisæo quod inuitatus ab illo, nõ iusserit Domini pro more lauare pedes. Vnde ait, Aquã pedibus meis nõ dedisti, hæc autẽ lachrymis rigauit pedes meos: Osculũ mihi nõ dedisti, hæc autẽ ex quo intrauit, nõ cessauit osculari pedes. Vnde videtur hunc morẽ apud Iudæos fuisse cõuiuarũ pedes lauare, ante prãdiũ vel cœnam: & eosdẽ osculari, quæ quia Simõ ille Pharisæus nõ præstitit, ideò videtur Christus, verbis cõmemoratis eũ obiurgare. Nẽpe quod ea, quæ ex more conuiuis exhibebantur, nõ exhibuerit ipse. Lotio igitur pedũ videtur præcessisse prãdiũ, sicut & osculũ. ¶Porrò autẽ Osiander, qui hoc amat placitũ, & alij, qui illi subscribunt, nõ aduertũt hæc, quæ ex Luca cõmemorantur, probare solũ consuetudinẽ hanc fuisse apud conuiuas. Is nãque qui inuitabat suos conuiuas, discũbere faciebat, in primis, & eorũ lauabat, vel lauare iubebat pedes &c. At vero, Dominus ad cœnã agni paschalis, nõ inuitauit suos discipulos, quippe Dominus suos pascebat quotidie discipulos ex ijs, quæ sibi sub ministrabãtur, ideo nõ inuitabat tunc discipulos, sed quod aliàs præstare solebat, scilicet, corporis alimoniã, eã tũc præstitit: ideo non erat necesse ante esum agni paschalis, lauare pedes discipulorũ suorũ, propter morẽ, quia tũc vrgebat minimè. Quin potius ex suo argumẽto deducã ante institutionẽ Eucharisticã, Dominum lauasse pedes apostolicos. Quippe tũc verè inuitauit Apostolos, ad nouũ, & inusitatũ cõuiuiũ, idcirco, quia inuitabat tũc Apostolos, ad eduliũ sui corporis, & poculũ sui sanguinis, ideo prius lauit pedes suorũ conuiuarũ. ¶Quod si dixeris, Quî igitur cõsentient hæc duo, & quod cœnãtibus eis acceperit Iesus panẽ, &c. vt Matthæus narrat. 26. & quod Lucas meminit. 22. similiter & calicẽ postquã cœnauit &c. Tu dicito Lucã, per recapitulationẽ hæc dixisse: quoniã iã prẽmisse

Dominica cœna duasha buit partes.

Corp⁹ & sanguis Domini accepit Iudas in vltionem iniuriæ quam fecerat in corpus & sanguinẽ Domini.

Mos Palęsti norum cõuiuarũ ante cõ uiuium laua re pedes.

rat calicis cõsecrationẽ, dicẽs, & accepto calice &c. Inter cœnandũ igitur cõsecrauit vtrũque, & panẽ, & calicẽ, vt Matth. ait, Cœnantibus eis &c. Verũtamẽ quia vtrunq; celebratũ est post priorẽ partem cœnæ, ideo dixit Lucas, Similiter & calicẽ, significãs vtrunq; cõsecrasse, scilicet, panẽ in corpus suum, & calicẽ in sanguinẽ suũ, absoluta priori agni paschalis cœna, & incepta iã posteriori parte cœnę, quę posterior mẽsa vocatur, vbi delicatiora edulia reponi solent. Et quia inter comedẽdũ hæc posterioris mẽsæ edulia dominus interseruit cõsecrationẽ panis, & calicis, ideò dixit Matthæus, Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem. Et quia cõsecratio hæc relata ad priorẽ mẽsam erat post priorẽ partẽ cœnę, seu post priorẽ mensam, ideò Lucas dixit, Similiter & calicẽ post quã cœnauit. Multa nos diximus de hac re, in. 4. senten. quæ qui haurire volet, indidẽ hauriet. *Cum diabolus*, &c. Græcè Simonis Iscariotę, nõ Scariotes. Misit autẽ in cor Iudæ diabolus, nõ illabendo in cor Iudæ, sed suggerẽdo proditionem Domini. Quippe diabolus nõ aduertebat, ex proditione illa resultura mundi salutẽ, ideoq; illam persuasit Iudę. Quoniã si cognouisset fructum illius, dehortaretur planè illã: quippe erat diabolicæ tyrannidis exitiũ: vnde patet, diabolũ non cognouisse tunc sacramẽtũ dominicę Incarnationis, & ipsum latuisse etiã mortis Christi mysteriũ: quia si illi pateret, nõ curasset per ministros suos, Domini crucifixionẽ. Et res est mirabilis quid potuit mouere Iudã, ad tãtũ facinus cõmittendũ. Quî factũ est, vt is, qui erat domini Apostolus, & quem Dominus tãtũ sublimauerat, propter vile pretiũ excitaretur ad vẽdẽdũ Dominũ, quẽ quotidie audiebat docẽtẽ de regno cœlorũ, & de supplicijs æternis cuius grãdia, & nunquã visa miracula, quotidie spectabat? Vnde huic subit, odio habere dominum? vnde tradere inimicis & hostibus suis, vbi nulla ratio inimicitiæ erat, sed potius vniuersa excitabant ad summum amorẽ exhibẽdũ domino? Et super omnia, quia finaliter illi tot & tanta exhibuit eximij amoris indicia, quot & quãta alijs, & nihilominus, non est veritus scelus admittere atrocissimũ: vt iã hinc obseruare liceat, quã efficax est diabolica suggestio, ad mala perpetrãda. Quippe ea, quæ videtur prorsus abhorrentia ab humana, & ratione, & consuetudine, sua praua suggestione, si aliàs à Deo non impediatur in effectũ deducit. *Sciens Iesus.* Sciebat sanè Iesus, quod mors & vita erant sub sua potestate, & quod erat Dominus vitæ, & mortis, idcirco sciebat, se iã moriturum, nõ ex cogẽte necessitate, sed ex spõtanea permittente voluntate. Omnia nãq; à patre Christo homini ex hypostaticavnione, erãt tradita in sua potestate, & omnia suo erant subdita dominio: ideo mortis sibi imminẽtis, non erat ignarus, sed admodũ conscius, & sponaneus. Rursus, sciens erat, quod à Deo exiuit æternò per æternã generationem, & exiuit tẽporaliter per tẽporalẽ missionẽ ex carnis nostræ mortalis assumptione. Ad hæc sciens, quod vadit ad patrẽ, quia paulo post mortẽ, & resurrectionẽ suam, erat ascensurus ad tribunal dexteræ patris. Tria igitur si aduertis, Ioãnes cõmemorauit hactenus in capitulo hoc, Christũ scire: & illa sunt maxima. Nã primo dixit, Sciens Iesus, quia pro quod venit hora, vt trãseat ex hoc mũdo ad patrem, dein ait, Sciens, ꝙ omnia dedit ei pater in manus: postremo, Sciẽs, quia se quod à Deo exiuit, & ad Deũ vadit. Quod fere idẽ est, atque id quod primo dixerat, Quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrẽ. Quæ sanè omnia nõ temere Ioãnes cõmemorat, sed ex maxima scripsit causa. Enimuero, quia adornabat referre ministeriũ lotionis pedũ, quam dominus exhibuit suis apostolis, ne ex vili, quod illis administrauit ministerio, vilẽ quis forsan putasset Dominũ, explicat quãtæ sit maiestatis hic, qui se deiecit, ad vilissimum hoc lotionis pedum ministeriũ. Et lauãtis pedes maiestatẽ explicat, ex tribus iã indicatis, & quia sciebat horã sui transitus ad patrem, & quia sciebat se esse verè hominẽ cui omnia pater subiecerat, quia simul erat filius Dei. Ideoque & si sciebat horã trãsitus sui ad patrẽ, hoc est, mortis suæ, per quã trãsiturus erat ad patrẽ, at sciebat se hãc mortem subiturũ ex voluntate sua, & permissione sua, & nõ ex cuiusvis coactione. Nempe quia à Deo exiuit sponte, & ad patrẽ per se ipsum vadit spõte, nõ quia ab alio, vel per aliũ ducitur ad patrẽ, vt nos ad patrẽ ducimur

Diabolum latuit dominicæ Incarnationis, & passionis sacramentum.

Ad atrocissima mala perpetrãda, suggestio diabolica efficax est.

cimur per ipsum, & ab ipso. At ipse à nemine ducebatur: sed ipse vadit per seipsum ad patrẽ, nã propria virtute resurrexit à mortuis, & propria vi supra sidera se collocauit. Hic igitur tãtus quantus alius nullus, se deijcit ad pedes apostolicos, & eos lauat, à terræ hærẽtibus sordibus. Vt vile hoc ministeriũ exercens, nõ ex vilitate, sed ex summa charitate, & humilitate feciſſe credamus: vt ita cũctis hominibus, sit hoc ministeriũ in humilitatis gerendæ in proximos exẽplũ efficacissimũ & irrefragabile: vt deniq; magni & proceres in ecclesia homines hoc notãtes stupendũ exemplũ, nõ despiciãt suos inferiores, sed si opus factu fuerit, ad illos se deijciãt, vt eos Christo lucrentur. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cũ accepisset linteum, præcinxit se.* Christi maiestate exposita, summũ & inauditũ humilitatis tãtæ maiestatis exemplũ expositurus Ioãnes subiecit. Surgit à cœna, agni paschalis subaudi, qui comesus fuit in priori parte cœnæ. Surgit à cœna, solus ipse, apostolisque omnibus recũbẽtibus, ipse solus ceu minister apostolorũ surgit, & stat, vt lauacrũ pedũ ministret solus. Vnde Luc. 22. hoc insinuãs ait, Nã quis maior est, qui recũbit an qui ministrat, nonne qui recũbit? ego autẽ in medio vestrũ sum, sicut qui ministrat. Surgit igitur à cœna Dominus, & recũbẽtibus discipulis suis, ipse stat in medio eorũ, sicut minister. *Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Origenes expendẽs verbum, Cœpit lauare pedes, inquit, quod nũc dominus nõ lauit prorsus pedes discipulorũ suorũ, sed cœpit lauationẽ, siquidẽ Dominus ait, Omnes vos scãdalũ patiemini in me in ista nocte. Porro tũc perfectè sunt loti pedes apostolorũ, quãdo in die Pẽtecostes Spiritus sanctus eos purificauit. At vero si de mũdatione à criminibus agitur, tũc iã mũdi erãt apostoli, si verò de venialibus culpis, etiã post aduẽtũ Spiritus sancti veniales habuerũt maculas. Quia si dixerimus, q̃ peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, &c. Porro autẽ nunc dominus duo exhibuit apostolis ministeria: lauit enim pedes eorũ, & lotos extergit, atque siccat, & in seipsum sordes quas tergit excipit. Nã in linteo sordes excipiebat, quo ipse erat præcinctus, Quia iniquitates nostras ipse tulit &c. Esai. 53. Neq; tamẽ vocat adiutores ad hoc explendũ ministeriũ, sed ipse solus exuit vestimẽta sua, vt expeditiùs rẽ absolueret, ipse solus ex hydria haurit aquã, & infundit in peluim: ipse solus se præcinxit linteo, vt post lotos pedes, ipsos extergeret, à superstite aqua, qua madebant apostolici pedes. Nõ ergo solũ se exhibuit ministrũ apostolorũ, sed expeditissimũ, & diligẽtissimũ ministrũ. Sanè vetustissimum erat hoc erga hospites Hebræorũ ministeriũ lauãdi eorũ pedes, vt Gen. 18. de Abrahã, & 19. ☞ Loth legimus. Et 2. Reg. 25. Famula tua sit in ancillã, vt lauet pedes seruorũ Dñi mei, & sæpe alibi idẽ refertur. At vero, hoc Christi singularissimũ est ministeriũ, ideo exẽplo caret, quia adeò nouũ est, vt superet vniuersa humilitatis exepla, ideo ipsum solũ est efficacissimũ humilitatis exẽplũ. Quod enim vniuersorũ Dñs, procumbat ad pedes homũcionũ, & seruulorũ, & peccatorũ, & proprijs manibus lauet à sordibus terrenis pedes eorũ, & extergat linteo, quo est præcinctus, neq; anteà, neq; posteà hoc gestũ fuit, aut gerendum erit. Quater legimus Dominũ deposuisse vestimẽta sua, & modo, & quando fuit illusus, & quãdo fuit flagellatus, at deposita istis vicibus resumpsit, at quãdo erat crucifigẽdus deposuit eadẽ, & nõ resumpsit. *Venit ergo ad Simonẽ Petrũ, & dicit ei Petrus, Dñe tu mihi lauas pedes? Respõdit ei Iesus, Quod ego facio tu nescis modo, scies autẽ postea. Dicit ei Petrus, Nõ lauabis mihi pedes in æternũ. Respõdit ei Iesus, Si nõ lauero te, nõ habebis partẽ mecũ. Dicit ei Simõ Petrus, Dñe nõ tãtum pedes meos, sed & manus & caput.* Chrysostomus, Theophilactus, & Origenes credũt prius lauasse se aliorũ discipulorũ pedes Christum, & dein Petri. Nisi q̃ Origenes, omniũ apostolorũ credit prius à Dño fuisse lotos pedes, & postremo Petri: qa alij omnes magis egebãt hac lotione, quã Petrus, vt immũdiores: ideoq; prius alijs omnib⁹ fuit exhibita lotio, quã Petro. Cæterũ Chrys. & Theophil. nõ omnes fuisse lotos prius Petro autumãt, quia si eos primotẽtasset lauare Christ⁹ etiã recusasset lotionẽ, vt Petrus recusauit. At proditorẽ cẽsent primo lotũ, quia hic ob petulãtiã suã, nõ erubuit se præferre Petro, & Petri occupare sedẽ. Colligũt autẽ Petrũ nõ fuisse primo

Lotio pedũ à Christo exhibita apostolis efficacissimum, & irrefragabile in auditum & summę stupẽdum humilitatis exẽplũ.

Græce, mittit.

Sanctorum cõtrouersiæ.

lotũ, ex verbo priore. Cœpit lauare discipulorũ pedes: & mox subdit Euãgelista, Venit ergo ad Simonẽ Petrũ. ¶ Augustinus verò aliter censet, Petri pedes primo lauisse dominũ. Sciebat enim Dominus Petrũ, & alios Apostolos hãc lotionẽ esse detrectaturos, at quia nullus detrectaret lotionẽ, si Petrũ primo lauaret Christus, ideò Petri primũ lauat pedes, vt cæteri Apostoli videntes Petrũ sustinuisse lotionẽ, ipsi eãdẽ nõ recusarẽt. Quia igitur Dominus Petrũ Apostolũ verticem cõstituerat Apostolorũ, & ob eã causam semper eũ prefert cætui apostolico, ob id etiã videtur, Petri primo lauasse pedes. Et argumẽtũ hoc est Augustini verisimile satis, etiã si nõ cõcludẽs prorsus. Quippe Græci indicati credũt etiã Petrũ vertice cẽ apostolorũ fuisse, nihilominus testantur, non fuisse lotũ, vel quia proditor ex sua petulãtia Petro se prætulit, vt Chrysostomo placuit, aut quia alij Apostoli, vt minus mũdi quã Petrus, celeriori egebãt mũdatione, vt Origenes tradit. Quã quã re bene expẽsa, quid velit Origenes in hac ratione, nõ satis mihi cõstat. Enim verò, cur magis egebãt cæteri Apostoli medicamẽto mũdationis, quam Petrus: hoc ipse non declarat, neq; mihi perspicuũ est, præsertim dicẽte domino. Iã vos mũdi estis, sed nõ omnes, & rursus, Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet. Omnes igitur Apostoli excepto Iuda tũc ante lotionẽ mũdi erãt, quomodo ergo magis egebãt mũdatione quã Petrus? Nã si de immũdis affectibus, quos pedes significãt, agatur, hãc immũditiẽ omnes habebãt, ideoq; Dominus eorũ lauat pedes, solus Iudas proditor inter apostolos erat immũdus. Vnde ex argumẽto Origenis, hic primo erat lauãdus, quãreliqui omnes, verũ quod alij omnes loti fuerint prius Petro firmis nõ colligit rationibus Origenes: imo videtur aduersari verbo Domini, Vos mũdi estis, sed nõ omnes. ¶ Qui volet autẽ suffragari Chrys. dicere posset, nõ inde abolendũ Petri primatũ si nõ primo lauarẽtur eius pedes, non enim in primitate lotionis primatus apostolicus collocabatur. Quale autẽ quale hoc fuerit ex scriptura clarè nõ constat: quãuis verisimilis est satis Augustini sentẽtia, quã nõ diluit Græcorũ argumẽtũ. Quod enim Euãgelista ait, Et cœpit lauare pedes discipulorũ, & extergere linteo, generali sermone expressit, quasi anticipando, quod subinde speciatim erat expressurus. Vnde generalẽ sermonem specificaturus, subdit, Venit ergo ad Simonẽ Petrũ: huius igitur pedes venit dominus loturus, vnde cœpit lotionẽ facere discipulorũ. *Domine tu mihi.* Petri humilitas aliũde nobis etiã cõstat, Luc. 5. Exi inquit, à me Domine, quia homo peccator sum, Amor autem Petri feruidus in Christũ, Matth. 16. exponitur, vbi domino agenti de passione sibi Hierosolymis ventura, ait Petrus, Absit à te Domine. Hæc autẽ eadẽ sibi semper similis, vt pote qui nõ defecerat, sed potius ex Christi magisterio profecerat, demõstrat modo, & amorẽ feruentẽ in Dominũ, & reuerẽtiã, & humilitatẽ profundã, vnde in verba præhabita prorupit, Tu mihi lauas pedes? Quasi dixisset, Tu Dominus mihi seruulo, Tu magister mihi discipulo: Tu Dei filius, mihi hominis peccatoris filio. Tu, cui ministrant angeli mihi, quẽ vexãt dæmones, tẽtãdo, & alliciendo ad mala: Tu veritas, mihi fallaci te negaturo lauas pedes? Augustinus dixit in his verbis, Plura sunt quę cogitari, quã effari valeãt. *Quod ego facio.* Recusas Petre hãc tuorũ pedũ, quã ego tibi administro lotionem, & ex pauescis quod me vides ad tuos pedes prouolutũ. Et iustè quidẽ ex pauescis meã prouolutionẽ, at iniustè recusas tuã ablutionẽ, quia nescis, quod in ea latet sacramẽtũ: quod sanè tibi nõ est propalãdũ modo, sed propalabitur posteà tẽpore opportuno, postquã, videlicet, ego laueropedes vestros, vel postquã vos cibauero corpore meo. ¶ Interim tamẽ, ne rudis sis existimãs me velle modo lauare tuos, & coapostolorũ tuorum pedes, quod multi apud me referat, luteas pedũ vestrorũ extergere sordes. Minimi nãque refert, has corporales vestras emaculare sordes. ¶ Porrò quod in hac pedũ lotione, quam tibi, & coapostolis tuis ad ministrare paro, magnũ latet mysteriũ, Tu nescis modo, neq; alij Apostoli nouerũt, scietis tamẽ tu & illi posteà. Hoc porrò mysteriũ quod posteà referãdũ dominus ait, & paulo post referauit, est sanè, quod oportebat apostolos se humiles exhibere, ad lauãdas culpas suorũ subditorũ. Ad hęc adumbrabat etiã in hac pedũ lotio-

Origenes expenditur.

Petri humilitas, & in Christũ feruidus amor.

Dominus lauans pedes non habebat in scopũ terræ cohærentes solũmodo lue re sordes, sed ex corporali spirituale lotionẽ significare intendebat.

lotione, non solũ apostolos, sed etiã debere successores apostolorũ esse non elatos, neque tumidos in administrãdis suis gregibus, sed humiles & pacificos, vt Petrus admonuit, nõ dominantes in cleris, sed forma gregis facti. 1. Petri vlti. ¶ Sicut ergo dominus se se prostrauit, ad lauandos pedes suorum seruorum, ita etiã oportet prælatos ecclesię se se deijcere, si hoc viderint expedire, ad purificãdas maculas animorũ suorum gregum. Vnde & hoc dominus exposuit infrà dicẽs, Si ego dominus & magister vester laui pedes vestros, & vos debetis inuicẽ lauare pedes: vel etiam hoc dixit propterea, quia mundãdi erant affectibus ad Eucharisticã cõmunionem. *Dicit ei Petrus.* Domino adhuc cõtendenti lauare Petri pedes, Petrus obluctatur, & cõtendit item nõ esse lauandos eosdẽ. Et quia videt Petrus domino iã decretũ esse lauare illius pedes, domino vehementius repugnat, quã repugnauerat hactenus, dicens, Non lauabis mihi pedes in æternũ. Et probabile est Petrum tum nõ solũ verbo, sed corporis gestu cõtendisse subterfugere hãc suorũ lotionẽ pedũ, & fere ad hanc subdendam rationẽ dissensum suũ explicasse, Non permittam tibi ò magister optime, quod meos laues pedes. Nam quæ ratio hoc fert vt manibus tuis purissimis, quibus cœlum & terrã fecisti, & oculos cæcorũ aperuisti, meos terrenos, & cõtaminatos laues pedes? Quoad vixero igitur nõ lauabis, & hoc est quod ait, In ęternũ non lauabis mihi pedes. Quia igitur Petrus firmã sententiã iam exprompserat, de nõ sustinẽda lotione, dominus etiam iã non blando sermone, vt primo cœperat, sed cõminatorio in Petrũ agit dicẽs, *Si non lauero te, non habebis partẽ mecum.* Quę verba multifariã exponuntur. Enimuerò si de lotione tantũ corporali pedum Dominus agebat, sensus est apertus, videlicet, hoc tibi Petre indico, quod tuos mihi lauandos permittas pedes, sub pœna exclusionis à mea societate. Et perinde est atque si apertiùs diceret, Hoc tibi præcipio sub pœna damnationis æternæ. Etenim sicut ij, qui sunt in Christo, nihil habent damnationis, ad Roma. 8. ita qui excluſi sunt à Christo, nihil habent salutis, sed subditi sunt damnationi. Igitur non habebis partem mecum, non solum significat deijciam te à dignitate apostolica, aut non numeraberis in cætu meorum discipulorum, sed aliud grauius subdenotat, scilicet, quod diximus. ¶ Et quanuis lotio pedum ex natura sua sit indifferens, ex genere nanque suo non est peccatum lauari, vel non lauari, at verò quod iubente Christo, non lauentur pedes, fit ex præcepto crimina le peccatum, vt alia plæraque multa indifferentia. ¶ Vel secũdo si ad lotionem spiritualem referamus verba Domini, sensus item commodus est, si non lauero te, hoc est affectus veniales tuos, si non lauero peccatorum tuorum iam dimissorũ reliquias, non habebis partem mecum in regno Dei: quandoquidem venialia peccata, & pœnæ quæ restant non solutæ, quibus obnoxij sumus sæpe, post donata crimina nostra, remorantur nos à cœlestis regni consortio. Et secundum hanc expositionem, verba Domini, si non lauero te, de toto Petro intelliguntur, quippe affectus impuri in toto sunt homine. Porro iuxta priorem sensum, per synecdochen sunt audienda verba Domini, Si non lauero te, hoc est pedes tuos. Nam, vt per partem nonnunquam intelligimus totum, vt cum laudamus, pictoris manum, ipsum pictorem subintelligentes, ita quoque ex toto licebit aliquando subintelligere partem, vt Hispano sermone, si volumus fœdum alicuius notare fœminæ vultũ, dicimus, quã prava est hæc mulier, damnamus totam mulierem, solum intelligentes fœdam eius partem. Dominus igitur quando ait, Si non lauero te, subintellexit, per totum partem, ideſt, pedes tuos. Aut tertius poterit esse sensus. Si non lauero te, non habebis partem mecum, ideſt, non te cibabo corpore meo, neque te potabo sanguine meo. Etenim lotio illa pedum apostolicorũ, in duos fines spectabat, videlicet, ex illa humilitatem admonere, & rursus subdenotabat, ante Eucharisticã cõmunionẽ, curãdã esse sedulo animorum nostrorum purgationem, iuxta Pauli documentum, probet autem se ipsum homo, &c. Tu interim obserua, vt dominus, qui verbo docuerat humilitatem seruandam, dicens, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Eodem modo exẽplo confirmat, se prostrans ad pedes discipuli

Triplex sensus verborũ Christi.

Indifferẽtia ex præcepto fiunt necessaria.

Per Synecdochen ex parte subintelligimus totũ & contra ex toto partem.

discipulorũ lauãdos. Et qui se exinanierat formam serui accipiẽs, vt humilitatis suæ extẽderet gradus, se se deijcit modo vt lauet pedes discipulorũ, exẽplũ sine exẽplo humilitatis nobis exhibens. Nã quod vel Abrahã, vel Loth lauerint pedes angelorũ, quãtũ est obsecro hoc, collatum huic, vnde Dñs angelorũ lauat pedes piscatorũ? Sciebat optim⁹ magister, quod Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã: ideoq; nostra maximi refert, humiles esse corã Deo, siquidẽ angelos deiecit de cœlo superbia, & homines eiecit è paradiso. Ideo vt nos discam⁹ humiliari, & capaces simus donorum Dei summã exercet humilitatis formã, se deijciens corã vilibus hominibus. Quis ergo iã tam superbus, quis tã tumidus, qui nõ se exinaniat, qui nõ se se deijciat, qui nõ deprimat fastũ suum, vidẽs dominũ vniuersorũ humiliatum corã apostolis, imo corã vilissimo & indignissimo hominũ luda, qui paulo post deducendus erat ad teterrimos manes? Nõ est autem silentio supprimendũ, quod sensit D. Ambrosi. de huiusmodi pedũ lotione. Etenim tãti fecit hãc pedũ lotionem, vt eã existimaret esse velut alterũ baptismale sacramẽtũ. Sicut enim secũdũ eũ, sine baptismo, nõ delentur actuales culpæ, eodẽ modo, sine hac nõ deletur originale peccatum. Vnde post multa alia. 3. lib. de sacramentis, subdit hæc, Qui lauit non necesse habet iterũ lauare. Quare hoc? quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adã à diabolo supplãtatus est, & venenũ ei infusum est super pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte in qua insidiatus est serpẽs, maius subsidiũ sanctificationis accedat: quò postea te supplãtare nõ possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpẽtis. Et lib. de ijs, qui mysterijs initiãtur, cap. 6. hęc itẽ firmans ait, Ascendisti de fonte memẽto euãgelicę lectionis. Etenim dominus Iesus lauit pedes discipulis suis, & interiectis quibusdã, tractans verba domini. Qui lotus est nõ indiget, nisi, vt lauet pedes, sed est mũdus totus, de petro, subdit, Mundus inquit, erat totus, sed plantã lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatũ, quãdo eũ supplantauit serpens, & persuasit errorẽ: ideo planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollãtur: nostra enim propria per baptismũ relaxãtur. Quo circa Mediolani, vbi Ambrosius prefuit antistes, post baptismum totius hominis, pedũ quoq; lotio administrabatur. Ex his verbis Ambrosij mẽtẽ quãtũ verba exprimunt, videmus fuisse peccatũ originale per lotionẽ pedum abstergi: quia pedes fuerũt serpẽtis veneno infecti: at per baptismũ propria peccata, hoc est actualia mundãtur. ¶ Bernardus autẽ in sermone de Cœna Domini, existimat, hãc lotionẽ pedũ valere purgãdis venialibus: vnde ad Bernardum cõsequitur, nõ esse sacramẽtum, quod placebat Ambrosio: sed esse sacramẽtale, vt est aqua benedicta. ¶ Porro autẽ aduersatur Ambrosio, theologorũ candidata turba. Enimuero certo creditur, baptismũ esse sacramẽtũ, purgãdis omnibus peccatis, nõ solũ actualibus, sed etiã originalibus, quæ vocat Ambrosius hęreditaria peccata. Quandoquidẽ veritas ait, qui crediderit & baptizatus fuerit saluabitur, & nõ hæc dixit de baptismo pedũ, vel de lotione pedũ. Et Paulus ad Titum. 2. vocat baptismũ, lauacrũ renouationis, & regenerationis. Si autẽ baptismus vetustatẽ originalis peccati nõ exuisset, nõ renouaret hominẽ, & si nõ redderet filiũ Dei, nõ regeneraret. Nã si superstes est primitiua culpa, neq; est renouatio, neq; regeneratio hominis: qa si fingam⁹ peccata actualia esse donata per baptismũ, perseuerãte tamen primitiua labe, baptizatus homo nõ esset tunc Dei amicus, neq; particeps regni ęterni, sed diabolo esset obnoxius, ob originalẽ culpã. ¶ Ad hæc, hæc pugnãt inuicẽ, secũdũ viã à Deo præscriptã, Deũ donare peccata actualia, nõ donato originali: quia impiũ est à Deo dimidiã sperare veniã. Fit nanque donatio peccatorũ per gratiæ infusionẽ, at verò si peccatum originale afficit adhuc, gratia Dei infundi nequit. ¶ Præter hæc duo baptismi sacramẽta nõ sunt cõcedẽda, quia ecclesia cõfitetur eũ Paulo ad Eph. vnũ esse baptisma, at iuxta hoc placitum, duo essent sacramẽta baptismi. ¶ Rursus pueri, nõ habẽt actualia, sed sola infecti sunt originali macula, & hãc in eis mũdat nõ lotio pedũ, sed lotio infantis. Accedit eo dẽ, qa nõ est necesse, si plãta fuit infecta, qđ plãta lauetur. Siquidẽ primũ hoc nõ extat in diuinis literis, qđ serpẽs venena infu-

Humilitatis cõmendatio.

Ambrosius expenditur.

Lotio pedũ quid valebat apud quotidã patres veteres.

Ambrosius expenditur.

Nõ extat in scriptura serpentẽ fudisse venenum su perpedes pro toplastorũ.

infuderit in pedes Adami, & si extasset per plātā nō propagatur primitiua macula, sed per mēbrū virile: & quāuis per hoc propagatur, nihil est necesse vt hoc mēbrū mūdetur aqua. ¶Et demū cōsuetudo ecclesię istud nō recepit, baptizatorū lauare pedes, neq; dominus ob hoc lauit pedes discipulorū suorū, vt nouū baptisma cōstitueret, præter cōstitutū. Sed propter rationes cōmemoratas. Et vt Cyprianus sermone de ablutione pedū ait, per hāc lotionē pedū, lauacrū pœnitētiale denotabat dominus, esse præmittēdū Eucharisticę perceptioni. ¶Sunt qui velint Ambrosiū exponere, lotionē pedū esse ad remittēdū fomitē, nā fomitē ipse intellexit per hæreditaria peccata. At verò istud glossema, nō sapit Ambrosiū, cū expresse asserat per baptismū propria diluui peccata, nō tamē hęreditaria. At quis vnquā dubitauit, baptismū etiā mitigare fomitē, imo & omnia sancta opera? Satius est dicere Ambrosium hoc sapuisse, quod tamen doctoribus alijs sacris, & ecclesiæ nō probatur. Neq; eleuamus Ambrosij authoritatē, si illi ecclesiæ, quæ maior est præferamus authoritatē. ¶Nō iudico me indignū facturū, siquæ Ioannes Ferus in cōmentarijs ad locū hunc affert, nos quoque disseramus, quia non vacant ab scrupulo verba, & si author forsan liber est à noxa, quia forsan rectè cōcepit, quod nō tam rectè peperit. ¶Ait igitur, Cæterum mouere aliquem posset, quod Christus addit, Sed est mūdus totus, quomodo enim mundus totus, qui adhuc iubetur pedes lauare? Imo quomodo mundus totus qui baptizatus est, cū scriptura asserat vbiq;, sine peccato esse? Et quidē verisimum est, quod nemo sine peccato est: nihilominus tamen verisimum est, quod totus mūdus est, quisquis per fidē purificat⁹ est. Is enim quia corpori Christi insitus est Christi sanctitatē, & puritatē per fidē participat, & possidet. Hinc Paulus credētibus dicit, Abluti istis, sanctificati estis per nomen Domini Iesu Christi. Hinc ijdē Christo insiti dicūtur sancti propter fidē, nomē, & sanguinē Iesu Christi, interim tamen in se ipsis nihil sunt, nisi peccatores & multum peccatorum habent adhuc. Et ad idem propositum rursus in cōmen. ad cap. Ioā. 19. Sic inquit, Nostra salus cōsummata est, nō plene in re, sed in spe. Ceptus est enim & iustificari, & sanari homo, interim tamē dum iustificatur & sanatur nō imputatur illi, quod reliquum est in carne peccati propter Christū: qui cū sit sine omni peccato, iam vnū cum homine factus interpellat pro eo apud Deū. Quæ verba ex cōmen. 19. cap. Ioannis attuli, vt allatis inuicem locis, magis pateat de re hac mens Ioannis Feri. ¶At vero videtur ex verborum istorum prætextu (quia animum hominis non lego, sed verba) fideles omnes nō habere secum gratiā sanctificantem, sed solū ab extrinseco appellari sanctos, scilicet, ob vnionē cum Christo, & rursus fideles omnes etiā sanctissimos habere quidem peccata adhuc in ipsis, quia nō sunt abolita ab eis, & abluta per gratiā formalē, & charitatē, sed solū eo dici dimissa, quia nō imputantur illis propter vnionē, quā habēt ad Christum per fidē. Germani autē hæretici hæc probāt dogmata, quia ipsi fuerūt horū errorū authores. Credunt enim, in sanctis dū viuitur esse peccata eadē quę ante iustificationē, nisi quod non imputantur, vt in peccatoribus, quia autumāt nullam esse habitualē gratiam in anima hominis, ex qua delētur ab anima peccata: imo nō cōfitētur hāc deletionē, sed solū fatētur nō imputationē. Vnde testātur sanctos, & iustos esse sanctificatos & iustificatos, nō per habitus infusos purificantes, sed solū quia per fidē sunt Christo vniti: ideo ab extrinseco duntaxat esse iustificatos, & sanctificatos per Christū nō imputantē. Et ideo docēt fideles iustos non esse in se ipsis mūdos, sed in Christo, vt Ferus tradebat. Porrò autē, vt ex loco Ioannis diuersum euincamus sciscitor ab eo, num quod ait Dominus, Qui lotus est, nō indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, cū sit verū de baptizatis, nū iste baptizatus, qui est lotus & mundus totus est ne in se ipso lotionē habens? num in se ipso mūdus est totus, an solū in Christo? Si solū in Christo, quomodo igitur indiget, vt pedes lauet? Num in Christo habet pedes immundos? Neutiquam: quia in Christo nihil est immundū. Ergo non possumus dicere, quod hic lotus, in Christo sit mūdus, & in se ipso habet immundos pedes. Etenim in se ipso per te est totus immundus, igitur non solum habet pedes

Ioannes Ferus discutitur.

Neotherico rum hæresis cōfunditur.

pedes immundos, cũ alioqui sit totus immundus. In Christo igitur lotus huiusmodi, totus est mundus, & pedes quoque habet mundos. Quia in Christo nihil haberi potest immundum. Qua propter si in se ipso totus est immundus & in Christo totus est mundus, vbi ergo vera sunt verba Domini, Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus? Imo quod verissimum est, fideles iusti sunt sane loti, & mundi in se, & in seipsis habentes lotionem à criminibus suis, at quia adhuc dũ vita hęc transigitur in sanctissimis etiam num terreni adsunt affectus immundi, veniales tamẽ, & præteritorum reliquię adsunt peccatorum, idcirco, & si mundi simpliciter sint, secundũ quid immundi sunt. Nãque recte dixit ille, optimus ille est, qui minimis vrgetur. Quippe iustissimi, etiam si criminales habeãt ablutas sordes, at verò minimis vrgentur adhuc ex seculi consuetudine sordibus, ideò & si loti sunt simpliciter, & mundi, verum secundũ quid, propter minima hæc quæ venialia sunt, quę pedes vocat Dominꝰ, immundi dicuntur. Quæ & si quotidie purgentur, quotidie inficiunt tamẽ. Pręter hæc dicat Ferus, num per fidem solũ fit vnio cum Christo ad iustificationem? an non per solam fidem, sed etiam per charitatem? Si per solam fidem, igitur, omnes peccatores, & criminosi, residentes in peccatis suis mundi sunt dicendi, quia vniti sunt cum Christo, per fidem & per Christi sanctitatem, & nomen, & sanguinẽ, ipsi sunt mũdi. Vnde sequitur quod tota iustificatio est fides, id quod Germanorum est hæresis. Si verò adhuc necessaria est vnio per charitatem Dei, igitur in fidelibus iustis, charitas Dei est eos afficiens, igitur in seipsis sunt mundi, & non solum in Christo: quia charitas expellit peccatum ab homine. 1. Cor. 13. Charitas ait, non æmulatur, non agit perperam. Et Lucæ. 7. Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum. Quod si obijcis. Cur igitur ait Petrꝰ. 1. 4. quod charitas operit multitudinem peccatorum? Si operit, igitur peccatum adhuc manet, quia operta non tolluntur, sed absconduntur.

¶ Cęterum apud Petrum operire, est delere peccata, vt mare rubrum operuit AEgyptios, & operiendo extinxit: sic charitas operit peccata illa extinguẽdo, vt non sint. ¶ Adhæc, si in nobis sumus immundi, quid est quod Paulus ait. 2. Corin. 4. Habemus thesaurum istum absconditum in vasis fictilibus? Vbi est autem immundities, nullus est vitæ spiritualis thesaurus. Obijciam igitur Paulo. Paule sancte, quem thesaurum commemoras te habere? si immunditiam habes in te ipso quem thesaurum obsecro iactas? Porrò, cur propter garrulos istos hæreticos, discedendum erit à veritate, quam Paulus prædicat? Paulus sanè vera narrat, quia in ipso loquebatur Christus, at hæretici falsa nugantur, quippe in ipsis loquitur pater mendacij diabolus. ¶ Quo circa verax est Pauli sententia, iustos habere thesaurum absconditum in vasis fictilibus. Quo fit eos mundos esse in se ipsis, alias non thesaurum habe rent intro reconditum, sed carbones peccatorum suorum. Est autem discrimen non modicum inter hæc duo, iustos esse immundos, ex se ipsis, aut in seipsis. Primum enim non concedimus, at secundum asserimus.

¶ Quandoquidẽ omnes homines ex nobis sumus peccatores, & filij perditionis, à cõceptione nostra. Vnde Oseas dixit, Perditio tua, ex te Israel, salus autem tua ex me. Quamquã enim homini adulto non possit contingere salus, nisi ipsemet Deo cooperetur iustificãti: at vero à Deo primum peccator excitatur ad hãc cooperationem. Quo fit, vt principium nostræ salutis situm in Deo sit, quare ex nobis sumus immundi. Cæterum postquam Deus nos mundauerit cooperantibus nobis, iam in nobis mundi sumus: & non immundi. ¶ Neque diffitendum est iustos esse etiam mundos in Christo: siquidem Christus, vt Deus est, est causa nostræ iustificationis efficiens, quatenus homo est, est causa meritoria. Ideoq; nostra mundatio, est in Christo, vt effectus in causa: porrò est in nobis, vt forma nos perficiens. ¶ Verumtamen, hæc omnia Ioãnis Feri verba, abrasa sunt à commentarijs eius, in impressione Complutensi: & merito propter causas indicatas. Et in Concilio Tridenti. sessione. 6. canonibus multis refutantur quæ à nobis hactenus refutata sunt. Habes in cano. 10.

Iusti, & si sũt mũdi simpliciter, quia Deo sunt amici sunt immundi secundum quid ob veniales culpas quæ à domino pedes appellantur.

Iusti sunt mũdi in se ipsis.

Charitas Dei expellit peccata.

Iusti sunt mũdi in ipsis at non ex ipsis.

Iusti omnes quomodo sunt mundi in Christo.

no.10.& cano.11.vbi traditur esse anathema dicentem, hominem esse iustum solum,quia illi imputatur Christi iustitia. Et hoc idē est, ac si dixeris, hominē esse iustum in Christo,&in se esse iniustū,& solum esse iustum, propter sanctitatem Christi, cui per fidem vnitur: quod anathemati subditur dogma.Et,vt semel dixerim,quid est illud,quod in Canti.scribitur,Tota pulchra es amica mea,& macula non est in te? Igitur in animabus iustis,non est macula, quomodo ergo sunt immundæ in se ipsis? *Qui lotus est.* Qui lotus est per lauacrum baptismi lotus est quo ad omnem culpam,quippe crimina omnia per baptismum donantur, venialesque culpæ simul condonantur, pœna omnis soluitur. Vnde si à baptismo contingat mors, anima continuo volabit ad patriam. Vnde huiusmodi,neque pedes habent illotos, quia baptismus vniuersa abluit. Qui verò per lauacrum pœnitentiæ lotus est, etenim pœnitentia baptismus quidam est testante Triden. Concilio sessi.14.laboriosus baptismus. Hic adhuc pedes habet immūdos, siquidem hoc lauacrum nō tam efficax est ad abolēdam omnem peccatorum colluuiem, vt primum. Quanuis enim soluat culpā criminalem,& venialem, at restātes propter commemoratas culpas pœnas non semper soluit, ideoque in pœnitentibus pedes manent adhuc immundi.Quippe obligatio adferenda temporalia supplicia, nonnulla est immundities: ideoque abstergenda est per condignam satisfactionem, vt homo pedes habeat etiam mundos.Et demum baptizati, si non cōtinuò euolauerint ad regnum cœleste etiam si perseuerent in gratia baptismali,mysticos fœdos habēt nihilominus pedes,& si ipsi simpliciter mūdi sunt.Quia si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. ¶Et rursus pœnitentes si donemus à pœnitentia, solutos fuisse à culpa, & pœna, id quod & si rarissimū est, tamen aliquando contingere posse, non hæsito, isti nihilominus, si in vita persistunt, habent huiusmodi spirituales pedes immundos, propter eandem qua dudum retulimus causam. Quamobrem vera est Domini sententia, Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet. Quippe criminalia expiata habens, vt coronam cœlestem obtineat indiget,leuiora quoque piacula expiare, quia nihil coinquinatum, sedes ęthereas possidebit. Sed iam ad priora regrediatur oratio, & filū continuemus expositionis, *Dicit ei Simon Petrus,Domine non tantum pedes, sed & manus,& caput. Dicit ei Iesus, Qui lotus est,non indiget,nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quis traderet eum,propterea dixit, Nō estis mundi omnes.* Quia grauiter terruerat Petrum Christus dicens,Si non lauero te,non habebis partē mecum, ideo suum in Christum proferens amorem,& orbari Christo non ferens dicit, nō solum se permissurum pedes lauari à Domino,sed & manus,& caput. Hoc est mystico sensu,nō solum affectus,qui per pedes significantur,sed & opera quæ per manus,& cogitationes, quæ per caput tibi concedam lauanda. Secundum literam autem insinuant, totum se permissurum lauādum à Domino.At Dominus respondit Petro non esse illi necesse,quod totus lauetur,quia lotus fuerat per baptismum,sed solum indigere lotione pedum. Vnde colligitur apostolos fuisse baptizatos, quippe omnes insinuat esse lotos, dicēs, Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet. Supra tamen de re hac fecimus mentionem,ideo abundātiori tractatui super sedendum est.

¶Ride interim quosdam probantes factum Iudæ vendendi Christum: siquidem ita erat à Deo ordinatum, & propter venditionem hanc redemptus est orbis. At ordinatio Dei, neminem cogit quidquod Deus non ordinauit:sed permisit venditionē hanc. Et venditio Christi fuit de se atrocissimum facinus: per accidens autem secutā est ad eam orbis redemptio, non ex natura venditionis, sed quia malis nostris vtitur, pro sua potentia & sapientia ad bonum nostrum. Deniq; Dominus Iudam vocat immundum,quia erat immundus, propter animum scelestum vendendi Dominum. Et miratu dignum,Iudas ipse suum dedignatur facinus,& isti impij, qui hoc affirmant quod ille reprobat, probant.

Perseuerantes etiam in gratia baptismali fœdos habēt mysticos pedes.

Pœnitentia potest soluere omnē culpam, & pœnæ reatum.

Deus non ordinauit venditionē Christi, sed permisit.

ENARRA-

ENARRATIO. II. IN 13.cap.Euang.Ioannis.

¶ *Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum dixit, Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

NVdauerat se Dominus, vt expeditius lotionis pedum suorum discipulorum, & seruorum expleret ministeriũ, quo tamẽ absoluto, quas deposuerat resumpsit vestes, & recubuit iterum, vt cœnã cœptã ex typico agno, consummaret ex agno vero, qui tollit peccata mundi, qui agnus ipse est. Priusquam autem cœnã cõtinuaret, quod supra dixerat arcanum esse absconditũ Petro dicens, Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea, hoc ipsum propalat modo, non solum Petro, sed cunctis simul recumbentibus discipulis. Et vt hoc panderet recubuit iterum, & se iterum induit, & ait. *Scitis quid fecerim vobis. Vos vocatis me magister & Dominus.* Quasi dicat optimè nostis, quid dudum fecerim vobis, scilicet, quod in terram decumbens, laui pedes vestros, humilitatis clarissimum vobis proferens exemplum. Expendite igitur gestum hoc, quod maximi expẽdendum est. Enimuerò vos vocatis me magister, & Domine, & benè vocatis, quia verissima est hæc quam mihi indidistis appellatio. Sum enim magister, non ab hominibus edoctus, aut ab hominibus constitutus, sed verus magister, qui de cœlo descendi magister. Sicut etiam sum Dominus nõ ex gratia Dominus, vt alij homines sunt, sed natura dominus, & iure creationis, quia omnia creaui & iure redemptionis, quia meo sanguine sum asserturus crastino die humanum genus á tyrannide diaboli. Si ergo tantus magister, tantusque Dominus, adeò me deieci, vt ad pedes lauandos vestros, pedibus vestris acciderem, Magister ad lauandos pedes discipulorum, & Dominus ad lauandos pedes seruorum, vtique & vos commoti tãto tamq; illustrissimo exemplo debetis idem præstare ad conseruos & condiscipulos vestros. Nam ego vnus sum magister vester Christus, cuius omnes estis discipuli, & vnus sum Dominus vester ego Christus, cuius estis serui. ¶ Priusquam autem locum hunc explanemus continuo se promit hæsitatiuncula, cur Dominus se laudat modo, cũ scriptũ sit Prouer. 27. Laudet te alienus, & non laudet te os tuum. Et non solum modo, verũ sæpè alias, vocat se lucem mundi, vitam, Dei filium & hoc genus innumera. ¶ Porrò autem dubium hoc, non est sinuosum admodum, Siquidem, nemo proterat dicere supernaturales Christi dotes, nisi solus ipse. Quippe exterius solum apparebat homo sicut cæteri homines. Nullique patebat aut poterat patere eum esse filium Dei, neq; lucem hominum, nisi ipse Deus manifestaret. Antequam autem se manifestaret ipse Ioannes perhibuit nõ semel, sed pluries testimonium de Christo. Et prius fuit laudatus ab ore alieno, quam à suo, non quia ipse egebat laudibus Ioannis propter se: sed testimonio Ioannis est vsus propter nos. Rursus priusquam Christus se manifestaret, vox patris illum manifestauit, dicens, Hic est filius meus dilectus, &c. Quocirca, cum Christus præclara de se testatur, non solus ipse testatus est. Quidquod se laudare, contingit bifariam, aut animo se extollendi, & aurã inanem populi captandi, aut animo alijs proficiendi aut dicendi veritatem. Nã qui magister est apud nos, aut dux, aut rex, quod se profiteatur esse magistrum aut ducem, aut regem, &c. nõ vicio dandum, sed virtuti veritatis, quia profitetur quod est, qui qualis est, talem se profitetur: & si contra diceret, se non esse quod est mentiretur. Qui verò iactabundus, & inanem gloriam amans profitetur, quod nõ est, aut si dicit quod est, tamen vanè se laudans, hoc vituperandum est. ¶ Deus autem in arcanis literis, se appellat Dominum Deum, & omnipotentem, & vniuersorum dominum, num quia has de se Deus laudes promit, quis insaniet, Deum redarguens, quod se laudet? Et quis obsecro poterat laudare Deum, nisi ipse de se suas docuisset laudes? Ipse nanque sibi solus est plenè notus, & quæ Dei sunt nemo nouit, nisi spiritus Dei. 1. Corin. 2. Quo circa necesse est,

Se laudare contingit bifariam.

se est, vt ipse suas laudes promat, quas nos ab eo discentes, ex ipsis, ipsum si non pro sua dignitate certè pro nostra exiguitate, laudemus.

Solus Deus suas laudes comprehendere potest.

¶ Et sanè ad profectum nostrum Deus nos docuit suas laudes, quia ipse gratia sui hoc non egebat, qui in seipso est beatissimus. Christus quoque suas deprompsit laudes, idem testans, quod Ioannes præcursor, & deus pater testati fuerant. Non quidem gratia sui, neque vt se extolleret: quia ipse est excelsus supra omnem celsitudinem: verum vt nos doceret quæ in ipso condita erant, quæ nos discere non poteramus, nisi ipso docente. Vnde Paulus. 2. ad Corin. 11. se laudat impendio, non sanè, quia gloriam secularem ipse affectabat, sed quia fidelium profectum cupiebat. Quos sane suo exemplo, ad patientiam pertrahere inferendis laboribus cupiebat: & vt testimonium perhiberet sanctitati, & veritati euangelicæ, in cuius gratiam, tot, & tantos exãtlauerat labores. Christus ergo, non vt se laudet ait, *Vos vocatis me magister, &c. & bene dicitis, sum etenim*: sed vt discamus ipsum esse magistrum verum omnium hominum, & eorum dominatorem, & ideo doctrinæ eius acquiescamus, & dominationi, nos subijciamus. Quod si apostoli Christum hac nomenclatione nominassent, & Christus probatum non habuisset, homines non curarent, apostolicam hanc appellationem, ideo, illam probans ait, Et benè dicitis, sum etenim. Apostoli autem non solum verbo appellant Dominum, & magistrum, sed opere appellationem esse veram profitentur, quippe doctrinam Domini suntamplexi, tanquam veri discipuli, & Domini se subdiderunt præceptis tanquã serui nõ ficti, & nõ sicut illi qui dicent, Domine Domine aperi nobis, aut illi qui Deum labijs honorant & cor eorum longe est à Deo, ait illi, qui dicunt, Domine Domine & non exequuntur Dei mandata. *Accepit vestimenta sua.* Græcè, & accepit vestimenta sua. *Vos debetis alterutrum lauare pedes.* Locus hic non est adhuc dum perspicuus: quid enim sit, quod modo iubet Dominus, vt alter alterius lauet pedes, nõ est in propatulo. Enimuero, de lauacro materiali pedum nõ esse audiendum locum hunc promptum est. Siquidem etiam si quibusdam mos sit aut fuerit, hospitio quos recipiunt pedes solatij gratia lauare, verum non est hic mos receptus apud omnes neque putatur necessarius, neque multi refert coram Deo.

Sancti se laudant non vt se extollant sed ad profectum aliorũ.

Matth. 7. Matth. 25. Mar. 7.

¶ At lotionem, quam Dominus hoc loco mandat, omnibus mandat. Quanuis enim Christus lauationem exercuerit pedum materialem, at vero altiorem aliam modo intellectam voluit, ad quam intelligendam apostolicas erigat mentes ex sensibili lauatione pedum, vt Ioannis. 4. Samaritanam ex aqua fontis sensibilis, quam ipsa haurire venerat, prouexit ad aquam spiritualem.

Christus ex sensibili lauatione, ad spiritualem intelligẽdã apostolos subuexit.

¶ Origenes igitur hunc locum retulit ad doctrinam, putans hanc lauationem esse docendi munus. Siquidem docendo, quæ sunt facienda bona, & à quibus est abstinendum malis, lauant doctores plebis affectus. Ait autem huiusmodi docendi munus, esse in primis Christi, qui solus est primarius orbis totius magister, primusque Dominus.

¶ Secundario verò est munus hoc discipulorum Domini, quippequi à Christo hoc sunt sortiti docendi plebes munus. Item ait, Docete omnes gentes, Christus enim fecit suos discipulos doctores, & dominos, quippe ab eis abstulit spiritum seruitutis, & donauit spiritum filiorum Dei, qui est spiritus eximij cuiusdam dominij. Lauit igitur Dominus discipulorum pedes, vt eos doceret oportere lotos habere terrestres affectus, qui alios docere diuina amant.

¶ Sunt autem hæc Origenis verba, Prius autem quam fiant, & magister & Dominus, egent lauacro pedum, velut insufficientes discipuli, & adhuc sapientes spiritum seruitutis. Cum autem aliquis eorum statum magistri attingit, & Domini, tunc imitari potent eum, qui discipulorum pedes lauit: ac lauare pedes per doctrinam quasi magister. Iuxta hanc expositionem hoc lauacrum, quod Dominus modo iubet, solum iubetur maioribus in ecclesia, vt prælatis, & alijs, quorum interest plebes docere fidelium. Augustinus autem hoc de lauandis pe-

dibus commune fidelium voluit esse præceptum dicens, Sed confiteamur inuicem delicta nostra, inuicem nos delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus: atque ita quodammodo pedes nostros inuicem lauemus. Et hanc expositionem interlinealis amplectitur. Et equidem quantum verba Domini præferunt, commune quoddam fidelibus iniungunt præceptum, quod vi delicet, alter alterius lauet pedes. Neque solum videtur doctoribus hoc esse à Domino iniũctum. Ait enim, Alter alterius debet lauare pedes. Nam si doctoribus est hoc solum præceptum, significat ergo sermo Domini doctores se inuicem debere docere, id quod non videtur verbis Domini congruere. Quid quod exẽplo humilitatis proposito subdit, Et vos inuicem debetis lauare pedes, at qui docet in ecclesia non exercet officium humilitatis sed excellentiæ, & prælationis.

Cõmune est fidelibus iniũctumpręceptum vt suos inuicem lauent pedes.

¶ Alij autem cum Nicolao voluerũt verba Domini ad aliam trahere intelligentiam. Alter alterius debetis lauare pedes, ideſt, humanitatis officium fideles inuicem præstare debent. Et hoc præstare, nonnunquam erit obligatorium, vt pascere fame morientem, aut quęuis alia hoc genus necessaria officia: aliquando erit consilij opus. Vtrunque autem comprehenditur in verbis Domini. *Et Vos debetis alter alterius lauare pedes*, hoc est inuicẽ lauare pedes. Porrò autem lauare pedes, est abstergere pedum contractas ex luto, vel ex alia re sordes: præstare autem humanitatis officia vt alere famelicos, &c. vel honestatis exercere in fratres debita, non video, vt nisi abusiuè satis sit lauare pedes. Etenim omnis translatio secundum aliquam similitudinem eorũ, quę transferuntur fit, aliàs non esset trãslatio: igitur vt metaphorica sit hæc Domini sententia, *Et Vos debetis alter alterius lauare pedes*, secundum similitudinem lotionis sensibilis, venit accipienda, & transferenda ad sensum tropologicum.

Omnis translatio fit secũdum similitudinem quandam eorum quæ transferuntur.

¶ Fortasis autem verba Domini sunt ad correptionem fraternã deducẽda. Enim uerò correptio est quædam fraterni criminis lauatio, præsertim si ad eam sequatur correctio. Quod si non consequatur, ipsa ex se est quoddam spirituale lauacrum. Et est officium humilitatis, quando prælati fraternaliter corripiunt suas oues, & non exercent in eas prælatorum & iudicum munus, sed instar fratrum se se gerunt in subditos. Quando verò subditi corripiunt superiores, non superbo animo, aut arrogantibus verbis exequãtur hoc munus oportet, & superiores itẽ cum humilitate eandem correptionem susscipere decens est. Et demum, qui superbè corripit, non lauat, sed plus coinquinat fratrem.

Qui corripit superbè fratres sæpe nõ lauat fratrẽ, sed magis coinquinat.

¶ At vero obijciet quispiam, Dominus de lotione solum pedum mentionem fecit, at correptio fraterna ad crimina se tẽdit: diximus autem per pedes minimas significari maculas. At maculæ istæ minimæ, quæ sunt veniales culpę, nonnunquam exitum mortiferum minantur, vt qui furatur obolum, ad maiora facienda furta se se adornat, & qui mulieris aspectum frequẽtat fornicationem molitur. Quocirca huiusmodi sunt lauanda per correptionem ne deterius ex huiusmodi illotis pedibus, fratribus contingat. At verò etiam si Dominus lotionis pedum fecerit solum mentionem, at propterea non excluſit administrandã esse lauationem toti homini, si totus immundus existat. Imo si tanti fecit lauacrum hoc spirituale pedum, vt sedulo & grauissimis verbis illud admoneat, magna enim verborum exaggeratione, ait, Si ego Dominus, & magister vestros laui pedes, & vos debetis, alter alterius lauare pedes, an non infinnare voluit, si totus homo immũdus fuisset, multò fortiùs eiusdem lauationem esse solertissimè curandam? Qui curam nanque abluendorum pedum sedulam habebat nonne maiorem totius etiam habebit?

Domin⁹ mãdans lauare leuiora fratrum peccata insinuauit etiam grauiora lauãda fore.

¶ Quare lauacro pedum, lauacrum totius esse curãdum, quando necesse illud curare fuisset haud dubium intellexit. Hæc igitur fraterna correptio vtique lauat peccata, & grauiora & leuiora, quando per eam corrigitur proximus. Si te inquit audierit, lucratus eris fratrẽ tuũ. Matth. 16. Cui concinit Iaco. vltimo, Qui conuertere fecit peccatorẽ ab errore viæ suæ, saluabit animã eius à morte, & operiet multitudinẽ peccatorũ. Aspicis ne vt correptio fructuosa lauat? Cæterum correptio si humiliter adhibeatur frugi-

Fraternacorreptio lauat peccata grauiora & leuiora.

frugifera sæpe est: si vero superbè exerceatur, vtique fit infrugifera. Humilis nanque, & charitatiua correptio fratris, superbos lucratur, & corrigit: at superba superbos incitat ad furorem, & nõ lauat illos, sed magis coinquinat, & humilibus ingrata est. Est enim nobis natura comparatum, vt humilia amemus, & elata despiciamus. Caietanus existimat omnia officia necessaria fratribus, tam spiritualia, quam corporalia esse à Domino intellecta, & iussa inuicem exhibenda: id quod Nicolaus Lyranus, vt dicebam, prius annotarat. Verum ego dixerim, sola ea officia, quæ sunt quodammodo, lauatio fratris esse à Domino intellecta. Quando quidem alere famelicum, aut potare sitientem &c. non est lauare. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis ita & vos faciatis.* At obsecro Domine, quis poterit facere, vt tu fecisti. Tu nanque ex summa humilitate, & ardentissima charitate abluisti pedes tuorum discipulorum: at nos vtinam idem præstemus fratribus ex tenui humilitate, & ex mediocri charitate. Desides enim sumus in tuis exequendis mandatis, & vix ad illa explenda assurgimus. Si ergo præstandum est officũ hoc, quẽadmodũ tu præstitisti, nullus est, qui hoc præstare possit. Porrò quod Dominus nobis iniungit, iuxta modulum nostrum iniungit. Quare sufficiet nobis, si idem exhibeamus, proportione nostra, & secundũ mensuram doni sui. *Amen, amen dico vobis non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* Quia maximi refert fratres, se inuicem per correptionem mutuam abluere, ideò Dominus plurimum insistit cohortãdis discipulis, vt hanc sibi ministrent spiritualem peccatorũ ablutionem. ¶Quare nouè, fideles cohortatur ad hanc sedulo exercendam. Quippe si ipse Christus, qui est Dominus, pedũ lotionem exercuit, & sub illa aliam sublimiorem, quam dudum diximus admoneret, nos qui serui sumus, illam administrare magis debemus. Aliàs si nos ab hoc debito seruitutis exciperemus, vtique esset nos præferre Domino. Cũ autem serui non sint præferendi sed subdendi Domino, quæ ergo Christus fecit, ad exemplum nostrum nos debemus facere. Nisi quod ipse quæ fecit, non ex debito, sed gratis fecit, nos autem tanquam serui tenemur ea facere, quę ipse fecit, ex debito nostræ seruitutis. Christus enim fecit ex humilitatis monendæ gratia, & diuinæ charitatis inducendæ in corda nostra desiderio, nos autem ex debito facturi sumus seruitutis.

Sufficit homini Dei explere præcepta secũdum modulũ suũ.

¶Et quia non solum fideles communiter ad hanc ablutionem administrandam tenentur, sed etiam & primates in ecclesia Dei, vt sunt episcopi apostolorum successores, ideo, postquam admonuit fideles communiter dicens, Non est seruus maior Domino suo, admoniturus prælatos, subiecit, Neque apostolus est maior eo, qui misit illũ. Quasi dixisset apertiùs, Non putent ecclesiæ primores, eos ob suam dignitatem, quã in ecclesia gerunt, immunes esse ab hoc abluendi pedes onere. Etenim etiam ipsi constringuntur, quia serui mei sunt & conserui fratrum suorum. Quod si allegant se apostolica administrare munia vt onus hoc subterfugiant sciant, non esse apostolum, hoc est, legatum maiorem eo, qui ipsum legauit. Aut si exponis apostolum, per missum, non est missus maior mittente. Si ergo qui creaui apostolos feci, & ipsi debent facere. Caietanus expendit verbum hoc, Non est maior, quia apostol⁹ potest esse æqualis ei, qui eum misit. Nanque Christus à Paulo appellatur apostolus: at vero, est æqualis patri. Sed quid eodem modo, poterat dicere de seruo, quippe Christus vocatur in scripturis Dei seruus. Nam Esa. 49. Parum est vt sis mihi seruus, ad suscitandas fæces Israel, &c. Id quod de Christo est intelligendum, & sæpe alias. Non tamen ob id dicimus Christum vt seruum esse æqualem patri, sed minorẽ. Siquidẽ quatenus homo est, est seruus, & minor patre, qui est Dominus, & sub hac ratione maior Christo. Item ergo dicerẽ, Christus secũdũ quod homo appellatur apostolus cõfessionis nostrę, & hac tatione est missus à patre quaten⁹ homo est. Et hac etiã ratione non est æqualis patri, sed minor est patre, qui misit illum: imò minor seipso quatenus est Deus. Nãq; Christus, vt Deus misit se, vt hominẽ. Grę. Si hęc nouisti, beati estis. Et Theoph. eodẽ modo legit. Exponit enim locũ

istum ad hunc modum, vt ne dicant cur ista dicit nobis, quasi ignoremus? Scimus etiam ipsi humilitatis bonum, propterea dicit, Si nouistis, non sufficit hoc vobis solum, sed tunc perfectè estis beati si perfeceritis. *Non de omnibus.* Diuus Cyrillus non ab re textum hunc obscurum esse duxit libr. 9. commen. in Ioannem cap. 10. Et duas attulit eiusdem loci expositiones, & alterutram esse eligẽdam docet. Prima quarum hæc est, quæ vulgatior est, quod verba hæc indicent proditorem. Dixerat enim, Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea. Verum quia Iudas non erat beatus tunc, neq; vnquam beandus, ideo illum excludit à sermone beatitudinis, dicens, Non de omnibus dico, quasi diceret. Ne putetis vos omnes esse beatos, aut futuros beatos.

¶ Cæterum huic expositioni est prompta obiectio, quia Dominus non dixit absolutè, Beati estis, vel eritis, nisi sub cõditione, *Si feceritis ea.* Et sermo hic etiam verus est de Iuda, qui beatus foret, si feciſſet quæ Dominus docuit. Neq; diluit obiectum Caietani commentum dicẽs, Dominum non dixisse, Beati eritis, sed beati estis. Nam secundum literam græcam, nõ est sermo de futura sed præsenti beatitudine. Ideoque non congruit Iudæ sermo Domini, qui tum nõ erat beatus, quia erat in peccato mortali. At verò, siue sermo sit de præsenti beatitudine, quæ est solum secundum spem beatitudo, ideoque reuera non est beatitudo, sed speratur beatitudo, semper conditionalis est vera de Iuda. Hic beatus est, si facit quæ Christus monuit. Nanque sensus hic est spe beatus, si fecerit quæ Christus præcipit. Neque obstat huic sermoni Iudam tunc non esse in Dei gratia, & ideo non poterat dici, hic est beatus spe. Siquidem conditionalis hęc sensum hunc habet, si fecerit quæ præcipit Christus, est beatus non actu, sed potentia, non re sed spe. Quidquod nostra lectio non legit, Beati estis, sed eritis.

¶ Posterior autem Cyrilli expositio est, vt verba Domini cõmemorata referãtur ad ea, quæ sequuntur, & cũ illis cõtexantur. *Ego scio quos elegerim,* sed vt adimpleatur scriptura. Qui manducat mecum, leuabit, &c. Quasi dixisset apertius, Non de omnibus dico, quod mox dicturus sum, videlicet, quod cõtubernalis meus, & familiaris meus, & is, quem ego cibo pane meo, parauit contra me insidias, & occultè me vẽdidit, & clanculum me est prodituras. Istud atrocissimum scelus, non ab omnibus vobis esse committendum ego dico. Ego enim scio quos elegerim, qui scilicet mihi erũt fideles apostoli, & non erunt mei proditores, *si hæc scitis.* Instar loquitur Dominus dubitantis, more nostro loquens qui alioqui omnia nouit. Duo esse nobis ad salutem Dominus ostendit modo, & scientiam rerum diuinarum, & operationem iuxta scientiam. Etenim solum cognoscere Dei mãdata, non facit nos beatos, si non præstamus opere quod ex scientia præstãdum esse docemur. Quinimo damnabiliores ex scientia reddimur, si scientiam operatio deserit. Nanque seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens plagis vapulabit multis Luc. 12. & Iacob. 4. Scienti igitur bonũ facere, & non facienti peccatum est illi. Enimuerò, qui ignorantiã habet agẽdorum si inuincibilis est excusatur à tota culpa: si verò est supina, & non affectata ignorantia, si non à toto excusatur cum deliquerit, à tanto tamẽ excusabitur. Quanuis de necessarijs diuinisque præceptis, nullus, si obtendat ignorantiã, immunis erit ignorãtia hæc. Cæterum etsi non immunis, minus tamen grauat peccantem, quam si scientia adesset. Enimuero qui habens scientiam delinquit, maiorẽ contemptũ præ se fert præcepti cõtra quod deliquit, quam qui cũ ignorantia agit. Ex hoc autẽ loco obiter discas quantũ delirent hæretici noui, qui vexilla Lutherana sectantur, clamantes solã fidem esse sufficientem, cum tamen Dominus modo expresè doceat, *Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea.* Nõ ergo sat est nobis habere fidem, quæ in scripturis scientia Dei dicitur, tametsi Philosophis non est sciẽtia vt in. 1. sentẽ. nos vberius disseruimus, nõ ergo sufficit fides, nisi addamus opera, vt simus beati. Imo fides deserta ab operibus maiorem parabit credenti damnationem, vt dudum aiebat Dominus, Seruus sciens voluntatem Domini & non faciens plagis vapulabit multis. ¶ Quocirca cæteris paribus infideles minora subibunt supplicia, quam fideles. *Si hæc scitis beati*

beatis eritis. Cyrillus de futuro legit, *Eritis*, & de præsenti. *Scitis*, si hæc, inquit Dominus, Scitis. Quæ hæc? Hoc est si scitis & considerati ob humilitatis docendæ causam lauisse me pedes vestros, si intelligitis rectè, quod ego Dominus, hoc officium exhibui seruis, & ego qui creo, & eligo apostolos, hoc administraui apostolis, quod ipsi mihi administraturi erant. Quod si feceritis hæc, quæ scitis, videlicet eadem officia humilitatis, & charitatis administrantes inuicem, quæ ego vobis administraui, beati estis modo in spe, & tandem eritis completè beati in
Lucæ. 14.18. cœlesti patria. Nanque qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Hoc idem Paulus monet dicens, Honore inuicē prævenientes ad Roma. 12. idest inuicē humilitatem animi demonstrantes ex humilitatis mutuis officijs. *Nō de omnibus vobis omnibus dico: ego scio quos elegerim, sed vt adimpleatur scriptura. Qui mādu cat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis, quia ego sum.* Indicatur locus, ex Psalmo. 40. vbi traditur. Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Idest, homo mihi arctissima amicitia amicus, & familiaris, qui victitabat ex pane meo, cui ego propter arctissimam fidebā amicitiam, hic infide agens, sustulit pedem contra me, veluti calcibus me petens. ¶Sunt qui intelligant locum hunc ad literam, de Absalone, qui infidelis fuit Dauidi patri suo, alij referunt in Achitophel. 2. Regum. 15. Cæterum Dominus ad Iudam proditorem. retulit locum, cui aptissimè congruit locus psalmi citatus. Iudas nanque fuit à Domino ascitus in honorem apostolicum, & Christo familiaris, qui de Christi erat contubernio, & manducabat panem Christi. Quippe Christus illum suo pane cibabat, vt & cæteros apostolos. Et nihilominus veluti calces misit in Christum, eum vendens, & prodens inimicis suis Matth. 26. Lucæ. 22. Marc. 14. At petet aliquis, & quomodo aptabūtur Iudæ verba hęc, In quo speraui, nunquid Christus sperauit vnquam in Iudam? Cæterum hoc loco sperare, est fidere, aut fidei alicuius aliquid committere. Quia ergo Dominus fidei Iudæ commisit, quæ illi offerebantur, quia eius fidei marsupium vnde collegium apostolicum, & Christus ipse victitabat, erat commissum: idcirco ait, In quo speraui.

¶Dominus autem, non totū integrum locum ex psalmo retulit, sed partem solum, Græcè non est, leuabit, sed, leuauit vt apud interpretes in præterito legim⁹, Magnificauit supplantationem. Quod si exquirit aliquis, si Iudas Dominum vendidit, vt adimpleretur scriptura, innoxia igitur fuit venditio.

¶Admonuimus ob hoc sæpè, coniunctionem, vt, non denotare causam semper, sed consequentiam, & euentū nonnunquam significare, vt in præsentia. Non enim Iudas eò vendidit Dominum quo esset implenda scriptura, imò propter eius venditionem, impleta scriptura indicata ex Psal. 40.

¶Porrò sciscitabitur quispiam cur Dominus hunc elegit in apostolum, quem prænouerat esse proditorem? A thęc quæstio habet innumeras alias socias, Cur Deus Luciferum & angelos eius creauit, quos sciebat impios futuros? cur primū hominem cuius lapsum præsciebat? Cur Saulem in regnum elegit, quem atrocē, & immanē futurum præsciebat? Et ad hanc rationem, quotidie insultant varia dubia. ¶Porrò, vniuersi perfecta condition non esset, nisi creaturas Deus liberas ad bene, & male operandum creasset. Si quidem si vniuersum solum constitisset ex irrationalibus, & stupidis creaturis, vtique inabsolutum esset opus, quia nobilissimas desiderabat creaturas. Ideoq; creauit Deus & angelos, & homines? quos sanè perfectissimos creās suo arbitrio dimisit. Hoc nanque diuina sapientia decernebat esse opportunum, vnumquodque iuxta naturam acceptam referre operationem, Angeli igitur mali abusi suo arbitrio, demersi sunt in Tartarum & homo item eodem abutens arbitrio, lapsus est, in innumerabiles miserias. Iudam autem elegit Deus in apostolum, neque hominem iniustum tum elegit, sed iustum. Verum abusus est hic beneficijs Christi, & ideo ipsum prodidit. Vniuersā, quę Christus erga illū contulit bona auocabant eū à tāto facinore, at Christus in bonū cōuertit pessimum

Dubia quædam familiaria sed verātia intellectū

Vniuersum non esset perfectum opus nisi cōstaret ex creaturis irrationalibus & rationalibus.

hominis facinus ad commodum, scilicet totius vniuersi: vt ex veneno vipereo, fit theriaca, in remedium singulare venenorum. ¶ Item dicito de Saule: nam iustus erat quando fuit electus, at abutens diuino beneficio, versus est in tyrannidem, quæ tamen tyrannis admodum fuit vtilis Dauidi, quippe quæ exercuit eũ valde, ad patientiam, & Dei amorem. *Scio quos elegerim.* Scit Dominus omnes, & electos, & reprobos. Cæterum ex consuetudine scripturę ea dicitur Deus scire, quę amat, & probat. ¶ Sed quomodo cõstabit hic locus cum altero? Nonne ego duodecim vos elegi? Vtique satis constant sibi hæc duo. Iudas nanque est electus, ad apostolicam functionem, & est reprobatus, quo ad præmia sempiterna: vt sunt multi qui eliguntur à Deo ad nobilissimos & clarissimos principatus gerẽdos, qui alioqui reprobi sunt. *Quia ego.* Pro eo, quod ego sum, vt, scilicet, ex præuidentia futurorũ credatis me esse Deũ, & Messiam ipsum, quem prophetę prædixerunt. *Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Videtur quod hic locus, nihil cohæreat cum superioribus. Nanque hactenus sermonem habuerat de Iuda proditore, ideo videtur non esse consequentiam huius loci ad superiora. Verum est cõsequentia secundũ Theo. & Chrysosto. Quippe Christus consolatur his verbis apostolos suos ex duobus: tum quia ostenderat eis se esse prodendum ab altero eorum, id quod erat magna pars solatij discipulis, vt bono animo sustinerent labores venturos quando aduerterent Dominum tot tulisse labores. Et secundò solatur eos dicẽs, Qui vos accipit, &c. quasi dicat, etiã vos vt me persequentur impij homines. At verò alij pij vos excipiẽt, scientes, quod qui vos recipit, me recepit, &c. Porro mihi alia cohærentia arridet vehementius, videlicet, hæc Dominũ intulisse verba, vt latẽter carperet suũ proditorem, cuius dudũ fecerat mentionem. Etenim dicens, Qui vos accipit, me accipit, qui autem me accipit, accipit eũ, qui me misit ex contrario sensu intellectum voluit, quodqui Christum non accipit, patrem mittentem non accipit. Vnde insinuabat ex verbis istis Iudæ infido quod quia Christum non recipiebat, hoc est, in ipsum nõ credebat, quia si credidisset, non vendidisset Dominũ, continuo non recipere Deum patrem. Quippe qui à filio discedit, necesse est, vt à patre discedat. Id quod erat magnũ commonitoriũ ad Iudã, vt à pessima proditione desisteret, si vellet (vt oportebat velle) à patre non excludi. At auribus surdis Christus canebat, nãq; Iudas, neq; verbis suauissimis Christi neq; officijs optimis demolliuit suã perfidiã. Et fere ad hãc rationẽ videtur Cyrillus cohęrẽtiã exposuisse. At vero Ioannis. 5. Dominus ait, Qui nõ honorificat filium, nõ honorificat patrem, qui misit illum. Nunc verò ait, Qui me accipit, accipit eum qui misit me subintelligens, Qui non accipit me, non credendo, non accipit patrem: quia qui nõ credit in filium, nõ credit in patrem. Qui verò nõ credit in filiũ, hic non honorificat filium, & subinde nõ honorificat patrem. Est ergo sensus hic, Qui vos accipit credendo Euangelio meo quod vos prędicabitis, ille me accipit per fidem, & charitatem. Et credens Euangelio à vobis prædicando, vos sanè honorat, & vos honorando propter Euangelium, me honorat: & me honorando, honorabit patrem meũ. Vnde de primo ad vltimũ secundum formam argumenti dialectici, Qui vos accipit, me accipit, & qui me accipit patrem meum accipit: ergo, qui vos accipit, patrem meũ accipit. Et contra, qui vos non accipit, patrẽ meũ non accipit. *Cum hæc dixisset Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit, Amen, amẽ dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Ioã. 11. legimus, Dominũ ad resurrectionem euntẽ Lazari se turbasse, hoc vero loco non ait, se turbasse, sed, turbatus est. Cæterũ ex loco priori hic est etiam intelligẽdus. Dominus enim non cogebatur, vt turbaretur, sicut & nos, sed spontaneam turbationem habebat, vt ibidem dicebamus. Cur autẽ turbetur modo Theo. & Chrysosto. credunt eo factum, quia Christus videbat suum proditorem vtroque priuandum, & patientia in laboribus, & excipientiũ ministerio. Ideo turbatur spiritu, hoc est, tristitia afficitur eius anima: & testatus est, hoc est, prędixit, protestatus est, affirmauit. Cyrillo autem placuit hanc turbationem esse demõstrationem

Deus dicitur scire quæ amat & nescire quæ odit.

quandam

quandam exteriorem iræ aduersus tantum flagitium, quantum erat Iudæ flagitium, qui ob pecuniolam vẽdebat Dominum. Augustinus verò hanc turbationem à Christo fuisse acceptam dicit ob imminentem passionem, & periculum proximorum: & ob traditoris impendentes manus, cuius fuerat præcognitus animus. Hoc etiam Dominus sua turbatione significare dignatus est, quod quãdo ex falsis fratribus aliquos separari ante messem ab ecclesiastica communione vrgens causa compellit, fieri sine ecclesiæ turbatione non possit. Et adiecit Augustinus, Turbatus est autẽ nõ carne, sed spiritu, spiritus enim in huiusmodi scandalis, non peruersitate, sed charitate turbatur. Ne forte in separatione aliquorũ zizaniorũ, simul aliquod eradicet & triticũ. Siue ergo ipsum Iudam pereuntẽ miserando, siue sua morte appropinquãte turbatus est. ¶ At verò, quod ait Augustin. hanc Domini turbationem non fuisse carne, sed spiritu, non est sensus, quod hæc turbatio facta fuerit solum in spiritu Christi: quandoquidem spiritus Christi tranquillus semper erat. Secundum enim portionem superiorem nunquam fuit Christus turbatus, quia secundum illam semper erat beatus. At verò secundum partem sensitiuam turbatur Dominus, vnde ait, Nũc anima mea turbata est Ioan. 12. Vtique anima Domini turbata est secundum partem sensitiuã: quia tamen hæc turbatio erat iubente spiritu seu parte rationali, ideo ait turbatum fuisse spiritu. Quanuis Augustinus intellexit, Dominum non carne esse turbatum sed spiritu, ideſt, non ob causam carnalem, seu sensibilem, vt nos turbamur, sed ex charitate turbatus est, miserans Iudam & apostolorum, quam videbat imminentem ex sua cruce, turbationem. *Aspiciebant ergo discipuli hæsitantes, de quo diceret.* Apostoli sibi conscij, quod tantum facinus nullus eorum vel mente conceperat, nedum opere tentaret, & certi nihilominus de verbo Domini de authore hæsitant, mutuoque se aspiciunt, vt si forsan vultus immutatione, apud se colligerent quẽ significabat Dominus ex eorum collegio futurum Domini proditorem. Primo autem Dominus non apertè, sed sub vmbra insinuarat, se prodendum ab aliquo apostolorum suorum, citans verba Psalm. 40. Nunc verò expressè, & non figurata locutione, manifestat neminem nominans vnum ex collegio apostolico suum futurum proditorem, dicens, Vnus ex vobis tradet me. Quare apostoli se inuicem aspiciunt. Quia etiam si de se sibi benè conscij erant aliorum autem discipulorum conscientia illis nõ patebat stupẽt, quod apostolus aliquis tantum, & tam inauditum facinus esset admissurus. *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus, innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille, supra pectus Iesu, dicit ei, Domine quis est? Respondit Iesus, Ille est, cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxisset panem dedit Iudæ Simonis Iscariotæ, & post buccellam introiuit in eum Sathanas.* Vt hic textus, & dudum explicatus eluceſcãt clariùs oportet annotare, Ioannem hæc succinctè tractasse, quæ de proditore commemorantur, quia apud álios Euangelistas vberiore tractatu aduertebat esse diserta. Apud Matthæum autem. 26. & Marc. 14. habetur, quod edentibus apostolis, dixit Iesus, Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cœperunt singuli dicere, Nũquid ego sum Domine? At Iesus respondens ait, Qui intingit mecũ manum in paropside, hic me tradet. Vbi vides Dominum curasse diligenter molle facere impœnitens cor Iudæ, ideo primo generali sermone, dixit, Vnus vestrũ me traditurus est. Hæc autem dixit Dominus, vt aduerteret Iudas suum crimen esse Christo cognitum, ideoque vereretur Dominum sciẽtem suũ delictum, & cessaret à proditione. Ipso autẽ adhuc in sua impudentia, & impœnitentia perseuerãte, rursus admonetur à Domino specialius, vt refertur apud Marcum. Vnus, inquit, ex duodecim, qui intingit mecũ manũ in catino. Nunc enim etsi non nominabat proditorem, at verò ex signo eum indicabat. Quia vt annotauit Hiero. ad Matth. apostoli alij, postquam Dominum dicentẽ audierunt, Vnus vestrũ me tradet, suspenderunt se à comedẽdo, ideo neq; intingebant suos cibos in catino. At Iudas, perseuerans in sua impudẽtia, nihil contristatus, vt celaret magis

Ex iusta punitione hęreticorum ecclesia tristatur, quia ipsi se dignos illa efficerũt.

Anima Christi secundum portionẽ superiorem nũ quam turbata fuit neque potuit turbari.

Ioãnes succinctè tractat quæ ab alijs Euangelistis fusius commemorãtur.

suam proditionem, intingebat cum Domino in paropside, alijs non intingentibus. Itaque, Dominus generaliter loquebatur vnum ex intingentibus cibū simul cum Domino in paropside esse traditurum Dominum. At vero alijs Apostolis retrahentibus se ab intinctione cibi mœstitia correptis, Iudas impudēs extendebat manum, ad intingendum cū Domino: vnde ipse se manifestauit, & non Dominus. Verum dicet quispiam, imò Dominus Iudam esse proditorem suum clarè manifestauit. Etenim in Matthęo legitur Iudam dixisse, Nūquid ego sum Rabbi? Cui Dominus, Tu dixisti. Et simili modo Matth. 26. Principi sacerdotum interrogāti, & adiuranti Dominum, Si tu es Christus filius Dei viui, Respondit Christus, Tu dixisti. Et princeps sacerdotū scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemauit, &c. Vnde verba Christi intellexit esse affirmantia se esse Christum filium Dei viui. Igitur similiter Apostoli ex verbo Domini, Tu dixisti, intellexerunt Iudam esse proditorē. Porrò si intellexissent, quomodo Petrus innuit Ioanni, vt discat à Domino, quis ex numero duodecim Apostolorum esset Christi proditor, ergo verba Domini non videntur affirmasse Iudam esse proditorem. Remigius in Matthæum exposuit verba Christi, Tu dixisti, & nō ego. Et secundum hunc sensum adhuc res celata erat. At obijciet aliquis, Iudas non affirmauit se esse proditorem, quia interrogatio non affirmat, aut negat. Nanque & alij Apostoli, idem interrogauerunt dicentes, Nunquid ego sum Domine. Quānis Iudas non sciscitatur, Nunquid ego sum Domine, sed, Nūquid ego sum Rabbi. Verum idē interrogant omnes, etsi sub alia forma interrogationis. Sed nunquid Apostoli alij interrogando, affirmabant, se esse proditores? neutiquā. Imo nunquam interrogatio affirmat vel negat, nisi sit interrogatio violenta, de qua non est modo sermo. ¶Rursus Remigius aliter exponit verba Domini, Tu dixisti, & verum dicis. Cæterum si hoc admittimus, iam tum Dominus clara voce retegebat suum proditorem esse Iudā Iscariotem, & tunc vrget quod dudum proferebam. Si ita est, qua ratione Apostoli hæsitant apud Ioannem, vbi innuit Petrus Ioanni, vt discat à Domino, quis nam esset ex illis proditor, vt assererentur à tristitia animi, qua vexabantur. Et sanè, vt videtur verosimile, si Apostoli sciuissent Iudam esse proditorem, ipsum occidisset Petrus, cum alijs Apostolis. Et ideo Petrus est solicitior in re hac sciēda, vt postquam resciuisset proditorē occidisset, erat enim feruidus Christi amator. ¶Rabanus aliter soluit hūc nodum, Dominum respondisse, Tu dixisti, non tamen omnes aduerterunt ad verbū Domini. Insinuat Rabanus suppressē dictum esse à Domino, ità, vt nō omnibus Domini pateret responsio. ¶Porro ex Ioāne constat nulli patuisse Iudam esse proditorē, nisi Ioanni. Igitur solus Ioannes audiuit, Tu dixisti. Verum si ex verbo hoc didicerat Ioannes proditorē, non insisteret discere à Domino, petens, Domine quis est? ¶Quocirca videtur dicendum Dominum per illa verba, Tu dixisti non intendisse manifestare Iudam esse proditorem suum. Quia si manifestare intendisset, quid opus facto erat illis vti verbis sed clarè retegere, argētum promissum Iudæ à principibus sacerdotum, vt Christum illis traderet & pactū initum fuisse cum eis de vēdendo Christo? Sed solum hoc voluit dicere, Tu dixisti, idest, Tu interrogas, si tu es proditor. Nam verba Christi referuntur ad Iudæ interrogationem. At Iudas interrogabat: & hoc est quod dicebat interrogādo, Nunquid ego sum Rabbi? non affirmando. Et princeps sacerdotum, dicens, Blasphemauit, quia Dominus dixit, Tu dixisti: malè ex verbis Domini colligebat, sed quia desiderabat princeps ille, quod Dominus clarè dixisset se esse filiū Dei viui, ideo accepit occasionē ex verbis Domini: quæ tamen nihil explicabant, sed solum referebant verba principis sacerdotum. Sunt qui dicant secundū phrasim Hębraicam, verba hæc, Domini ad Iudam, Tu dixisti, esse affirmantia eum esse proditorem. At verò istis incumbit respondere dudum obiectis.

¶Aut secūdo dicamus, dicere aliquid bifariam accidere, aut sermone aut mente, aut opere. Iudas autem intingens cibum in paropside Saluatoris dixit opere, ipsa, scilicet, intinctione se esse proditorem. Quo fit, vt verba Domini, Tu dixisti signi-

An Domin' manifestauit Iudā esse proditorē suum.

Remigius & Rabanus ex expēduntur.

Petrus feruidus Christi amator.

Qui dicit aliquid interrogando, non affirmat, aut negat.

Dicere contingit & opere & verbo.

significent, Tu dixisti te esse proditorẽ ex tuo opere, quia intinxit in paropside Domini vel hoc quia dixit mente, ipse enim interius se dicebat esse proditorẽ. Verumtamen apostoli, mentem Iudæ non cernebant, neque eum esse proditorẽ intelligebant ex intinctione illa: quia solum ex verbo Domini intelligebant aliquem ex intingentibus cum Christo, in paropside, esse proditorem. Verum et si solus Iudas, vt Hieronymo placuit intingebat, verum apostoli ignorabant, si verba Christi, ad eos, qui intinxerunt vel ad intingentem modo essent referenda. Quidquod scriptura istud non commemorat solum Iudam aliquando intinxisse cum Christo. Demum, quale quale istud acciderit ex verbis Domini, non intellexerunt apostoli, Iudam esse proditorem. Nã, vt aiebam, si intellexissent, non esset Petrus solicitus pro se, & pro alijs apostolis, discere à Ioanne quis nam esset Christi proditor futurus ex suo collegio. ¶Porrò autẽ, continuò se insinuat quęstio, Nunquid sermo iste habitus de proditore fuerit ante institutionem Eucharistiæ an post institutam. Neq; enim Hilarij sentẽtia probatur, qui super Matthæum contendit, Iudam non fuisse participem Eucharistiæ, quia tã scelesto, & impuro homini non erat dignum tantũ sacramentum exhibere: in quam sententiam iuit Rupertus lib. 11. cõm. in Ioan.

Hilarij placitum expenditur.

¶Et præter hęc quia Dominus ait, Non bibam à modo de genimine huius vitis vsque in illum diem cũ bibam illud nouum vobiscũ in regno patris mei, Matth. 26. At Iudas non bibit de hoc genimine vitis, igitur non fuit particeps Eucharistiæ. Vnde neque præsens erat sacræ cœnæ quando hæc Dominus dicebat.

Dubium de tempore institutionis Euchristiæ.

¶Cæterum, vt supra tradebam ex Luca cap. 22. Iudas interfuit sacræ cœnę, quia post institutã Eucharistiã Christus, subiecit, Verumtamen, ecce manus tradentis me, mecũ est in mensa. Locus autem indicatus, intelligẽdus est de dignis apostolis, non de indignis. Et quanuis Iudas erat apostolus: at secũdum Dei prescientiam mox erat deponendus ab apostolatu: quia pœnitentia ductus laqueo erat paulo post se suspenturus. Ideo etsi erat numero apostolus, nõ tamen merito. Loquebatur autem Dominus de ijs, qui numero & merito erant apostoli, quãdo aiebat, Donec vobiscum bibam illud nouum. Dubium ergo propositum non ad modum facilem habet solutionẽ. Enimuero ex Matthęo, & Marco habetur Dominum post sermonem habitum de Iuda proditore, instituisse Eucharistiam. Prius nanque narrant sermonem de proditore, & mœstitiã, quæ acciderat in apostolis ex sermone illo: dein verò denarrant Christum consecrasse panem in corpus suum, & vinum in sanguinem. Lucas verò non hunc sed diuersum ordinẽ in sua euãgelica seruat historia. Ioannes denique de Eucharistiæ instituto nihil meminit, quãuis de efficacia eius cap. 6. multa luculenter commemorat.

¶Fortasis autem res hæc adhunc modũ diffiniri poterit, si dicamus Dominum in priori parte cœnæ, quando agnus paschalis edebatur, tũc fuisse locutũ de proditore, & discipuli contristati sunt, &c. vt Matth. & Marcus denarrant. Et id tẽporis Dominus bis dixit se esse tradendum ab vno duodecim apostolorũ, nulli tamen apostolorum exprimẽdo esse Iudam. At verò in posteriori parte cœnæ, postquam Dominus recubuit iterũ, post lauacrum celebratum apostolicorum pedum, & subinde continuauit cœnã priorem. Quam lauacrum interciderat, tunc Dominus inter alia quæ comedebantur edulia Eucharistiam instituit Matthæo authore. Ait enim, Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, &c. Et omnes apostolos cibauit suo corpore, & potauit suo sanguine, & Iudam similiter. ¶Post hãc autem stupendam cibationem Dominus continuauit sermonem de suo proditore, quem indicatum lauacrum interciderat. Et tertio dixit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. At apud alios Euangelistas, non habetur Amen, amen, sed solum Amen. Neque apud alios legimus Dominum sermonẽ facturum de proditore suo, se turbasse. At verò apud Ioannem legimus, Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est hoc est, magna asseueratione affirmauit se esse prodendum, ab vno apostolorum suorũ. Sed cur ita, si rogitas, hæc tãta de proditore legũtur apud Ioannẽ, quę nõ apud Euangelistas alios? Vtique, quia iam instabat, iamque impendebat prodi

Concordia Euangelistarum.

tionis hora: & mala, cum iamiam aduen tant tum maximè angunt: cũ vero sunt remotiora, non adeò vrgent. At verò in fine cœnæ hæc agebãtur, quæ diximus, vnde Ioannes ait, Erat autem nox. Cœpta nanque est cœna vespere feriæ quin tæ: & producta est in noctem vsque pro propter lauacrum quod interfuit. Vnde solus Ioannes memoratur buccellæ vel offæ intinctæ, quæ data est à Domino Iudæ, vt indicaret tunc demum Dominus Ioanni suum proditorem.

¶Ex istis tu conciliabis Euangelistas. Fuit nanque venerabile sacramentum Eucharistiæ institutum, ante sermonem de proditore, quem Ioannes denarrat, & post sermonẽ Christi de proditore, quẽ alij referunt Euangelistæ. Nanque ter Dominus dixit se esse tradẽdũ. Et inter primas duas vices, & postremã fuit mora, & temporis interstitium, vt locus & spacium daretur Iudæ, vtà tanto facinore desisteret perpetrando. At hic præfricta fronte, & plusquã lapideo corde, neque officijs allicitur, neque minis suppli cij æterni deterretur. Dominus enim supplicium illi tanti flagitij minatur æternum, dicens, Melius fuisset, si natus non fuisset ille. Neque temporis interuallum proficit, vt pœniteat eum Dominũ vendidisse, sed tenax propositi exit accepta buccella panis, quã Dominus intinxit, & porrexit illi: vt singularissimo signo amoris erga illum ostenso, ab immanitate tanti sceleris se retraheret. Namque non legimus alijs apostolis intinctã Dominum porrexisse buccellam, nisi proditori. Verum nec sic mollescit, sed in scelere induratur vehementius: nã capta buccella de manu Domini, continuo quod mente conceperat opere implet. Nam statim surrexit à cœna prodituras Dominum. Ex istis sequitur, quod cum legimus apud Ioannem hoc loco, apostolos hæsitasse, & inuicem se aspexisse stupentes in verbo Domini, Vnus ex vobis tradet me, hanc hæsitationem fuisse aliã ab ea, quam Matth. & Mar. referunt, fuisseque in postrema cœnæ parte. Vnde hîc Ioannes commemorat apostolos se aspexisse inuicem, quod alij non memorantur. ¶Iam verò, quis non videt, vt Vvicleffistæ, & alij hæretici, ex hoc Euãgelio confunduntur. Aiunt enim sacerdotes nullos esse peccatores, sed necesse est sacerdotium fundari in sanctitate, & iustitia? & alij amplius desipiunt nullam regiminis aut magistratus potestatẽ esse in homine peccatore.

¶Porro isti aduertant Iudam furẽ fuisse, docente Ioanne. At vero nihilominus erat Apostolus, & apostolica exercebat munera: & in collegio tolerabatur apostolico: & hunc tanquam apostolum honorat Christus, cœnando cum illo, & eius lauando pedes, & eum cibando corpore & sanguine suo. Et hunc non excludit Dominus, quando dixit, Hoc facite in meam commemorationem: sed ipse Iudas à tanto munere se excluſit, laqueo se suspendens.

¶Quocirca si Iudas fur erat, & Dominũ tradiderat, & nihilominus apostol⁹ erat, numero quidẽ etsi non merito, quia indignus erat apostolatu, quid quod multi sint sacerdotes, multi episcopi, numero quidem sacerdotes, & episcopi: quia verè habẽt ordinem sacerdotum & episcoporum, merito tamen nõ sunt tales, quia indigni sunt sacerdotio, vel episcopatu? Itidem dicito de magistratibus secularibus. *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis.* Non satis liquet quis hic recubitus fuerit in sinu Iesu. Etenim non possumus hunc recubitum dicere esse, vt recumbimus sedentes super sedem, aut scãnum. Et rursus varietas est in hoc recubitu, quia modo ait, Ioannes in sinu, quem vocant Græci κολπος vt hoc loco scribitur à Ioanne, Et significat sinum. Sinus autem idem est quod ala, vel ascella, vel axilla, & est concauitas sub iunctura brachij. At nõ est peruium vt Ioannes recubuerit sub cõcauitate brachij Christi. Nisi dicamus, quod ideò dicitur ibi recubuisse, quia collocauit Ioãnes caput suũ sub hac concauitate dominici brachij, id quod fieri nequibat, nisi Dominus leuasset suum brachium, & reciperet Ioannis caput sub suo amplexu. Cæterum post modum scribit, se recubuisse supra pectus Domini. Græcè autem est, Cum incidisset supra pectus Iesu: vt autem fuit hæc incidentia non est apertum. D. Augustinus idem arbitratur esse intelligendum per sinum, quod per pectus. At verò græca vocabula apud Ioannem sunt diuersa. Scilicet κολπος & στηθος primũ

sinum

sinum significat, secundum autem pectus, & in sinu recubitum per vocē aliā expressit, & per aliam recubitum supra pectus, scilicet, per græcum quod scripsit participium, ἐπιπεσών, ideſt, incidens. Quocirca videtur dicendum, hunc recubitum non fuisse aliud quam cohærentiam capitis Ioannis, ad sinum Christi, in principio. Dein vero Ioannes produxit amplius caput, vt hæreret ad Christi pectus, vel inclinauit caput ad Christi pectus, vt Christo cœnanti, non fuisset impedimento. Theophilactus inurbanum & rudem, credit fuisse Ioannē, quia ausus fuerit super pectus Domini incidere, quia nihil adhuc magnum de Christo sentiebāt, neque erant edocti dignum reuerentiæ honorem exhibere. Piscatores enim erant, & officij imperiti, permittit autem Dominus ei vt recumbat super pectus, mœrorem eius soluēs, & mitigans perturbationem mentis eorum. Ego vero, non ruditati hoc tribuo, sed maximæ dilectioni. Nam si Petrus reueritus est Christum sub initio apostolatus, Luc. 5. dicens, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, equidem multo magis postea: idemq; videtur de Ioanne dicendum.

¶Non autem nominat se Ioannes dicēs se recubuisse, sed sub tertia persona se nominat, dicens, Discipulus ille, quem diligebat Iesus, vt sæpè Moses fecit. Et Paulus. 2. Corin. 11. Scio hominem in Christo, id quod scripturæ veritati, & magnę est tribuendum humilitati.

¶At diligebat Iesus omnes discipulos, vt diligit vniuersa, quæ fecit. At verò quia signa dilectionis frequentiùs demōstrabat Ioanni, quam cæteris apostolis, ideò ait, Discipulus ille, quem diligebat Iesus. Et equidem quando alia dilectionis signa desiderarētur, quod modo scribitur ab ipso Ioanne, est symbolum singularissimæ dilectionis. Non enim auderet Ioannes, se insinuare in sinum Iesu, aut se inclinare ad pectus Iesu, coram omnibus apostolis, nisi pristina familiaritas audaciā ei præberet. Vnde est quoque liquidū, tunc Petrū nō fuisse iuxta Iesum sedentem, sed sedisse iuxta Ioannem, forsan quia Dominus dixerat, Qui maior est inter vos fiat sicut minor, quia si non sederet iuxta Iesum, nō potuisset recumbere in sinu eius. Imo Petrus si esset prope Ioannem, nō innueret Ioanni, vt disceret à Domino, quis esset Domini proditor: quippe posset, absque nutu, ab illo secreto petere, vt disceret. Quis autē ordo fuerit seruatus tunc in sedibus apostolorum, non patet. *Ille est, cui ego intinctū panem porrexero.* Mira Ioannis ad Christū familiaris amicitia: quia ille solus audet scrutari Dominum de occulto proditore, & illi soli Christus pandit arcanum. Et Petrus non audet, non quia inferior Ioanne, superior namq; erat, at aliàs passus fuerat repulsam: idcircò non audet modo, Ideo per sibi charum & familiarē Ioannem discere tentat, quod ipse per se scisciari non audebat. Græcè non habetur, panem, sed buccellam ψωμιον. Erasmus transtulit offam, & offam ait esse panis frustum intinctū in iure: tametsi alij credant offam, aut offellam, non esse panis frustum solum, sed conditum aromatibus quibusdam, & intinctum in iure pingui, cum caseo veteri, & piperi, aut esse massam, seu pultem. Qua propter vulgatus interpres transtulit buccellam. Verum Laurentius illi aduersatur dicēs, oportuisse eum semper idem transferre, & non variare: quia eadem vox Græca est semper hoc loco, quam dudum expressi. Verum primo transtulit intinctū panem, dein cum intinxisset panem, denique variat transferens, & post buccellam. At Erasmus, etiam variauit eiusdē vocis translationem. D. Augustinus, & post panem legit, & non post buccellā. At rectè fecit interpres noster, vt intelligeremus post comestum panem, diabolum introisse in Iudam: quod non significatur clarè, si dixeris post panem. Quare per psomiō Græcum buccellam oportet accipere intinctam: tametsi Euangelista non expressit si in iure fuit intincta, aut si in liquore alio. Et enim quando legimus apud Matth. Qui intingit mecū, &c. quod tunc intelligamus forte esse intinctas lactucas agrestes, cum quibus comedebatur agnus, non erit absonum. At verò modo, est sermo expressus de pane intincto: ideo si in iure vel quouis alio fuerit intinctus nō constat ex Euāgelio.

¶Credibile est mihi consuetudinem esse regionis illius in huiusmodi cœnis offellam illam comedere in fine cœnę, quā tamen

Homi. 61. in Ioannem.

Exod. 12.

Impij & ingrati ex beneficijs animãtur ad maiora perpetranda facinora.

tamen Dominus, vt traderet Iudam ad pœnitentiam, Iudæ dedit. At fuit ea hominis pernersitas, vt post buccellam, ad facinus exequendum magis proritaretur. *Post buccellam*, Græcè, *post buccellam, tunc introiuit in eum Satanas.* Non fuit buccella causa diabolici ingressus in Iudam: buccella namque intincta, nihil noxæ habebat, neque illa traxit diabolum in cor Iudæ. Sed significat Euangelista, quod postquam Iesus signa dilectionis cõsum masset exhibita Iudę, quorum consummatio erat, illi soli porrigere offellã manu propria intinctam, tunc ipse ingratus & impius in Domini largissima erga eũ beneficia, consummauit etiam suam impietatem. Et hoc significat quando ait, *Post buccellam introiuit in eum Satanas.* Hoc est, diabolus tunc perfectè Iudam posse dit, habens Iudam iam in suum mancipium, ducẽs eum quo diabolus volebat. Primo autem dixerat Ioannes, Cum diabolus iam nisisset in cor Iudæ, nunc ait, Introiuit in eũ Satanas. Plus est introire in cor diabolum, quam immittere in cor. Namque hoc est instillare per suggestionem malignum opus: illud vero est, iam deducere in exitum, quod animo est cõceptum. ¶ Forsan te mouebit dubium, quod se se insinuat ex hoc Euangelistæ verbo. Nunquid buccella illa fuit Christi continens corpus, aut fuit panis communis? Enimuerò vulgatum est multis scriptoribus ex theologica classe, in buccella illa, non fuisse corpus Domini, sed fuisse communem, vel vsualem panem. Et hoc colligit Nicolaus, quia de consecratione distin. 2. cap. cum omne, prohibetur, ne Eucharistia intingatur: ne vè porrigatur intincta. Verum hoc argumentũ dicet aliquis esse nullius momenti, quandoquidem Dominus tum cœnatis iam dedit corpus suum, id quod modo nefas est. Ad hæc in cap. Presbyter. eadem dist. notat glossa nonnunquam licere asseruare Eucharistiam intinctam pro infirmis.

Iudę sub buccella intincta corpus Iesu porrectum.

¶ Et equidem Augustinus buccellam illam esse Eucharistiam expresse videtur testari Homilia. 62. in Ioannem, cuius verba sunt hæc, Ita ne hoc meruit panis porrectus de mensa Christi, vt post illũ intraret in discipulum Satanas? Quibus respondemus, hinc potius nos doceri, quam sit cauendum malè accipere bonum. Et infra, Si enim corripitur, qui nõ dijudicat, hoc est, non discernit à cæteris cibis Domini corpus, quomodo nõ damnatur, qui ad eius mensam fingẽs se amicum, accedit inimicus? Et ante hæc alia scripsit ibidem apertiora verba. Quid ergo, ait, miraris si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas è contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? ità & malo bonum obfuit, & malum bono profuit. Quæ verba videntur cum alijs quæ ibi scribuntur perspicua, quæ doceant, buccellam illam fuisse Eucharistiam. Hoc idem dogma Cyrillus videtur amplecti libr. 9. commen. in Ioannem. cap. 16. Nemo putet, ait, panem illũ diabolici fuisse causam ingressus: nemo ita insaniat, vt benedictionem tanti causam mali arbitretur. Et infra docet diabolum maximè vires suas augere in eos, qui mysticam benedictionẽ spernunt, per mysticam benedictionem, vel per benedictionem Eucharistiam intelligens. Hoc enim sibi vult Eucharistia, benedictio, seu gratiarum actio. Idem videtur Origeni placuisse indicante Tho. in catena. Non inepte, ait, dicetur, quod sicut qui manducat panem Domini, aut bibit eius sanguinem in præiudicium sibi comedit atque bibit, sic panis à Iesu datus alijs fuit ad salutem, Iudæ in damnum, vt post panem intrauerit in eũ Satanas. ¶ Verumtamen non hoc dogma probatur multis, vt dicebam. Vnde Rupertus. lib. 11. comm. in Ioannem, prorsus negat buccellam illam fuisse panem consecratum à Domino. At Rupertus ex falso hoc deduxit fundamento. Credit enim Iudam non fuisse participẽ Eucharistiæ, sed antequam Dominus consecraret panem in corpus suum, ipsum iã exisse à cœna agni paschalis, & abijsse ad Iudæos, vt proderet Dominum: id quod Theologis vulgo non probatur, vt supra annotabatur. Vnde Augustinus Homilia. 62. in Ioannem hoc placitũ reprehendit dicens, Non autem, vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim, quod iam eis omnibus distribuerat Dominis sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas

Rupertus nõ probatur.

erat,

erat, sicut sanctus Lucas euidentissimè narrat. At dicet aliquis, Et quomodo Augusti. sibi constat, qui dudum dixerat Dominum Iudæ panem intinctum porrigens Eucharistiam porrexisse? Dixerim Augustinum non dixisse simpliciter, sed ex hypothesi esse locutum, admisso, videlicet, quod quidam existimabant, quod Dominus per panem intinctum, porrexerat Eucharistiam. Tunc inquit hoc admisso, quod diabolus intrauerit in Iudam post buccellam non fuisse vicium Eucharistiæ porrectæ, sed esse vicium sumentis: qui animo inimico illã sumpsit. Nam qui non inimico, & hostili animo, Eucharistiam sumit, non dijudicando tamen eam à cibis cõmunibus, corripitur: multo fortius igitur damnabitur, qui illam hostili animo acceperit. Et equidem hoc mihi multo probabilius videtur Iudam tum per buccellam, non accepisse corpus Christi.

August. exponitur.

Iudas per buccellam intinctam nõ accepit Corpus Christi.

¶Primoquidem, quia Dominus nulli singulariter dedisse corpus, & sanguinẽ suum legimus, sed consecratis pane & calice dixit, Accipite & diuidite inter vos. Itaque apostoli sibi distribuebant corpus & sanguinem Domini. Nunc autem Dominus singulariter dedit panis offam Iudę. Vnde videtur hanc buccellã non fuisse Eucharistiam.

¶Secundo quia Dominus consecrando panẽ, simul consecrauit calicẽ, vt Matth. 26. Marc. 14. Lucæ. 22. testantur. At verò, vt modo Ioannes commemorat, buccellam solum intinctam dedit Iudæ, & non fit commemoratio calicis: ergo buccella illa non fuit consecrata, sed vsualis panis intinctus, quem Dominus dedit hosti suo, vt vel sic liquarentur viscera hostilia. At stupenda hominis durities, qui sciens se à Domino esse cognitũ proditorem & vidẽs nihilominus, quod ipse Dominus, eximia in ipsum collocabat beneficia, vehementius nihilominus indurabatur.

¶Quarto, quia consecratio Eucharistiæ, non fuit in fine cœnę, sed in medio, nam Matth. ait, Cœnantibus autem illis. Verum hæc panis intincti porrectio fuit in fine cœnæ, quia continuo exiuit Iudas vt Dominum proderet, vt Ioannes ait, quia iam nox erat. ¶Hinc colligere licet, Eucharistiam non esse negandam secretis peccatoribus. Sunt sanè admonendi clanculum à parochis vt abstineant, à sacra communione: porrò si se ingerunt publicè, ad mensam Domini non sunt abigendi, ne scandalo sint alijs videntibus. Publicos autem peccatores, & arcere, & abigere fas est, vt nos in. 4. senten. vberius tradidimus. *Et dixit ei Iesus, quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei.* Non imperat Dominus facinus committendum à Iuda, quia Deo authore nemo fit deterior. Et authore Iacobo, Deus intentator malorum est. Porrò Cyrillus verba esse imperantis præferre videtur. Non quod imperet Christus Iudæ, sed diabolo, qui iam possederat Iudam. Vnde inquit, Tuum opus quod facis, fac citiùs ò diabole. Prophetas occidisti Iudæorum animos ingressus: lapidibus eos petijsti, qui salutarẽ Iudæis doctrinam ministrabant: nemini qui à Deo missus est pepercisti: veni post illos ego, vt errantes reducam á tenebris, &c. Quare quod solitus es facere, nunc facito. Porrò verba Domini ad Iudã diriguntur apertè, & non ad diabolũ, etsi diabolus tanti facinoris erat instigator, & incentor. Vnde etsi videntur imperãtis esse verba, Quod facis, fac citius, sed nõ sunt. Potius enim sunt verba abominantis patrandum facinus. Qui enim vehementer opus abhorret impiũ, quod alij facere decreuerunt, ipsis contra consulentibus, hoc sermone vtuntur, Facito igitur cito siquidem obstinato animo cõsilia retrahentia non audis. Et potius est sermo dissuadens sermo hic, quam suadens. ¶Vel aliter si mauis apertius est locus hic exponendus. Quod tu Iuda decreuisti, animo obstinato facere, tibi iam permittitur cito facere. Quasi dixisset Christus, Non te deliniui officijs, non te terrui supplicijs, ne tantum patrares cõtra me scelus: tuę igitur obstinationi iam permittitur, vt se prodat in desideratum opus. Siquidem mihi prohibenti non acquieuisti, tibi repugnanti mihi te permitto, vt facias quod voles, & quam cito volueris. Est autem consueta phrasis scripturæ hæc, Indurabo cor Pharaonis, idest, permittam eũ obdurari. Tradidit eos Deus in reprobum sensum, idest, permisi sunt suo reprobo abundare sensu. Quod enim Deus nõ prohibet, aliquãdo

Publici peccatores arcẽdi & abigẽdi à sacra mẽsa.

facere

facere dicitur, quia illud permittit, vt fiat. Ita modo, Quod facis, ideſt, diſponis facere fac: ideſt, permittitur tibi, vt facias: permiſsio igitur eſt, non iuſsio.

Sæpè Deus ob quædam peccata labi permittit in alia grauiora, & alioqui grauiſsima.

¶Et obſeruare interim licebit, vt Deus noſtris exigẽtibus malis meritis, nos permittit nonnunquam ruere in immania delicta, vt modo cernimus: quia dimiſsus Iudas eſt à Deo labi in atrociſsimũ, & nefandiſsimum peccatum vendendi, & prodendi Dominum. Quod ſi peccatum eſt ſæpè pœna alterius peccati, qua le putas fuiſſe peccatum Iudæ ob quod lapſus eſt tam grauiter? Vtique hæret in hac re animus, nam quod cogitabis delictum tam atrox, quod commeruerit proditionis huius atrocitatem? Niſi dixeris auaritia correptum Iudam, odio habuiſſe Chriſtum: & in pœnam odij capitalis, permiſſus eſt labi in facinus commemoratum. *Hoc autem nemo.* Hinc collige Chriſtum Ioanni ſecreto indicaſſe, proditorem ſuum eſſe Iudam. Itaque verba illa, Cui ego porrexero panem intinctum, &c. non fuerunt publicitus coram apoſtolis dicta, ſed Ioanni duntaxat recumbenti: cui recumbenti ſupra pectus Domini ſilentio poterat Dominus illa dicere, abſque eo quod alij aſtãtes perciperent. Verum dicet aliquis. Sine cauſa igitur Petrus innuit Ioanni, vt proditorem diſceret à Domino, ſi ipſe nihil reſciuit. Dicito quod forte Petrus aſpiciens Ioannem, non turbatum, ſed placidum & quietum intellexit, quod ipſe Petrus non erat proditurus Dominum. Quia quanuis ſibi benè cõſcius erat, at potuiſſet ex verbo Domini ſuſpicari de ſe malum, ne forte ipſe eſſet: & hoc ſuffecit Petro, vt mentem pacatam haberet.

Chriſto pauperi magna fuit cura alẽdi pauperes ex ſua paupertate.

¶De loculis autem Iudę, plura diximus ſupra, quæ huc non ſunt vocanda. Sat ſit annotaſſe quanta erat cura Domino pauperum: quia ex ijs, quæ ſibi dabantur à deuotis perſonis eum ſectantibus, miniſtrabatur pauperibus. Vnde cogitauerũt apoſtoli Dominum modo dixiſſe Iudæ, vt pauperibus eleemoſynam erogaret. *Quidam autem putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus, Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis aliquid daret.* Patet ex prioribus. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam exiuit continuo: erat autẽ nox.* Expendit Origenes, verbum, Accepiſſet: non enim ait, commediſſet, ſed, accepiſſet. Quid ergo, inquit, Iudas non comedit panem porrectum à Domino, ſed accepit eum? Vnde hoc videtur Origeni Iudam non eſiſſe, ſed accepiſſe panẽ, vt comederet. Procurante autem diabolo non comedit. Timuit enim diabolus, ne ſi comederet panem illum, ex efficacia panis, quod ipſe diabolus perſuaſerat Iudæ, de prodendo Chriſto & immiſerat in cor eius euaneſceret. Ideo retraxit diabolus Iudam ab eſu panis, quem acceperat ad comedendum, ſed accepto pane ante eſum continuo exiuit.

¶Sunt autem verba Origenis, vt indicat 1 hom. in catena. Poſt panẽ enim forſan acceptum à Iuda, non eſum, qui ſemel in cor eius immiſerat, vt magiſtrum prodat, timore ductus ne quod immiſſum fuerat euaneſceret vſu panis, quam cito panem Iudas recepit, introiuit in eum, & ſtatim domum exceſsit. Et facile denotat Origenes his verbis, buccellam intinctam fuiſſe conſecratum in Domini corpus panem: nam ait, diabolum vſum huius panis timuiſſe.

¶Cæterum difficile eſt hoc Origenicũ dogma: quia etiam ſi illi donemus fuiſſe panem illum conſecratum, quod tamen non fuiſſe ſupra diſſeruimus, nihilominus, quia hunc panem conſecratum Iudas accipiebat indigniſsimè, nõ erat cur comeſti panis vſum timeret diabolus. Imo comeſtio illius panis, non euaneſceret, ſed iuuaret potius diabolicas immiſsiones: quia indigne manducans iudiciũ ſibi manducat.

¶Porrò, apud alios ſacros ſcripturæ tractatores, Iudas accepit panem à Domino porrectum & comedit. Vnde Auguſtinus, Panis deſcendit in ventrem, & diabolus deſcendit in Iudæ mentem. Et ſæpe in ſermone familiari vſurpamus accipere buccellam, pro eo quod eſt comedere buccellam. Poſt comeſtam igitur buccellam exiuit Iudas continuo. Poſtquam enim diabolus Iudæ cor poſſederat, Iudam ducebat, vt mancipium. Ideo inſtigauit, vt deſereret ſtatim apoſtolicũ collegium, timens ne forte verba Chriſti, & aſpectus eum reuocaret ad pœnitentiam. Quia igitur tenebras iam amabat Iudas, continuo deſeruit lucẽ Chriſti. Et quia factus fuerat diaboli diſcipulus,

lus, spreuit continuo Christi disciplinã. Deserit apostolos lucis & vadit ad principes tenebrarum. Ideoq; in nocte exit, quia opus tenebrosum facturus exit. Adulteri oculus obseruat caliginẽ, vt Iob ait: & huius apostatę oculus, expectabat noctem, vt lucem proderet tenebris. Tales sunt omnes hæretici qui possessi à Satana ecclesiam Dei deserunt, ab illa nanque exeunt per excõmunicationis apostolicæ vigorem, quia indigni sunt communione lucis, qui ipsam lucẽ spernunt. De quibus Ioannes ait, A nobis exierũt & non erant ex nobis. Exierunt sanè ab ecclesia, at ex ea exierunt, quia nõ erant veri filij, sed mendaces ecclesiæ filij.

ENARRATIO. III.
In caput decimumtertium.

¶ *Cum ergo exisset dixit Iesus, Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum.*

SVbmoto filio tenebrarũ, à lucis societate, Iesus ait, Nunc est clarificatus, hoc est glorificatus filius hominis. Consueta appellatione se appellat filium hominis. Nõ quod alius sit filius hominis, alius filius Dei, vt hæretici putabant antiqui diuidentes in Christo diuinã ab humana persona. Est sanè vnus & idẽ filius Dei, qui est filius hominis. At verò filius Dei in se & ex se clarificatus est, quia æternus est Deus ab æterno Deo genitus. At non ex se clarificatur filius hominis quatenus homo est, sed, qui clarificatur filius hominis à filio Dei clarificatur. Et clarificatio hæc est, quia is ipse, qui est filius Dei, demonstrauit se esse filium hominis. Et tunc clarificatus est filius hominis quando ostensus est esse filius Dei.

¶ Neque potuit aut poterit cogitari claritas, seu gloria maior, quã sit hæc, quod filius hominis, seu persona humana, ipsa eadem numero sit diuina persona. Et homo ex Maria genitus secundum carnẽ, is ipse sit Deus genitus à Deo secundum diuinitatem.

¶ Porrò sciscitabitur quispiam, Quid est quod ait, Nunc clarificatus est filius hominis, quinimo videtur quod tunc Dominus fuerit valde obscuratus? Nanque fuit captus à Iudæis, illusus, flagellatus, & demum crucifixus? Quod si dixisset fuisse clarificatum ante hac, nihil dubij concipi potuisset. Fuit enim ab angelis sub natalibus suis decantatus, à Magis adoratus, sub baptismate à Deo patre glorificatus verbis illis, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè compla cui, ipsum audite. Præter hæc diabolum expellens ab obsessis, turbas innumeras mirabiliter in deserto pascens, mortuos suscitans & denique quatriduanum Lazarum ad vitam reuocans fuit impensissimè clarificatus. Adeò, vt turbæ iubilãtes illi acclamarent, Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. ¶ At vero nunc nihil horum accidit, sed diuersum: quia capitur Dominus & sistitur tanquam reus coram Põtio Pilato, & Caypha, &c.

¶ Cæterum Dominus dicens, Nunc clarificatus est filius hominis, non ad præsentes, quas tunc sustinuit passiones respexit, sed ad futuram sui gloriã ex passionibus prouenientem. Enimuero ipse supra dixerat, Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me.

¶ Ignominia igitur crucis Christi, versa est in summam eiusdem gloriam. Vnde Paulus, Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur. Clarificatus est Iesus igitur per mortem suam, quia ex morte surrexit victor de baratro, & ascendit in cœlum: & sedit ad dexteram Dei patris. Et nõ solum est in seipso clarificatus, sed etiam in corpore suo mystico. Quippe omnes fideles ex ipso, & per ipsum clarificantur. Nam de plenitudine eius omnes accepimus. Ioã. 1. At in hoc suo corpore quod est ecclesia clarificatur, quia gloria Christi clara est omnibus fidelibus: non quod sit euidens, sed quod ex fide accepta vniuersi fideles clarificant Christum credẽdo ipsum esse verè Deũ, & hominem, qui sua passione orbem asseruit à tyrannide diaboli. Hanc claritatem, seu honorem summum, non habuit Christus quousque per apostolos diffusum est nomen eius in omnes gentes. Et quia hoc prope erat, vt fieret, ideo Ad Phil. 2.

air

ait Dominus, *Nunc clarificatus est filius hominis.* Quoniam de proximo accingendus reputatur pro accincto, & de proximo glorificandus reputatur etiã pro glorificato.

Christus etsi ante mortem fuit clarificatus, nõ tamẽ plenè, vt post mortem suã.

¶Porrò forsan obijcies, Christus lux est, non ergo eget clarificatione. Vtique in se lux est, neque homines Christum glorificantes, Christum augent in seipso: at verò augẽt eius gloriam in humanis cordibus. Et hac glorificatione nõ eget ipse propter se sed propter nos. Clarificatus demum est Christus ante mortem suam miraculis coruscans: at vero non omnino clarificatus, vt post mortem suam. *Et Deus clarificatus est in eo.* Hoc est, Deus pater est clarificatus per Iesum filium suũ. Quippe, etsi Deus secundum suam diuinitatem esset glorioſus apud fideles homines, ante Christi aduẽtum in orbem, verumtamen Dei patris gloria non refulsit orbi nisi per Christum, docentem se esse filium æterni patris. *Et Deus clarificauit eum, &c.* Vtique Deus pater glorificauit filium in seipso, hoc est, Deus pater ostendit Christum esse filium suum ex propria substantia, non ex nihilo genitum. Et istud est glorificare filium in semetipso: sanctos enim suos glorificat extra se, at filium in seipso, quia filius, quẽ glorificat, est sibi consubstantialis. Nanque hunc hominem Christum glorificauit, cum demonstrando esse Deum sibi consubstantialem, vt taceant hæretici Arriani obgannientes, Christum nõ esse verum illum Deum. Si non est Christus verbis Deus, quomodo glorificatur in ipso vero Deo, & non extra ipsum verum Deum. Hinc discamus Deum glorificare: quia si per nos Deus glorificatur, De⁹ quasi rependens vicem glorificabit nos. *Et continuo glorificabit eum.* Quippe statim post mortem, & resurrectionem Domini, apostoli prædicauerunt Christi diuinitatem, & pœnitẽtiam in nomine eius. Et clara voce, vt acta Aposto. indicant resonarunt, non esse datum hominibus nomen sub cœlo aliud, nisi nomen Iesu, in quo oporteat homines saluos esse. *Filioli adhuc modicũ vobiscum sum, quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quo ego vado vos non potestis venire, & vobis dico modo.* Apostolos filios vocat modo, quos post resurrectionem appellat fratres, & ante apostolatũ erant serui. In nomine autem hoc filioli, adhuc apostolorum imperfectionem denotat, vt Paulus Galatas vocat filiolos. 4. cap. Filioli mei, quos iterum parturio, donec in vobis formetur Christus. Quibus sanè verbis infirmitatem spiritualẽ Galatarum subindicat Paulus. At Ioannes. 1. catholica frequenter suos discipulos filiolos vocat. Fortè non est semper necessarium hoc nomen significare imperfectionem virtutis, quia aliquãdo poterit significare amoris suauitatem: quia huiusmodi diminutiuis appellationibus amoris suauitas ab amãtibus dulciter in suos caros demõstratur vt. 1. Ioã. 4. victores diaboli, filiolos vocat. Vnde Cyrillus, non eò Dominum vocasse suos apostolos modo filiolos credit, quòd in eis esset imperfectio virtutis, sed quia omnis virtus, vel sapientia Deo comparata modicum est. Idcirco vocat eos filiolos quippe, etsi alioqui perfecti essent Domino dicente, Iam vos mundi estis, cæterum pusilla est hominis perfectio Deo collata. Quoniam omnis creatura ante ipsum, Sapientiæ. 11. sicut momentum stateræ est, & sicut gutta roris antelucani. *Adhuc modicum.* Modicum inquit, vel quia mox erat subtrahendus per capturam & sequenti die crucifigendus. Aut quia postquam triumphator ascendit de sepulchro quadraginta solum diebus cõuersatus est cum discipulis suis. Neque obstat quod Matth. 25. scribitur, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Enimuero, Christus semper adest fidelibus suæ diuinitatis speciali prouidentia, & assistentia: tametsi secundum carnis præsentiam abest, postquã assumptus est in gloriam Dei patris. Iam enim non est visibilis oculis corporis, neq; tractabilis, sed solum oculis fidei, per quam credimus præsentem esse realiter sub velamento sacrorum accidentium, & panis & vini.

Filioli non solum imperfecti, sed etiã perfecti, in scriptura vocantur.

¶Modicum ait, igitur vobiscum sum loquens & agens, & mortali vita viuens, vt vos viuitis. At resurgens à mortuis, & vita immortali fruens, adhuc modicũ ero vobiscum mortalem vitam degentibus. Verum postquam exueritis vitam mortalem, & nouam & immortalem induetis, iam mecum non modico tũ eritis sed sempiterno: quia patrem meum

rogaui

rogaui dicens, volo pater, vt vbi ego sum illic sit & minister meus. *Quæretis me.* Hoc est desiderabitis me videre, & habere sensibilem meam protectionem, vt solebatis. Torquebunt enim vos perfidi homines, & variè diuexabunt: & tunc in pressuris vestris me quæretis, hoc est, meum patrocinium implorabitis maximo studio. *Quò ego.* Vado sanè ad mortē modo. Propter salutem orbis, innocens patiar, vt nocentes absoluam, & vos modo, quia infirmi estis non poteritis pro me subire mortem, vt ego subibo pro vobis: quousq; spiritus sanctꝰ vos roboret, vt pro me patiamini. Tūc sanè quo ego vado modo ad crucis, scilicet, ignominiā, me clarificantem, poteritis peruenire: & calicē, quem ego modo bibiturus sum, bibere poteritis, & de facto ad gloriam meam bibetis. *Et vobis dico modo.* Quia dixerat, Quo ego vado non potestis venire, ne putarent apostoli perpetuo separandos esse à Christo, adiecit modo, id quod supra Iudęis nō dixerat. Ait enim, Adhuc modicum tempus vobiscū sum: quæretis, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire: vbi nō adiecit modo, verū discipulis loquens, vt eos cōsolaretur, adiecit, modo: insinuans, q̄ aliquando ituri erant quò Christus ibat.

ENARRATIO. IIII.
In caput decimumtertium.

¶ *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: & vt vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicē.*

QVIA paulo post erat capiēdus à Iuda proditore, & à satellitibꝰ Iudęorū, & subtrahendus à conuersatione apostolorum, vnū est quod memoratur Dominus, & hoc vnum iam in vltimis agens tēporalis consuetudinis infigere maximopere curat apostolorum suorum mentibus, nēpe vt dilectionem & charitatem mutuam seruent.

Solius charitatis Christꝰ discedens ab apostolis mādatum dedit.

¶ Et merito huius solum meminit, quia summa religionis Christianæ charitas est, quam summopere Paulus commendat. 1. Corin. 13. quia hac submota, vniuersa frigent coram Deo. Hanc ergo solam voluit Christus esse symbolū Christianæ disciplinæ, dicens modo. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, &c.* Neq; symbolum esse voluit huius disciplinæ operationem miraculorum, aut eleemosynarum largitionem, aut sacramentorum dispensationē, aut gratiarum aliarum ostensionē, sed solum mutuā dilectionem. ¶ Porrò dilectio alia est, quā natura ipsa parit, qualis est dilectio consanguineorum. Etenim naturaliter pater diligit filium, & contra, & consanguinei sese inuicem diligunt natura illud monente. ¶ Alia vero est dilectio ex voluntate dimanans, qualis est amicorū dilectio. Rursus est alia dilectio, quam ipse status personarū admonet, vt vir vxorē amat, & contra, & Dominus amat sibi familiares, & contra familiares Dominū. Verū istæ dilectiones, quas vel natura, vel status, vel voluntas producit, non sunt dilectio ea, quam Dominus modo mandat. ¶ Quocirca ait, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem quemadmodum dilexi vos.* Hoc est, Istud est quod mando vobis, vt inuicem vos diligatis, non propter natiuam inclinationem, non propter status, aut aliam quamuis necessitudinem, aut vitæ cōsuetudinem, sed propter me inuicem diligite. Hæc nanque est dilectio charitatis, quæ non diligit propter visibilia, creata vē bona, sed in ipsum fertur rapido cursu inuisibilem Deum, quē propter se diligit, & omnia alia à Deo propter ipsum Deū. Nō autē pugnat cū charitate, parētes aut consanguineos, aut amicos, &c. diligere, imo hoc charitas ipsa monet. Pugnat tamē cū ea, si hæc creata propter ipsa diligamus. Charitas enim à Deo exit, & ad Deū vadit, & in ipso solo cōquiescit. Cętera vniuersa sine Deo, illi nō sunt amica, & solus Deus sine vniuersis alijs, illi sufficit. Hacq; charitate nos dilexit Christus, quia cū inimici essemus per sanguinē suū nos recōciliauit Deo patri. Neque nos dilexit, quia nos dignieramꝰ hac dilectione, imo quia prius nos dilexit, ideo nos fecit dignos suę dilectionis. Talem ergo poscit à nobis dilectionē in fratres qualē ipse nobis exhibuit. Ideo ait, vt diligatis inuicem, quēadmodū dilexi vos. Non possumus autē nos pro nostra fragilitate, sic diligere fratres, vt Christus nos dilexit: ipse

Dilectio alia ex natura alia ex voluntate alia ex status conditione.

nanque ſumma charitate nos dilexit, quam ſummam nos non habemus, neque á nobis hanc ſummam ipſe expoſcit: ſed hoc vnum intendit, vt dilectio qua nos dilexit, ſit exẽplar & forma noſtræ in fratres dilectionis: & ad illam curemus noſtram referre dilectionem.

Dilectio Chriſti qua dilexit homines, eſt exemplar noſtræ quam debemus dilectionis in fratres

¶Porrò dicet aliquis, quale eſt, quod ait, *Mandatum nouum do vobis, &c.* Qua ratione vocat nouum, quod eſt alioqui vetuſtiſsimum mandatum in lege veteri promulgatum, vt Matth. 22. eiuſdem fit mentio? Auguſtinus hunc ſcrupum ſoluit dicens, nouum eò dictum, nõ quia recens, ſed quia mentem renouat. Charitas enim operit multitudinem peccatorum: ideo mentem renouat, ſola charitas. Vnde Magdalenæ dicitur Lucæ 7. Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum. Vnde extat apud Ioannem. 5. Et nunc rogo te Domine, non tanquam mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum. Et hic locus ſuffragari videtur Auguſtini expoſitioni, quã gloſſa ord. & Nicolaus ſequuntur.

¶Theophilactus vero aliter ſcrupum hunc diluit dicens, vetuſtiſsimum eſſe legis mandatum, vt diligamus proximũ, quoniam lex ait, Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. At proximus eſt, cui dilectio debetur Lucæ. 10. Proximus ſaucij fuit, qui fecit cum illo miſericordiam. At vero hoc eſt mãdatum nouum diligere proximũ cui nihil debeas.

¶Porrò forſan facilius res hęc aperietur ſi dixerimus, mandatum diligendi proximum antiquum eſſe: at mandatum diligendi proximum, quemadmodũ Chriſtus dilexit, eſſe nouum. Chriſtus autem dilexit nos cum inimici eſſemus, vnde erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et commendat Deus ſuam charitatem in nobis, quia cum peccatores ſecundum tempus eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt ad Roman. 5. Hoc igitur nouum eſt mãdatũ, vt nõ ſolum amicos, ſed etiam inimicos noſtros, quibus non ſolũ amoris nihil debemus ſed plurimum odij, propter Chriſtum tamen illis donemus iniurias nobis illatas. Dilectio igitur charitatis naturæ vires tranſcendit, quia Deũ, vt bonũ ſupernaturale, & beatificũ amat. Vnde & victrix eſt naturæ charitas, quia inimicos diligit propter Deum, quod natura horret, amare ſibi contraria. Et quanuis non ſemper actu charitas nos conſtringat ad diligẽdũ inimicos, ſemper tamẽ cõſtringit ſecũdũ animi præparationẽ. ¶Obſerua interim diligenter verba Domini hæc, quę vadẽs ad mortẽ ferẽdã crucis apoſtolis ſuis mãdauit, Mãdatũ, dicens, nouũ do vobis, vt diligatis inuicẽ, quẽadmodũ dilexi vos. Nõ ait, vt credatis in me, ſed, vt diligatis inuicẽ. Nõ ergo ſummũ mãdatũ fuit de fide habẽda, ſed de charitate exercenda. Quid ergo eſt quod oblatrant in catholicos neohæretici, vniuerſam hominis ſalutẽ ex ſola fide ſuſpendẽtes, cũ Dominus ſummã ſalutis humanę charitati tribuat, & hãc vt genitricẽ operũ ſanctorũ Deo que gratorũ, & hãc, vt omniũ iam iã moriturus apoſtolis ſeruãdã mãdat: id quod de fide nõ fecit? At verò ſi in ſola fide ſalus noſtra collocatur, fidẽ debuiſſet tum Dominus apoſtolis cõmendare, & non charitatem. ¶Quodſi deſipuerint, vt deſipiunt, dicẽtes ipſam fidẽ eſſe charitatẽ, aut habentẽ fidẽ habere neceſſario charitatẽ, cur ergo Paulus tria diſtinxit fidẽ, ſpẽ, & charitatẽ? Et quomodo maior eſt fide ipſa charitas? nunquid idẽ eſt maius ſe ipſo? Et quomodo Paulus ſecreuit fidẽ à charitate dicẽs, Etſi habuero omnẽ fidem, &c. Obſerua tamẽ circa prædicta Burgẽſem in caſtigationibus Lyrani dixiſſe eſſe hoc mãdatum nouũ non quia renouat mẽtẽ, quia hoc eſt baptiſmi, ſed propter cõſilia euãgelica, quę noua ſunt, ad perfectè diligẽdũ fratrẽ. Et putat hoc eſſe cõſilium quod Dominus ait, diligite inuicẽ vt dilexi vos, eſſe tamẽ mandatũ relatũ ad apoſtolos. Cæterũ Aug. homi. 65. ad Ioã. expreſsè hãc rationẽ docet nouitatis, quã ipſe reprehẽdit Burgẽſ. Prętera, Apoſtoli nunquã potuerunt diligere fratres, ita perfectè vt Chriſtus: igitur obligarat Chriſtus apoſtolos ad impoſsibile, quod hæreticũ eſt. Ideoq; hoc eſt mãdatũ & nõ cõſiliũ, nõ ſolũ pro apoſtolis, ſed pro omnibus fidelibus. Lege replicatorẽ cõtra Burgenſem. ¶At verò vt miſſa iſthęc interim faciamus, quia in 3. ſent. & in. 4. copioſius illa ſumus proſecuti, dicet interim aliquis, Quid eſt q̃ Dominus ait, Quẽadmodũ dilexi vos, ſiquidẽ nondum cum hæc diceret ſuderat ſanguinem,

Charitas Chriſtiana amicos & inimicos diligit.

Hæretici Lutherani confutantur.

guinem pro inimicis suis, & maximum, & vbertimum dilectionis officium tũc, nondum exhibuerat Christus. Cur ergo non dixit, Diligite inuicem, vt ego sum dilecturus vos fundens sanguinem, pro peccatoribus omnibus? Porrò, non hoc modo dixit, sed, Quemadmodum dilexi vos, siquidem etiamsi opere, non dum fuderat, at proximum erat, vt funderet sanguinem pro genere humano. Et quia hoc Christo semper fuerat decretum mori pro nostra omniũ salute, ideo ait, Quemadmodum dilexi vos, Reputans iam factum esse, quod proximum erat vt fieret. *Dicit ei Simon Petrus, Domine, quo vadis? Respondit Iesus, Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. Dicit ei Petrus, Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges.* Christus ibat ad mortẽ crucis, & ex morte crucis surgens à mortuis, iturus erat ad cœleste regnum. At Petrus neque poterat sequi Christum, tũc in morte, quia infirmus erat, & qui ad vocem ancillæ Dominum negauit, quomodo sequentia mortis tormenta sustinuisset propter Christum? Sed neque poterat sequi tũc Christum, ascendentem in cœlũ. Quippe ante agones superatos nemini conceditur gloriæ triumphus. Ideo ait Dominus, Sequeris postea. Nanque secutus est postea Christum, quia crucem sustinuit propter Christum. Et quia gloriosum reportauit triumphũ ex cruce, ideo palmam æternam cũ Christo obtinuit.

¶Poterat autem mori pro Christo tunc ante Christi mortem Petrus, simpliciter loquendo de potentia, sicut etiam illi septem fratres, quorum meminit Machabæorum historia, simul cum matre pro lege Dei glorioſiſsimè occubuerunt. Verum quia Christo erat nota satis Petri infirmitas, quam ipse quoque Petrus demonstrauit, Dominum ter negans, ideo Dominus ait, Non potes me sequi modo, sequeris autem postea. Quæ verba omnibus apostolis etiam dicta puta esse à Domino. Siquidem apostolica infirmitas Christum omniscium non latebat: quam ipsi etiam apostoli paulo post non obscurè demonstrarunt: quia omnes relicto eo fugerunt.

¶Petrus autem, feruidus Christi amator non loquitur prius expendens quid tulissent vires eius, neque loquitur submissè dicens, Si non possum Domine ex mea infirmitate, potero ex tua potenti gratia, sed absolutè sermonem præcipitat dicens, Quare non possum?

¶Amantium enim hic mos est, vt metiantur vires suas, non secundum veritatem, sed secundum sui amoris feruorem. Quod amant enim istud posse se existimant. Et tantus fuit Petri feruor amandi Christum, vt non aduerterit Christum dicentem, Non potes modo, sed Domino aduersatur dicens, Quare non possum? Cum tamẽ notum erat Petro Christum esse veritatem, quia ipsum audierat docentem, ego sum via, veritas, & vita. ¶Quocirca, quia insolentem Petrum fecit amoris feruor, Dominus permisit Petrum labi, vt in suo lapsu, verborum Christi veritatem agnosceret. Petrus ex amoris feruore insolentia deprompsit verba.

¶Putabat autem Petrus fortè Dominum ab Hierosolymis, vbi tunc erat, quando hæc dicebat, in alia Iudæorum loca, vel ad alienigenas esse profecturũ, quo Petrus suis viribus fretus, existimat secuturum Christum. Et simile est huic, quod cogitabant Iudæi Ioan. 5. Nam Domino dicenti, Quæretis me, & non inuenietis, subdunt Iudæi, Quo hic iturus est, quia non inueniemus? Nunquid in dispersionem gentium? Talia fortassis Petrus apud se agens dixit, Quare non possum modo te sequi. Thomas etiam audiens Dominum dicentem, se velle proficiscri in Iudæam putans, quod Iudæi erant Dominum interfecturi, si illò proficisceretur dixit, Eamus & nos, & moriamur cum illo. Ioan. 12. Verum Thomam non compescuit Dominus, & Petrum compescuit. Siquidẽ Thomas non contradixit, vt Petrus contradixit Domino dicenti, Non potes me sequi modo, & ipse dixit, Cur non possum sequi? Neq; cogitabat Petrus, quod prius Christus erat subiturus crucem pro ipso, quam ipse pro Christo. Et tantum abfuit, vt animam poneret pro Christo, quod territus à voce ancillæ, protinus negauit Christum. Aliud enim est iactare, aliud experiri vires. ¶Est autem nonnulla quæstio concordiã euangelistarum spectans. Quid est quod Matth. 26. & Mar-

& Marcus. 14. verba hæc Christi ad Petrum, & contra Petri ad Christum denarrant accidisse, Domino eunte in villam quæ dicebatur Gethsemani, postquam hymnum dixerat egressus cœnaculum, At vero Ioannes, & Luc. 22. in loco cœnæ scribunt verba hæc accidisse priusquam Dominus exiuisset à loco cœnæ vel à cœnaculo in montem Oliueti. D. August. lib. de euangelistarum consensu, nodum hunc extricat dicens, vel Lucam & Ioannem anticipando rem gestã scripsisse, non seruando illius ordinem, vel si ipse seruarunt, recapitulando alios euangelistas hoc gestum scripsisse, non seruando eius ordinem, contentos tantũ retulisse verba, quæ inter Dominum & Petrum acciderunt. ¶ Alijs arrisit, Ioannem scripsisse seruando ordinem rerum gestarum, alios verò euangelistas nõ itẽ: & ideo cæteri euangelistæ non seruant ordinem rerum gestarum à Domino sæpe, sed satis illis est scribere, quod tunc contigit. ¶ Sed quid nonne Lucas etiam idem tradit quod Ioannes, antequã Dominus cœnaculum, vbi cœnarat cum discipulis egressus fuisset, verba cõmemorata habuisse cum Petro? Quocirca, ego magis crediderim quod Augustinus ait, verba hæc, quæ Dominus habuit cũ Petro, fuisse non eadem semper, sed diuersa: vt ex denarratione euangelica satis constat. ¶ Vnde hæc quæ Ioannes scribit verba inuicem habita inter Dominum, & Petrum, fuerunt antequam exirent cœnaculũ. Verba autẽ quæ Matth. & Marcus scribunt: post exitum sunt habita. Quæ vero commemorat Lucas, etiam ante egressum à cœnaculo. Itaq; ter Petrus verbis magnificis suas iactabat vires ad sequelam & tutelam Domini, & ter fuit à Domino repulsus. *Ter me negabis.* Hilarius canone in Matthæum 31. tractans illa verba, Tristis est anima mea, videtur asserere Petrum non negasse Christum, sed solum hominem. Nam ait, Non noui hominem quia dictum aliquid in filiũ hominis remittetur, in Deũ vero non remittetur Matth. 12. & infra cano. 32. Idẽ testatur. Fulcrum eius est, quia Petrus nunquam dixit, Non noui filium Dei, quem prius crediderat, & agnouerat Matth. 16. sed solum ait, Non noui hominem. Quia tamen ex carnis infirmitate, inquit Hilarius, vel ambiguus extitisset amarisimè fleuit, recolẽs istius trepidationis culpam, se neque admonitum potuisse vitare. Et in expositione Psal. 52. ita Petrum excusat, vt testetur eum in hac negatione fidem non amisisse: sed constantiam credendi firmam, & inconcussam seruasse. Neque Ambrosius ab hoc placito videtur abhorrere lib. 10. commen. ad Lucam, vbi affirmat Petrum negasse Christum, vt purum hominem, idest, inficiatum fuisse Christum esse purum hominem, non tamen negasse esse Deum, & hominem. Et hac ratione explanat verba Petri non noui hominem, idest, esse purum hominẽ. Nescio, scilicet, hominem, quia scio Deum. In quam quoque sententiam videtur iuisse Leo Papa sermone. 9. de passione Domini: itemque Bernardus. Quibus omnibus astipulatur Prudentius, in hymno ad galli catum in hæc verba, Fleuit negator denique ex ore prolapsum nefas, Cum mens maneret innocens, animusque seruaret fidem. Hanc tamen piam Petri defensionem Hieronymus libr. 4. in Matthæum carpit. Vnde ait, Sic defendunt apostolum, vt Deum mẽdacij reum faciant. Et denique hoc commentum friuolum esse existimat. Augustinus verò hunc fauorem Petri, peruersum esse putat. Vnde ait, An apostolus Petrus, sicut eum fauore peruerso excusare quidam nituntur, Christum non negauit, quia interrogatus ab ancilla hominem se nescire respondit, sicut alij euangelistæ testantur expressius? Quasi qui hominem Christum negat non Christũ negat? Et hoc in eo negat, qui factus est propter nos ne periret quod fecerat nos: & infra, Per quid autem est caput ecclesiæ, nisi per hominem? Quomodo autem est in corpore Christi, qui negat hominẽ Christum? Sed quid multis immoror? non enim Dominus ait, Non cantabit gallus donec hominem aut filium hominis neges, sed donec me neges, Quid est me, nisi quod erat? & quid nisi Christus erat? Quidquid ergo eius negauit Christum negauit, Dominum Deum suum negauit. Lege homiliam. 66. in Ioannẽ. ¶ Verum tamẽ diceret aliquis, qui volet tutari priorem sententiã Hilariũ, & Ambrosiũ, nõ dixisse Petrũ negauisse hominẽ esse

Concordia Euãgelistarũ

Hilarius reprehensus à Hiero. & Augustino circa Petri negationem.

Sãctorũ dissidium in excusanda negatione Petri.

nē esse Christum, sed hominem purum. Ad hanc enim rationem, videtur sapere Ambrosius, Petrum dixisse, se nescire Christum esse hominem purū, quia credebat esse Deum, & hominem. At verò si hæc defensio placet, vtique Petrus nō negauit Christum, sed ipsum Germana confessione est confessus. Vbi ergo veritas verborum Christi, priusquam gallus cantet ter me negabis? Ter me negabis est, ter meam personam negabis, persona autem Christi est diuina, & humana: ergo Petrus hanc diuinam, & humanam personam negauit. Et rursus merito esset danda hæc confessio Petri, & laudanda & non vitio tribuenda. At vero Petrus recordatus verbi quod dixerat Dominus, ter me negabis fleuit amare. Cur fleuit amarè, nisi quia turpiter negauit? Quocirca Theo. in comm. ad Lucam. 22. hanc sententiam stultam dixit esse. Quidam, inquit, nescio quam stultam pro Petro defensionem fingunt, dicentes audacter, ꝙ nō negauit Petrus, sed dixerit, nescio hominem, hoc est nescio purum hominem, sed Deum hominē factum. Horum autem insipiens argumentum alijs relinquam. Mendacem enim faciūt Dominū, & aduersantur contextui euā gelij: nulloque modo facere poterunt, vt cohæreat consequentia narrationis. Sed & Petrus quare fleuit, si non negauit?

¶Porro Hilarius soluit hoc argumentum, quod Petrus fleuit propter trepidationem, & quasi dubitationem quam habuit ad vocem ancillæ: sed Christus non dixit, Ter propter me trepidabis, sed, Ter me negabis. Et demum cum Theophilactus, tum Chrysostomus existimāt Petrum permissum à Domino labi in fœdissimam negationem, quia suis viribus fretus, Domino dicenti, Non potes me sequi modo, ipse contradixit dicens, cur non possum sequi modo? Quā obrem hoc mihi indubitatum videtur, Petrum negasse verè Christum, cum dixit, Nescio hominem. Etenim responsionem accommodauit interrogationi. At interrogatio erat si erat ipse ex discipulis Christi, & ideo respondet se non nosse Christum, vt inde ad Christi familiam se non pertinere doceret. Et quando restitit Christo volenti illius lauare pedes, restitit ex humilitate, quia se indignum tanto lauacro reputabat. Nunc vero contradicit ex insipienti quadam insolentia, ideo lapsus est turpiter, vt in lapsu suo disceret Christi veritatem, & instrueretur non magna de se sapere, sed potius timere & lapsis proinde compateretur.

Lucæ. 22. Matth. 26. Marc. 14.

Lapsus Petri fuit illi vtilis ad humilitatē, & ouibus pascēdis profic⁹ quia ex lapsu suo didicit compassiones ad lapsas oues.

MORALIA.

¶*Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, quemadmodum ego dilexi vos.*

DEiloquus Ioannes epistola. 1. capit. 4. Deus inquit, charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Non enim solummodo Deus, quia est infinitū bonum, idcircò est infinite diligibile, verum etiam ipse est ipsa charitas, ipsaque dilectio. Et inter alia diuina nomina, quę multa suppeditat scriptura diuina vetus, hoc nouum suppeditat diuina noua scriptura, Deum esse charitatem, hoc est, actum diligendi ipsissimamque, & purissimam dilectionem. Non enim est Deus charitas, hoc est, charitatis habitus. Nihil enim in Deo habitus est, seu potentia, sed quidquid est in Deo est purissimus actus. Est sanè potentia actiua infinita, at non in potentia ad recipiendum actum quem non habet. Quippe imperfectionis est argumentum, at cum Deo, omnis imperfectio planè repugnat. Est ergo ipsissima dilectio & totus est dilectio. Est sanè diligibilis Deus, & ipsa dilectio. Creaturæ autem, sunt sanè diligibiles, sed non sunt ipsa dilectio. Quoniam si diligunt non per substantiam suam diligunt, sed per accidentarios actus: de qua re alibi opportunior sermo.

Deus est ipsissima dilectio.

¶Porrò considerandum est Deum vniuersa diligere, vt liber Sapientiæ nos docet. 11. Diligis cuncta quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Hæc autem dilectio est quasi naturalis, nō quod Deus, quicquam extra se naturaliter diligat: at quatenus diligit creaturas omnes, ad bona naturalia, vt ad esse cœlum, terram, plantam, brutum hominem, &c. quæ omnia sunt naturalia bona, propterea hæc dilectio, quadam

Deꝰ propriè nihil præter se ipsum diligit naturaliter.

tenus ratione naturalis appellanda est. Est autē dilectio alia, quæ nō est ad naturalia bona, sed ad supernaturalia bona obtinēda, & hāc æquo nomine vocabis dilectionē supernaturalē. ¶Hāc autē dilectionē, nō impēdit omnibus creaturis Deus, nō enim est adeò generalis vt prima. Enimuero dilectione naturali nihil est quod non diligat Deus, & omnia seruat sub huius dilectionis amplexu. Verū dilectione supernaturali creaturas dū taxat rationis participes amat, videlicet, angelos, & homines. ¶Est porrò dilectio hæc supernaturalis eo dicta, quò est ad cōmunicāda creaturæ rationali bona supernaturalia. Sunt autem supernaturalia bona fides, spes, & charitas, & demū ipsa finalis beatitudo, quæ est visio clara, & fruitio diuinitatis. Ista nanque bona superferuntur viribus totius naturæ creatæ. ¶Intellectus nanq; creatus, non potest videre lucē illā inaccessibilē, neq; volūtas creata illa perfectè frui, nisi mēs creata leuetur, & illustretur, & confortetur diuino præsidio, quod theologi appellant lumen gloriæ. ¶Dilexit igitur Deus non omnes homines, neq; omnes angelos, ad hæc supernaturalia bona, sed solum electos, quos ipse elegit, vt essent consortes diuinæ suæ naturæ, ante mūdi constitutionē. Et equidem maxima est hæc dilectio Dei erga creaturas rationales, nempe quod velit eas sua visione, & fruitione æternò donare. Vnde. 2. Pet. 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Et. 1. Petri. 1. hāc dilectionē Dei supernaturalem vocat misericordiā Dei magnā in hæc verba, Qui secundum misericordiā suam magnā, regenerauit nos in spem viuā, per resurrectionē Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilē, incōtaminatā, & immarcescibilem conseruatā in cœlis in vobis. ¶Porro autē, vt multifariā astruximus Deū suas diligere creaturas ita quoq;, & nos multifariā diligere possumus Deū. Est nanq; quidam modus diligēdi quasi naturalis, qui modus funditur in omnes nationes hominum: nulla nanque natio est, quæ Deum non amet. Fertur nāque natura rationalis suopte ingenio in Deū, nisi quod cum ipse Deus sit transcēdens vniuersam creaturæ cognitionem, ideo quasi deficiens natura humana in tam sublimem cognitionem, sæpe pro Deo vero colit falsum Deum, hoc vno contenta, & hoc vno satians suam in Deum inclinationem, si Deum, vtcunque vel veraciter, vel fallaciter habuerit, quem colat, & amet, cum alioqui falsus Dei cultus satiare nequeat nostram naturam sed solum verus. ¶Est autem dilectio alia, quę supernaturalis est, ex qua mens creata Deum, quem veraci fide cognoscit, vera quoque dilectione amat. Et hæc dilectio in Deum fertur, vt in bonum supernaturale creaturæ rationalis. Hoc est, quatenus Deus est bonum beatificās nostram voluntatē, & est infinitum verum beatificans nostrum intellectum. ¶Hāc autem dilectionem, qui iā ergastula carnis deposuerunt, & in æthereas subuecti sedes, amplissimè sunt assecuti: qui vero adhuc sub agonibus huiꝰ seculi decertāt, assequūtur aliquādo sanè, at imperfectè. Quippe dilectio sanctorum in via quam habent erga Deum, collata ad dilectionē beatorum in patria inabsoluta est, quanuis alioqui, eam dixeris esse absolutissimam. Est enim, vt scintilla exigua, igni collata flammigero. ¶Deus porro non priorem dilectionem nobis constituit in præcepto, quam ipsa natura, vtcunque subministrat, sed dilectionem supernaturalem, quam eius gratia elargitur hanc iniunxit nobis maximè obseruandā sub præcepto. Hoc enim sibi vult præcipiens, Diliges Dominum Deum, ex toto corde tuo, &c. Deut. 6. Matth. 22. Lucæ. 10. Marc. 12. Istud enim est, quod excedit creatas vires, diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus Deum. Hoc est nos totos Deo exhibere in obsequium, & famulatum, & nihil admittere contra suam voluntatem, sed illi semper hærere, & illi vniri per dilectionem. Nam qui Deo hæret per amorem, quodammodo vnus spiritus efficitur cum eo. Hæc dilectio est sola Deo grata, & quæ mercedem æternā reportat. Nanque naturalis dilectio, nihil promeretur prēmij, quia naturalis est. Vnde Matth. 5. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? quasi dicat nullam. Cur ita? Nempe quia naturale est, diligere diligentes. Ita quoque quia natiuum est diligere

Dilectio Dei duplex & naturalis & supernaturalis.

Maximę gratiæ est quod Deus diligat vel angelos, vel homines ad bona supernaturalia

Dilectio Dei in via collata ad dilectionē in patria vt scintilla est collata ad flāmigerum ignem.

ligere Deum naturali quadam dilectione, eum laudando, & honorando, vt laudant infideles, ideo hæc dilectio, coronam non habet. ¶Et hos diligentes, & si Deus diligat, vt ex lib. Sapientiæ, supra commemorabam, at vero scriptura eadē Sapien. 7. tradit eos non diligere. Ait enim, Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Vocat autē sapientiam, non mundanam sapiētiam. Quippe philosophi, ex hac illustres in orbe fuere: nihilominus Paulus de illis commemorat, dicens, Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum honorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Ideoque à Deo non sunt dilecti, quia sapiētiam cœlestem, hoc est, fidem veram Dei non sunt adepti. Huiusmodi igitur diligēs Deum dilectione naturali diligit, & non diligit Deū. Diligit sanè quo ad bona naturalia acto. 17. Cū ipse det omnibus vitam & inspirationē. Nō autem diligit quantum ad bona æterna. Quam dilectionem Ioan. insinuans ait, Cum dilexisset suos in finē dilexit eos. Nanque hoc est diligere in finem, Augustino autore ad vitam æternam diligere. Nam vita æterna finis est creaturæ rationalis. Hanc autem dilectionem non omnibus impartit efficaciter Deus, sed solū suis electis: ideò Ioannes dicit, Cum dilexisset suos, scilicet, electos: quos suos vocat, quia in domo Dei æternò erunt cum ipso permansuri. Reprobi verò depellendi sunt foras, ad tenebras exteriores. ¶De huiusmodi quoque dilectione intelliges illud Prou. 8. Ego diligentes me diligo. Vtique diligentes Deū ex vera fide, & ex toto mentis conatu, hos diligit Deus, non ad bona visibilia duntaxat, ad quæ diligit etiam bruta, & lapides, sed ad bona inuisibilia, quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderūt. Isa. 64. 1. Cor. 2. ¶Quocirca in verbis præfatis Domini, Mandatū nouū do vobis, vt diligatis inuicem, &c. hanc dilectionem nobis insinuat. Sunt enim dilectiones variæ, & naturales aliæ, & turpes aliæ, vt qui amat scortum. Verū nō has prēcipit Christus, sed dilectionē supernaturalē, ex qua diligimus proximos omnes & amicos, & inimicos propter Christū. ¶Et est miratu quā dignissimū, quanti faciat Deus hāc mutuam proximorū dilectionē: siquidē Ioan. huius dilectionis efficaciā luculenter exposuit, dicens. 1. Ioā. 2. Qui diligit fratrem suū in lumine manet. Et rursus 1. Ioan. 4. Qui nō diligit non est ex Deo. Et rursus, Si quis dixerit, Quoniam diligo Deū, & fratrē suum oderit mendax est. Et. 1. Ioan. 3. maximum encomium protulit, de hac fraterna dilectione dicēs, Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitā, quoniā diligimus fratres. Dixerat diligentē fratres esse in lumine: nunc autē translatum esse à morte peccati ad vitā diuinæ gratiæ affirmat. Et 1. Ioā. 4. perfectam charitatē tradit esse sine timore æterni supplicij: vocatq; perfectam charitatē, quæ Deū propter se, & fratres diligit propter Deum. Et hoc ita est, quippe cui hæc adest charitas, ius adest acquirendi regnū ęternum. Et nisi amittatur hæc charitas, securissimè vitæ æternæ ventura est possessio. Et prēter hæc hoc idē quod Dominus ait, dixerat, Mandatū nouum do &c. ipse repetit dicens, Hoc mandatū habemus, vt qui diligit Deū, diligat & fratrē suū. ¶Cæterū epist. 2. inquit, Et nunc rogo te domina non tanquā mādatū nouū scribens tibi, sed quod habuimus ab initio. Quę verba primo aspectu videntur verbis Domini repugnare: Dominus enim hoc māda tū dilectionis fraternæ, appellat nouum mandatū: cōtra verò Ioānes præse ferre videtur. At verò notādum nobis est, vt scrupus omnis abigatur, & ambiguitas omnis tollatur, præceptū dilectionis fraternæ esse quidē & vetus, & nouū. Neq; hæc duo quæ prima facie repugnātiā offerunt, repugnātia sunt sed admodū sibi cōsentiunt. In præcepto enim hoc vt in cæteris alijs, duo est considerare. Alterū est substantia rei, quæ præcipitur, alterū vero est modus implēdi præcepti. Equidē præceptū cōmemoratū, si substātiam dilectionis fraternę spectes, antiquum satis est. Neque solum est promulgatum in vmbratili Moysi lege, quinetiam ipsa naturalis dictat ratio, atque promulgat proximum etiam diligendum instar nostri esse. Ideoque præceptum est naturale, quod natura ipsa, & lex ipsa, quæ scripta est in tabulis cordis nostri dictāt hoc ab homine esse implēdū, vt & illud, Quod tibi nō vis, alteri ne feceris.

Dilectio Dei generalis est ad bona viū bilia dilectio vero specialis ad bona æterna.

Charitatis præclara munia.

Perfecta charitas apud Ioānem quę.

Præceptū dilectionis fraternæ & est vetus & est nouum.

¶Porrò modus implendi præcepti noui tatem habet, in noua lege. Primo sanè, quia ex Christi mandato coercemur inimicos diligere, sicut & ipse inimicos dilexit ad Roman. 5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quia cũ peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Præter hæc est nouum, quia nouis exemplis cõfirmatum. Exemplo nanque Christi cõfirmatum est dilectionis hoc præceptũ. Nam ipse sic dilexit nos, vt sanguinem suum funderet ad expiationem nostrorum piaculorum. Vnde Ioan. 6. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Et Paulus ad Ephes. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.

Quare præceptum dilectionis fraternæ est nouum.

¶Ad hæc nouum est, quia nouo spiritu impletur à fidelibus hoc præceptũ. Hebræi nanque spiritum habebant seruitutis, Paulo docente ad Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Et ad Gala. 4. Vetus testamentum, in seruitutem filios generasse docet. Quippe Agar gerit typum legis veteris, quæ erat ancilla, vt Sara nouæ legis, quæ libera fuit & ideo liberum generans Isaac. Qua propter cum nouus spiritus gratiæ & libertatis sit donatus fidelibus per Iesum Christum, ideò fideles nouo modo exequuntur hoc mandatum fraternę dilectionis. Quippe hilari animo, & non tristi propter huius noui spiritus collationem, diligitur inimicus, & de illo non sumitur vindicta, sed iniurias illi donant sancti fideles, obseruantes exactè quod Dominus dixit per Matth. 5. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. Quod si fideles aliqui tædio magno hãc inimicorum dilectionem præstant, alij verò, nunquam præstant, non est succensendum euangelicæ gratiæ, quæ hanc dilectionem impartit recipere volẽtibus: sed succenseamus nobis ipsis, qui non disponimur ad huius gratiæ benignum recipiendum influxũ. Enimuero, si aduerteremus Domini benignitatem seruorũ suorum donantẽ sibi illatas iniurias non multi duceremus conseruis nobis irrogatas donare: ne audiamus illud euangelicum, Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit, & te miserere conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, &c. Matth. 18. Neque solum Dominus inimicos suos dilexit, idest, omnes peccatores se offerens in holocaustum pro delictis nostris, sed etiam pridie quam pateretur summam demonstrauit dilectionem, erga teterrimum hostem suum Iudam proditorem. Hic enim erat Christi particularis inimicus, non solum ex inimicitia generali, qua omnes peccatores tenentur, quia peccatũ mortale est quædam inimicitia contra Deum, quatenus soluit charitatem, quæ est quædam Dei & hominis amicitia. At Iudas non hac ratione solum erat inimicus, sed speciali nomine, quia directè agebat contra Christum illum vendendo, & prodendo hostibus suis, vt eum cruci affigerent. Hic porro pestilentissimus Christi hostis, obseruã quam fuerit à Christo dilectus. Etenim vocatur in apostolatum: marsupium illi concreditur apostolicum: & in nouissima cœna postquã vili pretio Dominum vendiderat feria. 4. Christus nihilominus accidit ad pedes hostis sui, quem ab initio præsciuerat hostem sibi futurum, & lauit pedes eius, & extersit linteo: & post hæc illum cibat corpore suo, atque sanguine suo potat. Neq; his summis amicitiæ officijs contentus Dominus tandem in fine cœnæ eidem singulariter buccellam intinctam panis, in eximij amoris symbolum impartit. Nõ ergo solum inimicos ex generali inimicitia, quę ex quouis crimine procedit, diligit Christus, sed etiam speciali inimico suo, qui eius insidiabatur sanguini, suam dilectionẽ non subtraxit. Cur ita obsecro? Nempe, vt exemplo suo quosuis inimicos nostros diligamus. Et equidem non diffiteor dilectionem inimicorum asperam esse, & accliuem satis humano ingenio. Natura enim amica sibi amat, & inimica odit: at verò huius præcepti accliuitas plana fit, quando tot illustrissima exempla Christi, eam planam reddunt. Et quid, si aquæ illæ, quæ erant in solitudine Exo. 15. amarissimæ & impotabiles, immisso tamen ligno dulces factæ sunt, mirum ne erit si præceptum

Dilectio inimicorum est nouæ Euangelicæq; gratiæ.

Si Christus amauit seruos inimicos & ideó cõsequens uos inimicos amare tenemur.

hoc

Inimicorum dilectionem amará Christus proprijs exemplis in dulcedinem conuertit.

hoc de dilectione inimicorum quod alio qui est amarissimum, dulcescat Christi magnificētissimis exemplis propositis? Exemplum enim dedit nobis, vt quemadmodum ipse fecit, itidē nos faciamus. Si amandus esset inimicus propter se ipsum, intolerabile esset mandatum, si ab inimico esset speranda nostræ erga eum dilectionis retributio, quis æquo tulisset animo? At quia propter Christum est amandus, ab ipso huius dilectionis spera tur larga retributio. Quid igitur moramur, quominus amemus?

Porro hæc dilectio inimicorum, non ad hoc nos obligat, vt omnia inimicis prece mur bona. Possumus enim inimicis quæ dam precari mala, non absolutè, sed habi ta ratione salutis æternæ, vt Paulus, tradidit Corinthium illum. 1. Corin. 6. Satanæ, vt spiritus eius saluus fieret. Et psalmus precatur, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomē tuum Domine. Quocirca, quia flagella temporalia, sępè excitant animum humanum ad quęrendum Deum, hac ratione precari possumus inimicis temporalia nocumenta, ad profectum spiritus ipsorum. Imo etiam lętari in huiusmodi, quando inimicis acciderint, non simpliciter, sed quatenus, ex morbo accidenti illis, aut ex paupertate, aut infamia, aut huiusce generis detrimentis ipsorum spiritualis speratur profectus.

Inimicis precari malacorporalia aliquādo fas est

¶Vnde qui inimici mortem temporalem optat, sub hac cōditione, si ipse aliàs incorrigibilis est, quia melius est inimico mori quam malè viuere, non hic agit contra fraternam dilectionem.

¶Porrò spiritualia malaqui inimicis precatur, non sine criminali noxa precatur: vt qui inimico impœnitentiam, aut infidelitatem, aut gehennam precatur. Rursus sacerdos, qui habēs inimicum, ipsum excludit à precibus, quas Deo fundit, vel inter celebrandum sacra, vel alioqui quādo Deum precatur communibus ecclesiæ orationibus: aut si forte in articulo esset mortis inimicus suus, & alius nō extat sacerdos, & ipse tunc deserit inimicum, nolens illius confessionem audire, aut si audit, absolutionis beneficium nō impartit ei, quia inimicus est.

Inimicis mala spiritualia precari semper nefas.

¶Aut si parochus inimicum habet sibi subditum, & sub quadragesima ipsum excludit à sacramentorum participatione, nolens audire cōfessionem eiusdem, &c. Obligamur igitur inimicis necessaria præsidia siue corporis, siue animi nō subtrahere, quando ipsa inimici necessitas ad hoc faciendum nos vocauerit. Est autem consilij & non exiguæ in virtute charitatis præstantiæ extra necessitatem hanc, inimicis impendere beneficia: vt Dominus nulla vocante necessitate Iudam multis affecit beneficijs, vt à pessimo opere reuocaret. De hac tamen re in tertio senten. nos multa disputauimus: ideò sat fuerit hæc dixisse in præsentia.

Inimicis necessaria corporis & animi præsidia nunquā sunt subtrahenda.

¶Dominus ergo hoc præceptum de diligendis fratribus, nouum ex suis nouis & admirandis exemplis fecit. Accedit istis, alia ratio nouitatis, siquidem dilectio fratrum in nouo testamēto, est facilior, quā in veteri testamento. In veteri enim testamento præmia non aderant æterna præsentanea, vt in nouo. Non enim id temporis continuò euolare dabatur in patriam sanctis animabus, vt modo. Et quidem dum proximiora sunt præmia, animus ad virtutis faciendū opus promptior redditur, & quanto longius expectantur, tanto segniores ad exequendū reddimur. Rursus, est alia nouitas in hoc mandato, quia dans hoc præceptum, ipse nouas fidelibus dat vires, vt tantum expleant mandatum. Quas sanè vires Hebræi plurimum desiderabant. Nunc vero in noua lege dat Dominus spiritū bonum ad exequenda Dei mandata petentibus se Lucæ. 11. Etenim sacramenta nouæ legis gratiam conferunt, & vires nouas præstant, quas vetera non subministrabant sacramenta. Quocirca, quanuis arduum est hoc mandatum de diligēdis fratribus, cæterum ex nouis viribus spiritus infusis fidelibus, fit facilius. Enimuero, etsi pondus sit graue, si vires donātur ferenti, vel adiutorium illi subministratur, vtique pondus oneris non adeo sentitur, quod aliàs plurimū sentiretur, nisi ex adiutorio nouo, leuius fieret ad portandum.

Sacramenta nouæ legis nouas vires subministrāt ad exequenda Dei māda ta.

¶Vnde Paulus aiebat ad Phili. 4. se posse omnia in eo qui ipsum cōfortabat. Poterat sanè omnia, & nihil iudicabat sibi difficile, non suis viribus fidēs, sed diuinis fretus præsidijs. ¶Quamobrem si difficilem putas inimicorū dilectionem

Grauia Dei præcepta ex diuino adiutorio leuia redduntur.

pete adiutoriũ ab omnipotente. Et tunc quod per te præstare nequibas per Deũ præstabis. Præbebit autem Dominus cũ ad alia tum ad hoc implẽdum auxilium liberaliter, affluenter, dulciter, & vtiliter. Et enim si ipse hoc summopere commendauit iamiam moriturus, vt diligamus inuicem, vtique si curamus implere, quæ ipse summopere amat vt implea mus, dubio procul, suppeditabit adiutorium petentibus vt impleant. Et hoc est quod ipse grauissimis docet verbis Luc. 11. Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis, &c. & addit, Quis autem ex vobis patrem petijt panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentẽ dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? &c. Et concludit dicens, Quanto magis pater vester cœlestis, dabit spiritum bonũ petentibus se. Iam vero si quæ hactenus de fraterna dilectione prosecuti sumus obseruasti, promptum tibi erit, quam sit Deo cordi hęc fraterna in nobis dilectio, quantisque encomijs Ioannes in catholicis suis epistolis eam euexerit. Quæ summatim, vt tenacius memoriæ infigantur non grauabor referre. Hæc igitur fraterna dilectio mentem diligẽtis reuocat à tenebris ignorantiæ, & errorum, in lumen diuinæ veritatis. Hæc nos traducit, à morte peccati, ad vitam spiritus. Hæc propulsat ex sua natura ab habente timorem æternorum suppliciorum, quod si habens timet, ex eo est, quia suã charitatem non videt, nam si vidisset, aut certo sciuisset, haberet securitatem de adquirenda vita ęterna, interim dum charitatem non perdebat.

Summa prędictorum.

¶ Omnis enim diligens fratrem suũ ex Deo est: & ideo iustus est. Omnis nanque qui non est iustus, non est ex Deo: & qui non diligit fratrem suum iustus non est, & ideo ex Deo non est. Hæc autem Ioannis verba, Quod qui non diligit fratrem suum iustus non est, & ideò non est ex Deo, rectè intelliges, si sub negatiua subaudias affirmatiuam. Hoc est qui non diligit, quando est opus facto, vt diligat odit. Tunc enim si non diligit perinde est ac si odio habeat. At qui odit fratrem suum homicida est.

1. Ioan. 3.

¶ Et hinc processit illud Ambrosij, Pasce fame morientem, si non pauisti occidisti. Vtique ideo occidit, quia non dilexit opere, quando opus facto erat diligere, subueniendo pauperi fame pereunti. Quocirca dixit Iacobus, cap. 2. Si autem frater, vel soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano dicat autem aliquis illis, Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Huiusmodi enim verbo videtur diligere, at ex facto odiunt fratrem, quia si potẽtes sunt ad subueniendum, & non subueniant, in grauissima proximi necessitate vel victus, aut vestitus, & malint suas sibi reseruare superfluas, vel vestes, vel pecunias, quam pauperis defendere vitam, morituri alioqui vel ex fame, vel ex frigore, an non isti odio habent fratrẽ, etsi simulent interim dilectionem?

Non diligere efficaciter quando opus est diligere, est odire interpretatiuè.

¶ Vnde Ioannes monet, vt non diligamus verbo, vel lingua sed opere, & veritate. Est sanè dilectio simulata fratris qualis est ea, quam dudum depinxit Iacobus. Hæc autem non est ea, quã Christus iubet dicens, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, quemadmodum ego dilexi vos: Christus nanque verè nos dilexit. Quandoquidem amoris ostensio est operis exhibitio. Ipse autẽ, summum dilectionis opus exhibuit, moriens pro peccatoribus. Nanque si maximi fit, & meritò, quod quis moriatur pro amicis suis Domino docente, Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt moriatur quis pro amicis suis, Paulusque concinuit dicens, ad Rom. 5. Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitã quis audeat mori, quãti igitur putas æstimandam esse Domini mortem, qui pro peccatoribus & sibi inimicis mortuus fuit? Et non quamcunq; mortem subijt pro inimicis suis, sed grauissimam, & ignominiosissimam. Quare Christus verè dilexit nos. Si ergo verè dilexit, veram quoque nos oportet habere dilectionem, erga fratres. Vnde Ioannes, in hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille, animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. Ioan. 3. Non ergo solum verã tenemur fratribus dilectionẽ exhibere, substantiam nostram illorum impedendo necessarijs vsibus, quando nobis superfluit, & illis de est, vt Ioannes inquit.

1. Ioan. 3.

Christus verè dilexit suos inimicos.

inquit. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quo modo charitas Dei manet in eo? quaſi dicat, Charitas Dei non eſt in eo. Non ſolũ hoc exigit fraterna dilectio, ſed quod maximum eſt à nobis itidem poſcit, ſcilicet animas noſtras quando opus fuerit, pro ſalute ſpirituali fratrum impendere. ¶ Enimuero iuſtum eſt, quę minus digna ſunt ea ſeruire dignioribus. Eſt autẽ minoris dignitatis terrena diuitiarũ ſubſtantia, quam corpus fratris: & hoc minoris eſt nobilitatis, quam ſalus animæ ſpiritualis. Vnde Dominus Matth. 6. Nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum? digniora igitur anima & corpus ſunt, quam hæc viſibilia. Quocirca perdenda eſt ſubſtantia noſtra, propter vitam corporalem ſeruandam fratris, ſi quando fratri neceſsitate preſſo moriendum erit, niſi cibis aut pecunijs noſtris illi ſubueniamus. Neque improbabile ducimus, quod multis theologis eſt cõfeſſum, non ſolum extremas fratrum indigentias, eſſe à potentibus leuare, leuandas, quin & grauiſsimas alias, quæ nondum peruenerunt ad extremũ, eſſe ex præcepto, quoque leuadas. Enimuero ſicut extremæ indigentiæ ex ſuperfluo noſtro, quod nobis alendis non eſt neceſſarium, ſunt ſubleuandæ, verbi cauſa, ſi panis eſt mihi non neceſſarius, peruenti ex fame porrigendus venit, ne pereat. Neque expectandus eſt mihi quod frater in agone mortis ſit conſtitutus, fame diuexatus, quia agonizanti non panis, ſed extrema vnctio eſt neceſſaria. At ea eſt extrema neceſsitas, quando probabile eſt viro prudenti, ſi non ſubueniatur indigẽti, proximum eſſe vt fame vel ſiti pereat, aut frigore, ſi non veſtiatur, &c. Sicut ergo articulus extremæ indigentiæ ſuperfluæ poſcit, quæ inquam vitæ porrigentis non ſunt neceſſaria, quæ vocantur ſuperflua indiuiduo, ita quoque grauis alia fratris neceſsitas ſuperflua ſtatus exigere videtur. Quippe, quæ mihi non ſunt neceſſaria, neque ad alendam vitam, neque ad honorem, & decentiam perſonæ meæ ſeu filiorũ, ſeu vxoris, &c. illa non eſſe retinenda nobis ſed erogandа ad ſubuentionem grauium neceſsitatum aliorum æquum videtur. De quare in. 4. ſenten. multa tradidimus, ideoque bono nomine, eiſdem erit modo ſuperſedendum. Vt igitur ad nos redeamus, ſicut facultates noſtræ ſunt exhibendę ad ſalutem corporalem fratris, ita etiam, & vita corporis noſtri perdenda eſt, ſi quãdo perdere hanc neceſſe eſt lucrandæ vitæ ſpiritualis fratris. Indigniora enim melius eſt quod patiantur iacturam, quã digniora. Imo vt horum incolumitati conſulatur illorum facere iacturam, non eſt iniuſtum, imo eſt neceſſarium. Hoc autem præceptum de perdenda vita corporali propter lucrum ſpiritualis vitę fratris, ſolum locum habet quando neceſsitas ad hoc nos vocat. Et maximè hoc obligat eccleſiæ paſtores, vt in enarrando cap. 10. diximus. Nam ipſi bifariam ligantur & ex communi præcepto, & ex particulari, & quia ex paſtorali officio ad hoc ſe conſtrinxerunt. Cæteri vero fideles ex præcepto communi tenentur fraternæ dilectionis. Si tam magnifica igitur eſt fratrum dilectio, quam magnifica prędicat eſſe theologus Ioannes, aptiſsimè Paulus Roman. 13. ſcribẽs dixit, Qui diligit proximum, legem impleuit. Et. 1. Timo. 1. finis præcepti eſt charitas. At verò, vt fileant hæretici huius ęui, licebit expendere Pauli verba, non enim dixit, Qui credit, legem impleuit, ſed qui diligit proximum: ſicut etiam non ait, fidem eſſe finem præcepti, aut fidem eſſe plenitudinem legis, ſed charitatem. Paulus igitur, qui alioqui inſignis eſt fidei præco, maiora prædicat de charitate, vel de dilectione fraterna quam vnquã de fide prædicarat. Non ergo ſi quis ſolam fidem habuerit, niſi fratres diligat, hic ſaluus erit. Siquidem ſi fratres non diligit, legem non implet, & qui legem nõ implet, ſalutis erit expers. ¶ At dicet aliquis, Quid ſi fratres diligit, & Deum nõ diligit? Aduertendum propterea eſt, eſſe fratres natura, eſſe cognatione, eſſe religione fratres. Omnes nanque homines fratres ſunt natura. Etenim participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo, quia omnes eandem ſortiti ſunt ſpeciem humanam, quæ ſpeciei vnitas hortatur mutuam dilectionem. Quippe omne animal diligit ſibi ſimile, Eccle. 13. & auerſatur diſsimile. Cognatione autem ſunt ij fratres, qui ab vno ſtipite genus ducunt.

Indigniora ſunt tradẽda ad ſalutẽ conſeruandã digniorum.

Articulus extremæ neceſſitatis quis ſit.

Æquum videtur quę nobis non ſunt neceſſaria fratribus indigẽtibus erogare.

Præceptũ de perdenda vita corporali propter lucrum ſpirituale quando locum habet.

Fidem ſolã non ſufficere ad ſalutẽ contra hæreticos huius tẽporis oſtẽditur.

Fratres multifariam vocantur.

ducunt. Denique omnes fideles religione sunt fratres: quia vnam eandemque fidem profitētur Christianam.

¶Dilectio autem fraterna, quam Christus commendat, & Ioannes magnificis encomijs prosequitur, & demum Paulus cunctis virtutibus præfert, est ea quę diligit fratres, non quia necessarij, non quia benefactores, non quia nobis proficui, non quia voluptifici, sed quia sancta religione sunt fratres, sed quia ipsa religio Christiana iubet diligendos omnes homines, nam ad imaginem Dei facti sunt. Sed maxime iubet diligere fideles, quia mēbra sunt Christi, expectantque beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Et qui sic diligit fratres, diliget necessarios, & non necessarios, benefactores, & malefactores, benevolos, & calumniatores, fauentes, & persequentes. Omnes nanq; isti fratres sunt, tametsi persequentes, calumniantes, & malefacientes, & denique inimici, sunt falsi fratres. Quippe etsi fidem habeant, & membra sint Christi, sunt tamen membra mortua, vt paralitica membra quanuis corpori sint vnita: at vitalem influxum non participant, ideoque à corpore regi nequeunt: quippe quæ à capite, & corde, vitam nō hauriunt.

Dilectio fraterna euangelica nō excipit aliquē à suo complexu.

¶Cæterum tanta est vis fraternæ huius dilectionis, vt eo solo nomine, quod mēbra vtcunque sunt Christi, eos diligit, nō propter ipsos tamen, quippe qui indigni sunt dilectione, & dignissimi sunt odio: sed propter Christum cuius membra vtcunque sunt. Quod si hæc dilectio viget in corde nostro, vtique vbi viget, profligabit omne crimen. Quando quidem si sub hac ratione diligitur frater, quia à Christo præcipitur eius dilectio, vtique non diligetur, hic aut ille proximus, sed omnes diligentur, tam boni quam mali, etsi non diligit, quia mali, sed propter Deum in omnes se fundit Dei dilectio. Facit enim solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Et Christi demum præceptum, omnes proximos amplectitur.

Dilectio fraterna qualis est quā Ioan. & Paul. commendant & ipse Christus præcipit.

¶Atqui, si quispiam omnes proximos diliget, vtique hic neque adulter, neque fornicarius, neque fur &c. erit, quia vniuersa hæc hanc dilectionem soluunt. Et quia hos omnes diligit propter Deum, magis diliget Deum. Et quoniam amor ad alterum originem habet ex amore ad se ipsum testante Arist. 8. Ethi. cap. 5. necesse erit, si diligit omnes fratres, propter Deum, quod se quoque diliget propter Deum. Non ergo fieri potest animum vbi residet dilectio hæc fraterna, quod crimen afficiat: imo vbi ipsa est, continuo peccatum propulsabitur. Quā obrem scientissimè dixit Ioannes, Nos scimus translatos esse à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et Paulus idem docet dicens ad Rom. 13. Qui diligit proximum legem impleuit. Nā non adulterabis, non occides, non falsum testimonium dices, & reliqua, in hoc verbo instaurantur, Diliges proximū tuum sicut te ipsum, & subdit, Dilectio proximi malum non operatur.

¶At verò dices forsan, multi ex dilectione proximi malum operantur, vt pater ex dilectione filiorum, & vir ex dilectione vxoris, &c. pessima sæpe operantur. Verum non hæc est dilectio, quam Paulus docet, Paulus enim de dilectione supernaturali proximi, quam iā præscripsimus solum meminit: non de dilectionibus alijs, quas vel natura, vel volūtas, vel status operatur. Hæc enim dilectio est illa charitas, quā Paulus ait, Roman. 5. esse diffusam in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Est nanque ex Deo, & ad Deum, & propter Deum. Hæc est illa charitas, quam tradit idem apostolus esse finem præcepti. Nempe quæ ex corde procedit puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Locus Pauli 1. ad Tim. 1. elucidatur.

¶Vtique sunt pleriq; diligentes fratres, non habētes veracem, sed fallacē fidem, vt sunt infideles. Istorum dilectio non potest esse finis præcepti: siquidem non est Deo grata: sine fide enim impossibile est placere Deo Hebræ. 11. Porrò sunt alij, qui fidē veram habēt, vt sunt catholici. Cæterum sæpè diligunt alios fideles obturpes causas, vt exēplo est adamātium dilectio. At hæc dilectio, Deo est ingrata: non enim procedit ex bona sed ex mala conscientia. Sunt denique alij, qui diligunt sanè proximos suos habentes quidē rectam fidem, & ex bona conscientia, nam propter honestas causas diligunt,

Dilectio ex fide ficta, dilectio ex cōscientia non bona, dilectio ex corde non puro.

ligunt, aut quia pater, aut quia magister, aut quia Dominus vel ob alias, quas voles honestas causas: cæterum non diligũt propter Deum, & non quia proximi filij sunt Dei, & fratres in Christo. At etiã huiusmodi dilectio, Deo non est grata, etsi non sit mala dilectio. Nõ enim probo Gregorij Ariminæi placitum docẽs, ad actum esse bonum, moraliter necessariam esse relationem in Deum: vt in.2. senten. tradidimus. Sed hanc relationem in Deum merito esse necessariam credimus. Quocirca etiam si huiusmodi dilectio non sit meritoria, ideoque non est Deo grata ad vitam æternam, at morali non fraudatur bonitate. Ideo autem non est ad meritum grata Deo, quia non procedit ex corde puro. Non enim procedit ex Dei amore supernaturali purificante animũ nostrum. Tunc nanque pura est fratris dilectio, quãdo refertur in Deum dilectum super omnia. Quanuis non est necessarium, quod actu referatur, satis illi est, si virtualiter referatur. Hac autẽ fraterna dilectione nulla purior, nulla syncerior, quippe quæ est propter Deũ ipsum, & non propter terrena commoda. Est nanque supernaturalis dilectio, at supernaturalia longe puriora & nobiliora sunt quam sunt naturalia, quippe quæ diuina sunt. Parat nanque hæc dilectio puritatem, ab ipso Deo propter quẽ ipsa exercetur. Deus igitur cum sit purissimus actus, & excedens omnem puritatem, quæ propter ipsum dicitur dilectio fratris, puritatem maximam inde sibi conciliat.

Dilectio propter Deũ est purissima, & nobilissima.

¶Quibus pensatis vniuersis, non abre videbis dixisse dominum, mandatũ nouum do vobis, vt diligatis inuicẽ, quem admodum dilexi vos. Nouum docet esse mandatum, vt ex ipsa nouitate accendat animos nostros ad audiendum. Noua enim cupimus ardenter, & videre, & audire. At vero cum nouitate miscuit præcepti difficultatem dicens, Vt diligamus inuicẽ, sicut ipse dilexit. Quis enim non pertimescit audiens, eo modo nos esse dilecturos, sicut Christ⁹ dilexit nos. Nunquid conferendus est mus leoni? aut quomodo comparanda musca elephanto, & nanus giganti? Multo minus nos ad Christum conferẽdi sumus, ipse enim omnipotens est, & nos in cunctis fragiles. Qualiter igitur nos poterimus diligere, sicut ipse dilexit? Ad hæc ipse prior nos dilexit, testante Ioanne, Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos. 1. Ioan. 4. Nanque quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Rom. 12. Rursus dilectio hæc fraterna, vt dudũ diffiniuimus, transcendit vires nostras humanas: quomodo ergo Christus à nobis exigit, quod exhibere nequimus?

¶At vero hoc Domini præceptum intelligendum est, non quod eãdem dilectionem nos præstemus fratribus, quam ipse præstauit. Nanque ipse dilectionem summam exhibuit, quam nos exhibere nequimus. Et ex Christi dilectione, cœlum fuit reseratum, & sacramenta instituta in Dei ecclesia, non tamen ex nostra dilectione ad fratres, etiam si pro illis gladio occumbamus. At sufficit nobis, si pro nostro modulo, adnitamur dilectionem imitari Christi. Imitabimur autem, si propter ipsum, dilectionẽ vniuersalẽ habeamus in omnes fratres, amicos & inimicos, & si paratum gerimus animum nostras facultates, quando fuerit necessarium vitæ proximorũ in gratiam expendere eorum, & si saluti fuerit necessarium spirituali ipsorum, eadẽ præparatione esse munitos corpora, scilicet, nostra pro illis impẽsuros, vt Paulus aiebat. 2. Cor. 12. Impendar, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. Neq; terreat nos, quod huiusmodi dilectio vires nostras superat, quia si nostras superat, diuinis subditur. Et is qui præcepit, nouit rem præcepisse excedentem nostram virtutẽ. At vero, ipse præbet suppetias, vt quę per nos non possumus, per ipsum valeamus.

Dilectio fraterna est Dei donum & nostras naturales exceditvires.

¶Fides quoque syncera, nostram virtutem facile superat, vnde Paulus eam prędicat ad Ephes. 2. esse donum Dei, ita quoque dilectio hæc donum Dei est. Est igitur necesse Dominum sedulo precari, vt hoc donum largiatur, vt possimus fratres diligere, sicut & Dominus noster Iesus Christus dilexit. Et tu interim considera vanos esse hæreticos solam fidem esse iustificantem blaterantes. Enimuero si ad cognoscendam veritatem Dei supernaturalẽ fides est necessaria quã Deus ex sua nobis gratia concedit, cur ad amãdum diuinam bonitatem supernaturali modo

Lutherus refellitur.

modo, non erit alia virtus supernaturalis necessaria, quæ est charitas? Num nō est absonum, dicere nos per fidem solam posse diligere Deum, & fratres? Quod si hoc absurdum est præter fidē igitur charitatem concedant est necesse. At scio respondebunt, ipsos negare opera esse necessaria, at charitas non est opus. Sed quid si non est opus necessario includit opus. Etenim dilectio fratris, non est sine opere vel actu, vel saltem habitu Ioāne testante, Qui habet substantiam huius mundi, &c. vt supra referebamus. Neque enim præceptum de diligendo proximum obligat, pro quocunque tempore, quia affirmatiuum est, sed solum quādo fraterna necessitas ad ipsum exequēdum nos vocauerit. Cæterū semper nos diligere fratres saltem habitu, & animi præparatione, est necessariū. Quocirca ipsa charitas secū habet inclusum opus, quod pro temporis opportunitate exequatur. Non est quidem ipsa opus exterius, est tamen habitus internus, mētem inclinans ad opera dilectionis suo tēpore exequenda. Neque satisfit præcepto dilectionis fraternæ, si solum bene velimus fratribus, nisi etiam benefecerimus eisdem, si facultas adfuerit benefaciēdi, vt ex Iacobo pridem cōmemorabā. Qua propter nescio qua fronte, imo, vt verius dixerim, scio quod perfricta fronte hæretici negant opera esse necessaria ad salutem æternam parandam. Si enim concedunt, vt coguntur concedere charitatem esse necessariam, vt vere est, quia per eam translati sumus ex morte ad vitam, opera quoque sunt necessaria. Aut inficientur, si insanire eis libet verba Domini. Mandatum nouum do vobis, &c. Quid namque prodest famelico, quod illi precer saturitatē, si panē quem super fluum mihi habeo, non porrigo? Nunquid hæc est dilectio à Domino præcepta intus benè velle fratri, & extra, in fauorem eius nihil operari? non arbitror. Sed præceptum Domini nouum, & bene velle fratribus, & benè illis facere, vt ipse fecit, mandat.

¶Hoc sanè est nouum mandatum, quia veterem hominē exuit, & nouū induit, qui creatus est ad imaginem Dei. Siquidem implens hoc mandatum nouū, vetustatem vitæ veteris deponit, & in nouitate vitæ spiritualis ambulat. Est namque mors peccati, vetustas vitæ, vt error & ignorantia. At hoc mandatum reuocat à tenebris ad vitæ lumen, transfertà morte peccati in vitam diuinæ gratiæ, ideoque iustè nouum est.

¶Rursus nouū: quippe hoc mandatum nunquam senescet, nunquā antiquabitur, vel abolebitur: cætera mandata siue fidei, siue spei, siue sacramentorū, tandē euacuabuntur in vita illa beata. Tunc enim fides cedet visioni, spes sensioni: sacramenta non erunt necessaria, quia iā præstiterunt in via, quæ viatoribus erāt necessaria. Sunt enim arma militum, & non sunt corona victorum. At vero nouum hoc mādatum semper erit nouum, & perpetuò vigebit in cœlestibus regnis. Clamante Paulo. 1. Cor. 13. charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Et quidē beati Deū summo amore diligent, & se inuicē maxima dilectione prosequentur.

¶Aut nouum mandatū esse dicas, quippe quod à nouo homine Christo mandatur. Est enim Christus nouus homo, qualis nec fuit antea, neque postmodū erit. Est enim Deus & homo, fuit conceptus in vtero virginis sine semine virili, & editus ab eodem vtero, sine virginalis vteri corruptione. In vtero conceptus, vir perfectus secundum animā, erat in vtero cōceptus, beata visione fruebatur, etsi carnē mortalē gerebat. Fundit sanguinem suū, & reserat cœlestia regna, & occludit tartareas sedes. Ex sepulchro surgit sua virtute immortalis effectus, suaque virtute scandit dexterā summi patris, suaque virtute iudicabit vniuersum orbem. Noue dilexit homines, qualiter nunquā alius, quia moritur morte turpissima propter sibi inimicos homines. Hæc sanè noua sunt noui hominis Christi opera: ideoq; si nouum edidit mandatū, qui tot noua in se comprehendit vnus nihil mireris.

¶Ab hoc igitur nouo homine nouus amor nobis imponitur qualis ipsius fuit. Christi autem ostenditur amoris nouitas ex quinque, quia fuit vniuersalis amicorum, & inimicorum. Fuit sine respectu ad cōmodū tēporale suum, sed solū ob cōmodum nostrum. Fuit non fictus verbo vel lingua, sed opere & veritate

fuit

Præceptū de diligēdo proximo est affirmatiuum, ideo nō pro quocunq; tēpore obligat

Præceptū de diligēdo fratre, non solū obligat vt bene velimus illis, sed vt benefaciamus.

Præceptū de diligēdo fratre nūquam senescet ideo semper erit nouum.

fuit mundisimus amor. Fuit gratiosus, & nō naturalis amor. Hoc amore nos dilexit Christus si nos dilexerimus fratres amore vniuersali, sine respectu ad tēporalia, non fictè, amore mundo, atque gratioso diligemus vt dilexit nos: & mandatum hoc nouum seruabimus ex hoc amore nouo.

ENARRATIO. I. In caput decimumquartum.

¶ *Et ait discipulis suis, nō turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite.*

PRIOR clausula, & ait discipulis suis, non legitur in codicibus græcis, neque in vetustis latinis. Neque Cyrillus legit: verum addita videtur ad cohærentiam huius capitis cū priori. Dominus ergo, vt patet ex alijs euangelistis Matth. 26. Mar. 14. & Luc. 22. non solum Petri feruores depresserat, dicens, Priusquam cantet gallus ter me negabis, sed etiam omnibus discipulis dixerat, Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista. Vnde cōsequēs erat, apostolica corda corripienda esse multo mærore, & multa tristitia afficienda. Dominus ergo, omnes suos discipulos admonet modo sermone consolatorio dicens, ne turbentur corda ipsorum, cor enim nunc sumitur pro cordibus. Apostoli enim non vno fruebantur corde, sed pluribus. Perinde igitur est ac si clarius dixisset, Turbati estis & tristes, quia dixi procellis tribulationū vos esse agitandos: verum hoc verbum meum sit vobis in antidotum, Ego dico vobis, ne corripiat turbatio, aut tristitia vos opprimat. Insinuat, à procellis tentationum, eos eripiendos Christi fauore, ne ab illis opprimantur. *Creditis.* Verbum græcum annotantibus Laurentio, & Erasmo, πιστεύετε, ambiguum est, ad credite imperatiuum, & ad creditis indicatiuum. Vnde Erasmus quadrifariam putat legi posse hūc locum, aut, Credite in Deum, & in me credite, idest, habete fidem in Deum, & habete fidem in me. Et quando vos presserint angustiæ, & cinxerint seculi mala, fides hæc erit vobis præsidio. Et ita legit Hilarius. 9. de Trinitate. Aut secundo, creditis in Deum, & in me creditis, vt sit sensus, Non sint vobis terrori mala, quæ passuri estis, quandoquidem creditis in Deum patrem, & creditis in me Dei filium, cur igitur timebitis? Aut tertio, creditis in Deum, & in me credite: vt sit sensus, Creditis in Deum, vt Iudæi, credite in me vt Christiani. Aut quarto modo, Credite in Deum, & in me creditis: vt sit sensus, Habete fidem in Deum, & si habetis consequenter in me habebitis. Verum hic sensus idem significatur per verba illa, creditis in Deum, & in me credite. Significat enim, si vobis adest fides in Deum patrem, etiam habete fidem in me. Et non dixit in filium sed in me, annotante Cyrillo, vt significaret, habete fidem in me, videlicet, qui sum verbum Dei patris incarnatum. Hoc enim voluit insinuare dicens, credite in me, fidem scilicet præcipiens diuinitatis suæ, & humanitatis. Nanque hæc est vera fides, quæ accipiēda est in scutum, vt possimus extinguere omnia ignea tela nequissimi Eph. vlti. Insinuat igitur Dominus se esse Deū hisce verbis, Quandoquidem ait fidem in Deum esse rationem habendi fidem in ipsum. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Non vos deterreant labores, quos sustinere debetis propter fidem, & amorem meum. Scitote enim laboresvestros non futuros esse inanes, sed glorioſis prę mijs coronandos in cœlesti regno: siquidem cœleste regnum est domus patris mei, & in hac domo sunt multæ mansiones, ideſt, varia sanctorum prę mia. Nanque quo quisq; decertauerit glorioſius, eo maius reportabit prę mium.

¶ Allicit igitur Dominus suos discipulos hisce verbis vt labores, & certamina pro Christi fide viriliter, sustineant spe prę miorum: siquidem qui arat in spe fructus percipiendi arat. 1. Corin. 9. Meminerat paulo ante fidei, dicens, In me credite: nunc vero spe eosdem confortat, quos fide munierat.

¶ Sunt autem mansiones istæ, quæ alibi appellantur æterna tabernacula. Facite, inquit, Lucæ. 16. vobis amicos, de māmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in ęterna tabernacula. Prę mia nanque sanctorum sunt mansiones cœlestes, & æterna tabernacula. Quippe,

ibi

ibi vera erit manſio ſanctorum: nanque hic non habemus ciuitatē permanētem, ſed futuram inquirimus, Hebræ. 3. Eſt autem hæc manens ciuitas, quam ſancti inquirunt cœleſte regnum, quod æterno durabit. Et hoc cœleſte regnum, appellatur māſiones domus æterni patris, & æterna tabernacula: & eſt denarius ille diurnus, Matth. 20. & cœleſtia item nuncupātur regna.

Vita æterna eſt manſio, & manſiones, eſt tabernacula æterna eſt regnū cœleſte & regna cœleſtia.

Eſt nanque cœleſtis beatitudo, & vna & plures. Vna ſanè ex parte obiecti beatifici, quod Deus eſt, qui vnus eſt, beatificans omnes beatos: vnde vna eſt omnium obiectiua beatitudo, nanque in ſolo vno Deo trino, eſt omnis ſanctorum beatitudo. Et ex parte obiecti vna eſt ſanctorum manſio, vnum regnum, cœleſte, vnum tabernaculum æternum, vna que æterna ciuitas, vbi ſancti per viſionem, & amorem commorantur.

¶ Cæterū ex parte ſubiecti, multæ ſunt manſiones, multa tabernacula, &c. multaq; cœleſtia regna. Tot enim ſunt quot ſunt beati. Quilibet enim beatorū propria & non aliena beatitudine eſt beatus, non ſolum accidentaria beatitudine, ſed etiam eſſentiali. Enimuero quo quiſque vberioribus reſplendet meritis, eo maiori lumine donatur gloriæ, eoque clarius videt Deum, & beatior eſt alio, qui non gaudet tam opimo meritorum theſauro, vt in. 4. Sent. ad finem tradidimus. Vnde in quolibet ſanctorum, eſt ceu quoddam cœleſte regnum, quia qui libet fruitur pro ſuo merito cæleſti regno. Vocatur autem cœleſtis habitatio, domus patris Chriſti, quę appellatio etiam eſt communis templis Dei, quæ ſunt ædificata, & conſecrata apud nos. Quin & totus hic mundus eſt etiā velut domus Dei quædam, quam Deus inhabitat & implet ſua maieſtate. Cæterum cœleſtis illa ſanctorum habitatio, per antonomaſiam dicitur domus Dei, etſi modo non fit mentio de domo Dei, ſed de domo Dei patris: quia ibi videtur ipſe vt pater eſt, & filius, & ſpiritus ſanctus. Vnde notanter dixit Dominus, In domo patris mei, & non dixit, In domo Dei. Quippe per domum Dei, etiam intelligimus templa iuxta illud. In domo Dei ambulauimus cum conſenſu, & rurſus, Domus mea domus orationis vocabitur, & vos feciſtis eam ſpeluncam latronum. Notat autem. D. Auguſt. ex hoc loco, quoſdam hæreticos errorem ſuum confirmaſſe dicentes infantes non intinctos baptiſmali aqua, fore beandos, non in regno cœlorum, ſed extra regnū cœlorum, & ideo dixiſſe Dominum, In domo patris mei manſiones multæ ſunt.

Beatitudo eſſentialis habet gradus ſecundum gradus luminis gloriæ.

Hæreſis eorum qui dicunt infantes nō intinctos aqua baptiſmi eſſe beandos extra regnum Dei.

¶ Cæterum, obijciam iſtis, vel iſti infantes videbunt Deum aut non videbunt. Si videbunt, igitur cœleſte poſſidebūt, quod ipſi inficiantur. Si non videbunt, quomodo ergo verum eſt, quod Dominus ait, In domo patris mei manſiones multæ ſunt? Siquidem omnes qui ſunt in Domo patris Chriſti vident Deum, ſi infantes non vident, non ſunt in domo patris Chriſti. Adde iſtis, cur iſti infantes erunt beandi? Num ob merita, quæ deſiderant, num ob gratiam Dei, quaorbantur, num ob peccatum, quo inficiuntur? At peccatum cauſa dānationis eſt, non beatitudinis. Et ſi fingas hæretice, non infici originali culpa, adhuc nihil eſt in eis vnde beentur. Niſi dixeris hos beandos beatitudine naturali, non tamē ſupernaturali, igitur ſi hoc verum eſt, nō habent manſiones in domo patris cœleſtis. Quippe in hac domo, beatitudo, quæ afficit eſt ſupernaturalis, & non ſolum naturalis. Porro quia primitiua labe ſunt ſordidi huiuſmodi infantes, ideo nulla beatitudine potientur, ſed potius pœnam patientur æternam. De quare nos in. 4. vberius diſputauimus, *Si quominus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.* Pro eo quod eſt, ſi ſecus, dixiſſem vobis, aut ſin minus, dixiſſem vobis, vel alioqui dixiſſem vobis Græcè εἰδεμη. Putat Laurentius eſſe ſeorſum legēdum quod ſequitur, Vado parare vobis locum, aut, Quod vado parare vobis locum ſiquidē, quia, Græcè non legitur. Cum tamen, ſint cohærentes ſibi hę duæ clauſulæ, & vnam reddant integram ſententiam, videlicet, In domo patris mei manſiones multæ ſunt, ſubaudi, paratæ iam. Si ſecus eſſet dixiſſem vobis, quod vado parare vobis locum. Ad hanc rationem expoſuit Chryſoſt. Theo. & Cyrillus. Verumtamen quantum Auguſtinus præfert, diuiſim oportet has clauſulas legere, vt ſic conſtruamus literam, In domo patris mei manſiones multæ ſunt, ſi ſecus

Infantes nō baptizati neque beabuntur beatitudine naturali, neque ſupernaturali.

cus dixissem vobis. Et post hæc subdit, Quia vado parare vobis locum, aut si legis sine, quia, vado parare, &c. Et si abiero, &c. Vnde dubitat Augustinus, si mãsiones sunt multæ, iam paratæ sunt, si paratæ, quid est quod ait, Vado parare vobis locum. Et respondet præparationem esse duplicem, aliã secundum Dei prędestinationem æternam, aliam verò secundum Dei operationem. In domo igitur patris erant mansiones præparatæ secundum æternam prædestinationem, at verò non secundum operationem. Christus igitur ait, Vado parare vobis locum: nanque suo sanguine cœlestia reserauit regna, & hæc fuit præparatio, de qua modo loquitur. *Vado parare vobis locum.* Quippe nullus sanctorũ quãtũlibet sanctitate pollẽtiũ, illo ingressus est, quousq; Christus ascenderet in cœlum, pandens ante illos cœleste iter. At vero, quia obijciet quispiam Augustino, Christum dixisse, In domo patris mei, mansiones multæ sunt, ideſt, In regia cœlesti sunt multæ mansiones, igitur non loquitur secundũ prædestinationem, quia cœleste regnũ, non fuit ab ęterno, vt est prædestinatio: sed hoc regnum cœpit ab origine mundi. Vnde Matth. 25. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. En tibi, vt regnum fuit paratum ab origine mundi. Et quia regnum hoc, est idem atque mansiones istæ, de quibus Dominus loquitur modo, oportet dicere esse paratas ab origine mundi. Quid est ergo quod ait, *Vado parare vobis locum*? Ideo Augustinus etiam aliter exposuit dicens, Parat autem modo mansiones, mansionibus parando mansores. Itaque apud illum dum Christus præparat sua gratia sanctos suos, vt sint apti regno Dei, parat mansiones. Et ideo subdit, Vnde locus paratur, si ex fide eiuatur, creditus desideretur, vt desideratus habeatur. Desiderium dilectionis, præparatio est mansionis.

Manſiones beatorum ab æterno ſunt præparatę ſecundum prædeſtinationẽ

¶Porro autem mansiones istæ nõ sunt intelligendæ materiales mansiunculæ, quales erant in arca Noe, vel sedes materiales, aut ædificia corporalia. Sed sunt per mansiones metaphoricè intelligenda præmia sanctorum: quæ quia varia sunt, & diuersa, pro diuersitate bonorum meritorum, idcirco dicuntur multæ. Hæc autem præmia à Deo sunt sanctis conferenda in cœlestibus regnis, quia extra cœlestia regna nullus sanctorum coronatur. Cœlestis igitur habitatio est locus mansionum, vel locus præmiorũ: quippe inibi Deus instituit suos coronare beatos. Præmia autem ista, à Deo sunt parata, quia solus ipse instituit coronas legitimè certantibus, singulis pro qualitate suorum meritorum. Fideles autem iusti has coronas non sibi parãt effectiuè, sed solum dispositiuè, quia benemerendo, se disponunt sufficienter, vt à Deo pręmientur. Et ideo parant vias ad coronas obtinẽdas, per recta opera. Nam hæc viæ sunt ad præmia obtinenda. Vnde illud, parate viam Domini: rectas facite semitas eius. Vt si agonothetis, constituat agonizantibus præmia, ipse agonotheta est, qui præparauit præmia, at agonizantes seu palęstritæ per suos agones etiam, sibi illa parant, illa promerendo. Iam verò Christus quatenus Deus, parauit has mansiones effectiuè sanctis suis in cœlo conferendas, ab origine mundi. Verum quatenus homo illas parauit in nouissimis diebus promerendo fidelibus suis, & gratiam, & gloriam per crucem, & sanguinem suum. ¶Cæterum, quia distinximus inter mansiones, & locum mansionum, scito quod Christus parauit sanctis locum mansionum non solum suo merito, promerendo cœli reserationem, sed etiam ipso effectu parauit, ascendens in cœlum, & ingrediens in illud. Per ingressum enim eius, iam patet fidelibus ipsum cœlum, si Christo obtemperent, quod tamẽ ante Christi ingressum, clausum erat. Et hoc est, quod modo ait, Vado parare vobis locum, ideſt, ad cœlum per crucem vado, & in cœlum ingrediar & per meum ingressum vobis, & cũctis fidelibus idem patebit. ¶Itaque ante Christi cœlestem illum ingressum, mansiones quidẽ erant, quia prędmia erant à Deo cõstituta ab origine mundi, esse in cœlo sanctis conferenda. Cæterũ locus præmiorum iste, clausus erat, & nõdum paratus, quia nõdum apertus. Quocirca tametsi erant tum sancti, qui præclaris fulgebant meritis, cæterum non collocabantur in promeritis mãsionibus, sed

Bona merita ſunt viæ & diſpoſitiones ad præmia.

Aliud eſt mãſio, aliud locus mãſionis.

Chriſtus vt Deus parauit mãſiones effectiuè vt homo illas parat promerẽdo & locũ parat promerẽdo & aperiendo.

extra erant: quia locus mansionum erat obditus propter totius naturæ peccatũ nondum per Christum dilutum. At verò diluto peccato per Christi cruorem, ipse est ingressus in cœlum, & patefecit fores cœlestis habitationis cunctis hominibus sibi obtemperantibus, ideo ait modo, *Quia vado parare vobis locum.* Theophilactus non legit, Quia, & Erasmus in quibusdam codicibus non extare Græcis cum Laurentio affirmat, & quod superfluit. At vero sensus hic est, In domo patris mei mansiones multæ sunt, quia vado parare vobis locum. Ideſt, ex eo vobis sunt, decreta pro meritis vestris præmia in cœlesti habitaculo, quia ego vado ad mortem crucis, per quã vobis aperiã regnũ cœlorum, hactenus omnibus hominibus occlusum. Theophilactus rursus per domũ, non intellexit, habitationẽ, sed principatum, vel potestatem, vt hic reddatur sensus, in potestate patris mei, sunt mansiones multæ, ideſt, Deus pater meus, potest varia præmia elargiri fidelibus pro diuersitate prẽmiorum: at expositio hæc videtur coactior. Quanuis non puto esse alienũ ab scriptura, vocare domũ potestatem: siquidem Prouer. 15. Domus iusti plurima fortitudo. Verumtamen hæc acceptio huic instituto non est concinna: siquidem parũ solaretur apostolos tristes, si solum dixisset Dominus, Deum posse eos præmiare: quia hoc apostolos non latebat. At solatium eximium erat illorũ audire Christum affirmantẽ, esse apostolis iã cõstituta præmia, in domo sempiterna cœlorum. *Et si abiero, & parauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos, ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Quod modo sub conditione fatur, citra conditionem dudum prædixerat, Vado, dicens, parare vobis locũ. Quocirca conditio hæc, non est dubitandi nota: quia certum iam esse dixerat, se iturum, & paraturum locum. Et Christus dubitabat nihil, tametsi loquitur nõnunquam subconditione, morem humanum seruans. Siquidem nos quoque aliquando, quæ certa habemus sub conditione proferimus, non quia incerti sumus de re de qua loquimur, sed ob alias causas. ¶ Sensus igitur horũ verborum est, cum abiero, & parauero, &c. Hoc est cum à vobis recessero, & regna cœlestia concessero, non putetis actum iam esse de vobis, aut quod quia recessi ab oculis vestris, propterea, me teneri obliuione vestri: cum tamen adeò in me vigebit vestri amor, atque memoria, vt postquam abiero, ego adducam vos ad me ipsum, & in domo patris mei, vbi ego regnabo sempiternò, vos quoq; eritis ibidem mecum conregnantes. ¶ Non intelligas tamen verba Domini, quod continuo, vt ipse scandit tribunal dexterę patris, ad se acceperit apostolos: quoniam non statim mortui sunt apostoli, sed oportet intelligere, Ego accipiã vos ad me ipsum, quando temporis opportunitas adfuerit. Primũ enim erant edocturi euangeliũ apostoli, in toto orbe, & erant cruentum ex proprio cruore testimonium pro Christo exhibituri, quã accipiendi essent à Christo, ad trophęa cœlestia. ¶ At in nouissimo die, iterum veniet Christus ad apostolos, surgentes ex mortuis in proprijs corporibus, & tunc accipiet eos ad se ipsum perfectos, & integros ex corpore proprio & anima propria. Fuerunt tamẽ multi scriptores theologi, qui ex hoc & alijs locis crediderunt animas sanctorũ non beari statim à morte corporum, sed expectare eas diem nouissimum vsque: quoniam Dominus modo ait, Iterum venio ad vos, & accipiam ad me ipsum. At verò dogma hoc hæreticum iam ducitur esse, ab ecclesia, vt nos prolixe demonstrauimus in. 4. Senten. ad finem. Et quod Dominus modo ait, solum est audiendum, quantũ ad corporis gloriam, non quãtum ad essentialem animarum beatitudinem. Cæterum quia in die illo, perfectus homo beabitur, hac ratione Dominus ait, Iterũ venio, & accipiam vos ad me ipsum. Sane ad se ipsum recipiet omnes sanctos, quia in ipso Christo, est beatitudo sanctorum. Enimuero Christi diuinitas beabit eos essentialiter, & humanitas accidentaliter. At dicet aliquis, Solum Dominus loquitur modo ad apostolos, num & alios non recipiet ad se ipsum? Verumtamen, quia apostoli erant ecclesiæ principes, ideò totius ecclesię personã gerebant. Quo fit, vt quæ ipsis loquebatur Christus, ecclesię etiã loquebatur. *Si abiero.* Theoph. ad hanc rationem hæc verba, & prædicta exponit,

Vocabulum domus non nunquam significat principatum vel potestatem.

Christus in cœlis agens memoriã habet suorum fidelium.

Hæresis est iam declarata ab ecclesia animas sanctorum modo non esse beatas.

nit, Paratæ quidē sunt mansiones: quod si non essent paratæ vado parare eas: & si abiero, &c. Sed rogitabit aliquis, Quid est quod ait, Vbi ego sum, & non, Vbi ego ero? Nanque cum de cœlesti regno modo agatur, Christus nondum ascenderat in cœlum. At vero, quia ipse erat beatus secundum animam, clarè videns Deum, & hæc beatitudo est, quæ sanctis promittitur in regno cœlesti, ideo ait, Vt vbi ego sum, ibi vos sitis. ¶Aut hoc dixit, quia proximè erat ascensurus in cœlum: & quod proximum est, vt fiat, iam factum reputatur. Et sæpe supra hanc phrasim seruat secundum primam expositionem. Hinc colligendum est animā Iesu Christi semper fuisse beatam, quia ait, Vbi ego sum, idest, in beatitudine essentiali. *Et quo ego vado scitis, & viam scitis.* Bifariam expones locum hunc, ait, Quo ego vado scitis, hoc est promptum est, vt sciatis: quia ibat ad patrem, & istud potuissent scire apostoli ex miraculis & doctrina Iesu Christi. Item sæpe docebat se esse per quem habebant apostoli accessum ad patrem. Idcirco promptum erat apostolis vtrunque scire, & patrem & Christum, Patrem, scilicet, esse terminum & Christum esse viam ad patrem. Aut secundo, vt glossa ordinaria & August. & Beda exposuerunt: quidam apostolorum, qui erant dociliores, sciebant hoc est cognoscebant per fidem Deū patrem, quo Christus ibat, & sciebāt Christum Dei filium esse, per quem ad patrē per fidem erat eundum. Alij verò nescie bant, ex quorum numero erant Tho. & Philippus. Ideoque Christus respiciens scientes ait, Et quo vado scitis, & viam scitis. Thomas verò in persona ignorantium apostolorum dixit, *Domine nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Et hac ratione collisio apparens verborum sequentium cum istis diluitur, scilicet, *Si cognouissetis me, vtique & patrem meum cognouissetis.* Enimuero dudum dixerat, Quo ego vado scitis, & viam scitis: modo vero ait, apostolos neque cognoscere patrem, neque ipsum Christū. Et causa, cur nō cognoscunt Christum, quia patrem ignorant, & manifesta solutio est. Quippe modo non loquitur Dominus, nisi Thomæ, & alijs ignorātibus apostolis sicut Tho. non tamen loquitur de scientibus apostolis, hoc est, credentibus in patrem, & in filium. Vel si placet prior expositio, collisio item euanescit.

¶Obseruabis hoc loco per scientiam nō esse intelligendam euidentiam, sed solū fidē. Et est phrasis vsitata satis in scriptura, vt supra annotabamus. Et Ioānes ait, Nos scimus translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres, idest, credimus. *Dicit ei Iesus, Ego sum via, veritas, & vita.* Discipulo ignoranti magnum sue humanitatis, & diuinitatis mysterium refert magister. Quippe Thomas dixerat se nescire terminum progressionis Christi, ideoque eum latere viam, per quam esset progrediendum. At verò Christus hisce verbis, docet se esse viam, quatenus homo erat. Etenim per Christi merita est nobis accessus ad patrem, videndum clarè in cœlo. Hæc nanque visio, est vita beata sanctorum. Merita autem Christo competunt, vt homini, idcirco hac ratione, vt per labores suos, & denique per mortem suam hominibus promeruit vitam beatam reconciliādo nos Deo, ideo hoc modo via est. Merita nanque ad viā pertinent, non ad terminum: viatorum nanque est mereri non comprehensorū. Qua propter se Christus vocat viā, quia per meritā eius est progrediendum nobis ad vitam ęternam. ¶Et qui ab hac aberrat via, toto cœlo errat. Sunt qui rectè progrediūtur in hac via, qui, scilicet, per rectam fidem, & synceram charitatem ambulant coram Deo. Alij vero sunt, qui claudicant in hac via: qui rectā fidem habentes, nihilominus in multis offendunt, & labuntur.

Christus qua ratione est via spiritualis volētibus proficiscī in cœlestem patriam.

¶At verò satius est claudicare intra viam, quam extra viam fortiter ambulare. Infideles igitur omnes, & hæretici, & apostatæ, & schismatici ambulant extra viam: quippe qui fidem non profitentur catholicam extra viam sunt. Ambulent igitur quantum velint fortiter, etsi magnalia videantur agere sunt tamen extra viam. Qua propter, non tenentes Domini viam regiam, non possumus pertingere ad terminum viæ huius, qui est æterna beatitudo.

Infideles omnes ambulāt extra viam ideo nō possunt saluari.

¶Hæc est illa via, quam commendat Esaias dicens. 30. cap. Hæc est via, ambulate in ea, neque declinetis ad dextrum

neque ad siniſtrũ. Ad hanc autẽ viá, ſunt viæ aliæ, per quas hãc viam aſſequimur quarum fuit Ioannes præco clariſsimus. Vnde Zacharias pater eius dixit, Et tu puer propheta altiſsimi vocaberis. Præibis enim ante faciẽ Domini parare vias eius. Parauit vtique vias, ad attingẽdum hanc viam. Nanque ſuo baptiſmo, & ſua prædicatione oſtendit hominibus Chriſtum eſſe viam ad ſalutem ęternam adipiſcendam dicens, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et ſacramenta eccleſiæ ſunt viæ, ad tenendam hanc viam. Eſt infidelis extra viam, proluitur aqua ſacri fontis, iam fit intra viam. Eſt fidelis peccator, qui quãuis ſit in via, at claudicat in via, adeſt ſacramentum pœnitentiæ & ex claudicante redditur rectè ambulans in via, qui tamen adhuc debiliter ambulat in via. Quippe vetus peccandi cõſuetudo pœnitentes vexat, & ad vomitum redire inclinat: ideo pręſto Euchariſtiæ eſt ſacramentũ, quod ſi dignè participatur, fortes nos efficit ad ambulandum in via. Nam quaſi leones flãmas ſpirantes, ſic ab illa mẽſa deſcendimus, terribiles facti diabolo. Sunt viæ etiam ad hanc viam lex Moyſi & prophetarum vaticinia. Nanque legis & prophetarum finis eſt Chriſtus. Lex enim ſuis ſacrificijs Chriſtum adumbrabat, & prophetæ ſuis oraculis Chriſtum proclamãt. Quamobrem Dominus ait, Si crederetis Moyſi forſan crederetis & mihi, nam de me ille ſcripſit. Et Lucæ 24. expoſuit diſcipulis illis euntibus in Emaus legem, & pſalmos, & prophetas Chriſtum conteſtantes.

Sunt quædã viæ perquas peruenitur ad viã regiã quę eſt Chriſtus.

¶Viam, igitur ſe eſſe teſtatur Chriſtus, ob cauſas commemoratas: vnde omnis via, quæ ab hac declinat via, in præcipitium, non in ſalutem declinat. Nanque ſunt vię, quæ videntur homini rectę, at nouiſsima earum ducunt ad perditionẽ. At iſtæ viæ ſunt, quæ ab hac diuertunt via. Si igitur diuertunt ab hac via, vt ſunt doctrinæ hæreticorum, vtique diuerticula hæc ad barathrum deducũt vęcordes.

¶Verũ non ſolum ſe appellauit viam, at adiecit ſe eſſe veritatem, & vitam: vt ſimul oſtenderet ſe eſſe viam, & terminum ad quem, huius viæ. Nam via hæc ducit ad ipſam conſequendam veritatẽ, deducit ad ipſam habendam vitam. Eſt igitur via, quia homo, eſt autem veritas, & vita quia Deus. Et quia idẽ eſt Deus, atque homo, idem eſt via, & finis vię. Et quia hæc via eſt ad Deum via, & ipſe eſt Deus qui homo, ideo eſt via ad ſe ipſum.

¶Obſerua quod non dixit, Ego ſum verax, ſed ego ſum veritas. Non dixit, Ego ſum viuens, ſed, ego ſum vita. Veraces enim ſunt angeli ſancti, veraces ſunt beati, non tamen veritas. Veritas enim, veritatis fontem denotat, vt vita fontem vitæ. Eſt ſanè corpus viuum, non tamen ipſa vita. Eſt anima vita animalis, non tamen ſimpliciter vita. Sunt ſancti veraces, non ipſa veritas, quippe ſi veraces ſunt ex participio huius veritatis ęternæ ſunt veraces, non tamen ipſi in ſe ipſis fontem veritatis habent. Sunt ſanè veritas participata, vt eſſe participatũ, non tamen ipſa veritas: ſicut neq; ipſum eſſe quę eſt totius veritatis, & eſſe principiũ: quæ nec fallit, neque fallere, aut falli poteſt.

¶Eſt igitur verus Deus & verus homo, Chriſtus ideo eſt verè via, & veritas, & vita. Quj ergo in Chriſtum credit, in via rectiſsima verſatur ſpirituali, & ſi vult diſcere, quò tendit per hanc viam, ipſa via docebit quo tendit, nempe ad veritatem ęternam participandam ęternò, ad vitamque adipiſcendam beatam.

¶In via tamen corporali non eſt hoc reperire. Enimuero, quod via eſt non eſt terminus viæ ſed eſt via ad terminum: terminus enim eſt finis viæ: nam adepto termino vians ceſſat ab itinere. At verò Chriſtus ipſe eſt via, & ipſemet eſt finis viæ. Per ipſum eſt progrediendum ad ipſum: per ipſum eſt laborandũ viantibus ad patriam cœleſtem, & in ipſo cõquieſcẽdũ. At vero arctã docuit hęc via, & hæc veritas, eſſe viã ad vitã ducẽtẽ: & paucos eſſe qui hãc viã ſalutis inueniũt. Vtiq; pauci ſunt, qui inueniũt Chriſtũ. Eſt enim ſimilis theſauro abſcondito in agro. Id quod ipſo experimẽto videre licet, ſiquidẽ infinitus eſt numerus ſtultorũ. Plurimi enim colũt Iudaiſmũ, alij Saraceniſmũ, alij idololatriã, quorum collatione, pauci ſunt Chriſticolę. Et Chriſticolarũ, pleriq; multi in hac via nõ procedũt ad vitã, ſed potius retrocedũt: quippe peccatis detinẽtur, quominus per viã hãc progrediãtur. Adhęc Chriſtꝰ fuit viator & via, modo autẽ eſt via, & nõ viator.

Degens

Christus via, & viator.

Degẽs enim vitam mortalẽ, viator erat, quia mortale corpus gerebat: & via erat, quia per ipsum erat nobis viandum in vitam æternam. At modo via est, & viator non est: quia deposita corporis mortalitate iam non moritur, sed ęterno viuit.

¶Et quidem miratu est quam dignissimum, quod ipse in cœlis agẽs via sit terrenorum hominum. Nanque terreni terrenas habent vias, non cœlestes. At verò, ideo ipse via cœlestis est: vt homines cœlestem hanc viam rapientes adhuc in terris agentes, cœlestes reddantur. Terreni igitur si vias ingrediuntur terrenas, in terram deuoluentur, at si hanc rapiunt cœlestem viam, à terra subleuati, in cœlos conuolabunt. Quanuis enim corpore in terra agamus, at fide & amore Christi in cœlis agere possumus, vt agebat ille, qui aiebat ad Phili. 3. Nostram cõuersationem in cœlis esse. Quorum ergo conuersatio in cœlis est isti hanc viam tenent: quia si hanc viam non tenerent, cõuersationẽ in cœlis habere nequiuissent.

Christus via cœlestis terrenos dirigens in cœlũ

¶Ad terrenas ciuitates petẽdas, vię sunt terrenæ: at vero ad cœlestem illam Hierusalem petendam, via est cœlestis. Et ciuitas hæc secum habet viam, nam in ipsa Christus est via ad vrbem hanc cœlestem consequendam. Ciuitates terrenæ extra se habent suas vias: tamẽ cœlestis, in terris non habet suam viam. Est sane Christus in terris in altaris sacramento, at ibi cœlestis nõ terrena est via, quia ibi existens in cœlis est.

¶At quia via hæc vita est: idcirco hanc viam qui ingrediuntur non sunt mortui, sed viui. Porro qui vias mundanas ambulant, viui sunt secundum carnem, at mortui secundum spiritum, quia Deo mortui sunt, qui mundana amant, & nõ cœlestia. At vero, qui hanc viam viuentem, & vitalem ambulant mortificati quidem sunt secundum carnem. 1. Pet. 3. viuunt autem spiritu, quippequi Christo viuunt. Nanque, Gala. 4. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs suis. Hæc via veritas est, qua propter, qui hanc terunt viam, fallaciam odiũt, & veritatem Dei amant. Fieri enim nequit, vt mendaces homines viam ambulent veritatis, sed potius falsitatis. Hanc viam odio habent diabolus, mundus, & caro: verum eandem amat Deus, cœlestis spiritus, & carnis mortificatio. Hanc viam amplexi sunt omnes sancti, quotquot sunt, & fuerunt, & eandem amplectentur quot quot sancti erunt. Nondum enim venerat Christus in mundum, & iam ab origine mundi credebatur, & amabatur venturus. Sicque credentes, iam iusti ambulabant per hanc viam, ò mirabilem viam, nondum extabat, & iam frequentabatur. Nanque huius viæ frequẽtatio, neque erat, neque est gressibus corporis, sed gressibus animi, nempe fide, & spe & charitate. Quamobrem, & præcedentes, & sequentes omnes acclamabãt, O sanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Quia omnes, siue iusti antiqui ante Christi aduẽtum, siue recentiores salutem canunt sibi repositam esse in hac via. Ideoque illam patriarchæ & prophetæ procul videntes fide, procul salutabant amore. Creaturæ omnes viæ sunt ad cognoscendum, & amandum Deum, Paulo testante, Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. At conferendæ non sunt cũ hac vnica & singularissima via, quæ Christus est. Per hanc enim viam non solum cognoscimus Deum, sed etiã tremendam, & augustissimam Triadem cognoscimus, & amamus. Nam hæc via ipsa, manifestat seipsam miraculis & doctrina: & cognoscendo hanc viam, item cognoscimus patrem, quia qui cognoscit patrem, cognoscit & filium. Ideo modo Dominus ait, Philippe qui videt me, videt & patrẽ meũ. Et cognoscẽdo patrem & filium, cognoscimus item Spiritum sanctum ab vtroque procedentem.

Matth. 21.

Creaturę sũt vię ad cognoscendũ Deũ, imperfectæ tamen.

¶Hanc igitur beatissimam Triadẽ creaturæ omnes non sufficiunt ostendere. Ostendunt sanè vnitatem Dei, & sapientiam, & cunctipotentiam, at Trinitatis gloriam indicare nequeunt. Quocirca etsi concedamus creaturas esse vias Domini, vt eas vocat diuinus sermo dicens, Dominus possedit me in initio viarum suarum, diuina nanque sapientia est genita à Deo antequam omnes creaturæ conderentur, verbum enim Dei, quod hoc loco sapientia dicitur, est coęternũ Deo patri, ideoque ante omnem creaturã est à Deo patre in propria

Christus est via perfecta ad cognoscẽdam Trinitatis gloriã.

essentia genitū: at vero istæ viæ nō possunt intellectum creatum manuducere, ad cognoscendam supersubstantialem Triadem. Via autem, quæ est Christus, est excellentissima via, quia omnē creaturam sua excellentia superat. Quippe Christus non est creatura, sed creator: ideoque propter excellētiam huius vię, omnis qui per hanc viam ambulauerit promouebitur ad Trinitatis gloriā per fidem modo cognoscendam, dein clara visione contemplandam. Et non solum hac præclarissima nos via hæc afficit dote, verum etiam promouet hæc via fideles ad posidendam ipsam beatam Triadem, per claram visionem & fruitionē: siquidem per hanc viam ambulantibus patent regna cœlestia. ¶Quocirca via hæc vitalis est, & vita est, quia progrediētes per eam, & non retrocedentes, ad vitam ducit sempiternam. ¶Hocque præclarissimo atque singularissimo fulget munere, quod ipsa sola ducit ad vitam æternam. ¶Neque enim philosophorū doctrinæ hoc præstare potuerunt, neque lex illa Mosayca referta sacrificijs, & cæremonijs, huiusmodi enim non fuerunt cælos referans via. Quippe iusti omnes ante Christum defuncti sunt non acceptis promissionibus ad Hebræ. 11. Porro autem hæc tria, quæ Dominus modo copulauit, dicens se esse viam, &c. Ioannes cap. 1. iam insinuarat. Quippe dicēs, verbum esse vitam & lucem, ait enim, Et vita erat lux hominum, Christum esse vitam, & veritatem haud dubium demonstrauit. Nanque lux ad veritatem referri perspicuum est. At cum subiecit, Et verbum caro factum est, an non subdenotat, vitam & lucem factā esse viam? Quippe quia caro factum est verbum, quod erat vita & lux, factum est hominum via? Verbum igitur Dei, vt verbū Dei est, lux est hominum, & hominum vita, imo non solum hominum, sed & angelorum: at vt caro factum est, via est hominum. ¶Hæc autem via non lassat ambulantes per eam, vt lassant viæ impiorum. Nam ipse Sapien. 5. clamabunt in die nouissimo dicentes, Lassati sumus in via iniquitatis. Imo via hæc corroborat ambulantes per eam. Nulla sanè via hoc fulget munere confortandi ambulantes per eam, hæc sola est quæ corroborat, & vegetat viantes per eam, quia vita est. ¶Initia habet hæc via aspera, & difficilia, quia arcta est via, quę ducit ad vitam Matth. 7. at vero progressus habet molliores, & processus amœniores, veritate testante, Matth. 1. Tollite iugum meum super vos, Iugum enim meū suaue est, & onus leue. Aspera igitur si videatur, & accliuis, at terminum considera, quia ducit ad astra, & beatitudine termini omnis asperitas vię mollescit. Melius est enim ad vitam intrare vnum oculum habētem, quā duos oculos habentem mitti in gehennam, Matth. 18. Et vt dudum aiebam, ipsa hęc via fortificat viantes per eam, quia spiritus est, qui adiuuat infirmitatem nostrā, Rom. 8. Splendida igitur est hæc via, via sancta est, via pacis, vitæ via, plenaque veritate, nunquid hæc aspera dices, mortifera, tenebricosa, fallacia? Hæc aspera, & terribilia si dixeris ineptè dices. Græcè, ego sum illa via, illa veritas, illa vita, emphaticè enim hæc tria leguntur. *Nemo venit ad patrem nisi per me: si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.* Hęc aperta satis sunt ex dudum edoctis, sed dicet aliquis, non cognoscebant apostoli Christum, cur ait modo, Si cognouisse tis me. Diximus superius, inter apostolos, quosdā fuisse alijs tardiores, ad quos forte referuntur verba hæc. Aut intellige si perfectam de me notionem haberetis, item & patris notionem perfectam haberetis. Tu subaudi si fidem exactam haberetis de me, haberetis item de patre meo. Sed hoc non videtur dubium absoluere, quia supra dixerat, Et quo vado scitis, & viam scitis. Vnde sequebatur apostolos & scire patrem, quo Christus ibat, & scire Christum, quæ erat via ad patrē: nunc autem si cognouissetis, inquit me, & patrē meū vtique cognouissetis. Quo sermone significare videtur apostolos, & patrem nescire, & ipsum Christum. Ad hæc Matth. 16. Petrus agens personam collegij apostolici, apostolorū professus est fidē, dicens, Tu es filius Dei viui, igitur apostoli Christum esse filiū Dei viui nō ignorabāt, igitur & patrem sciebāt. Quippe fieri nequit, scire filiū ignorādo patrē, sunt enim correlatiua pater, & filius. Quidquod sæpissimè audierūt Dominū proclamātē se esse filiū Dei: igitur sciebant

Christus nō solum est via ad cognoscē dū beatissimā Trinitatem, sed etiā ad possidēdū eam.

Christus qua tenus homo est via.

Matth. 18.

Collisio apparēs in scriptura.

sciebant eum esse filium Dei. Accedit eodem, Nathanael Ioan. 1. primo congressu sermonis habiti cum Christo professus est Christum esse filium Dei: quo modo igitur apostoli, post diuturnã conuersationem cum Christo, hoc ignorassent? Quod si dixeris apostolos credidisse Christum esse filium Dei, ad hũc sensum, idest, summum sanctitate, & miraculis virum non tamen filium Dei naturalem, obijciam tibi Petri confessionem commemoratam, quam Dominus laudauit, dicens acceptam esse ex reuelatione patris: vnde videtur Petrum confessum fuisse, Christum esse filium Dei naturalem. ¶Quod si rursus dixeris apostolorum quosdam fuisse rudiores alijs, vt Theophi. & alij censuerunt, item obijciet aliquis, quia quanuis apostoli quidam essent rudes, in quibusdam, at verò, in re hac fidei, omnes videntur fuisse prudentes: quippe sæpè à Domino de re hac eruditebantur, quod ipse verè erat filius Dei. Quod si rursus responderis, verba Domini, *Quo vado scitis, & viam scitis*, esse subaudienda, idest, facile est vobis vtrunque scire, vel habetis sufficientes causas vnde possitis hoc scire, & patrem meum cœlestem, & me esse filium eius quod si nescitis vobis imputetur, adhuc vrget argumentum prætactum, ex confessione Petri: ex qua confessione videtur apostolos, verè sciuisse & patrem Deum, & filium eius Iesum Christum. Vnde Caietanica hæc expositio, cuius supra mentionem feci, non absoluit dubium hoc, sicut neque aliæ commemoratæ. ¶Cyrillus autem aliam inuexit huius loci expositionem, dicens, verba hæc dicta esse apostolis, non quia ipsos lateret Christũ esse filium Dei: vnde neq; latebat Deũ patrem esse substantialiter Christi, sed sub persona apostolorũ docebat nos per filium esse cognoscendum patrem, ideo ait, *Si cognouissetis me, &c.* Omnis enim, qui credit in filium Iesum Christum, necessario credit in patrem. Itaque eruditionem fidelium Dominus spectabat loquens hæc verba apostolis: & non dixit, propter ipsos apostolos. Neq; hoc alienũ est ab scriptura. Nanque Paulus sæpe in persona propria loquitur, quod alijs, nõ sibi congruit, vt quod ait. Quod bonum est non facio, sed quod odi malũ Rom. 7. Et aliquando in persona aliena fatur, q̃ sibi competit vt. 1. Cor. 12. Scio hominẽ in Christo, &c. Aut si hoc te non absoluit demum dicere oportebit, Dominum hisce verbis significasse, se esse cõsubstãtialem patri eademq; cum ipso frui substantia deitatis, quasi dixisset, Si meam filiationem diuinam cognouissetis, subaudi, clara visione tunc patrem meũ cognouissetis esse vnum Deum mecũ. Modo autem istud exactè nõ assecuti estis, quia nõdum assecuti estis claram de me notitiam. ¶Sed quî conuenit cum illo quod supra dixit, Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum? Vnde ex patris notitia, infert sui notitiam, nunc vero contra ex sui notione infert paternã notionem. Cæterum, quia vna est substantia patris & filij, ideo correlatiua est notio vtriusque. Obstat autem expositioni Cyrilli, quod subditur continuo, *Et à modo cognoscetis eum, & vidistis eum.* Nanque Græcè legitur de præsenti, Cognoscitis eum. Igitur ad apostolos sunt verba referenda, & ad alios: quoniam ait, A modo cognoscetis eum. Et Cyrillus ita legit de futuro, vt nostra translatio legit: & nõ legit nunc, vt Theophil. & alij Græci legunt, sed à modo. Vnde videtur ex hoc loco apostolos nondũ cognouisse tunc patrem, sed quod erant post modum cognituri. Verum Cyrillus ad huc persistens in sua sententia, exponit verba hæc, de fidelibus omnibus. Vnde, A modo cognoscetis eũ, idest, deinceps cognoscetur in ecclesia mea pater meus. Postquã enim rutilauit euangelica gratia in orbe, omnes fideles habuerunt notionem æternę Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Quæ tamen notio occulta erat sub lege veteri, quippe Hebræos latebat, sanctæ Triadis mysterium. ¶Cæterum, quod sequitur, Et vidistis eũ, videtur ineuitabile argumentum, ad probandum, apostolos tum sciuisse patrẽ. Dei nãque fidei speculatio etiã visio vocatur Paulo testante. 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem faciem ad faciem. Visio igitur fidei est visio non simpliciter, sed ænigmatica: ideo Dominus hanc significans ait. Et vidistis eum. Nisi quispiam dixerit ad sublimiorem notionem, quam sit fidei visio, & minorẽ quã sit beata visio

Visio quædã minor beata & maior visione fidei Theologis quibusdã probatur. Tu lege autorẽ in 1. Sent. in.q. præcursa.

(quæ quibusdã theologis vt Henrico & alijs probatur sententia) referre licebit hæc verba. Hac nanque visione potiti sunt, non omnes apostoli tunc, sed Petrus, Ioannes, & Iacobus Matth. 17. quãdo Dominus est transfiguratus. Tunc enim audierunt isti tres vocem æterni patris cœlitus tonantis, Hic est filius meus &c. Et ideo non inepte dicet aliquis, hęc verba, *Et vidistis eum*, non propter omnes apostolos fuisse à Domino dicta, sed solum propter tres prædictos, Quocirca mihi magis arridet ad hanc rationem exponere. Si cognouissetis clara visione me, cognouissetis quoque clarè patrem meum. Et à modo hoc est nunc vt Græca lectio habet, cognoscitis eum per fidẽ vos omnes, & vidistis eum quidam ex vobis in monte, audientes vocem illam de cœlo allatam, Hic est. Aut vidistis eum, quia me videntes patrem videtis. Ego enim sum imago expressa & viua patris.

Viso Christo videbatur pater, qa Christus est imago, & figura substantię patris ad Hebræ. 1.

¶ At iuxta vulgatam, si legas, Cognoscetis à modo, hoc est deinceps, & si non adfuit vobis cognitio beata de patre, erit tamen post hac cognitio perfectior in vobis de patre meo, quando venerit spiritus sanctus, & insederit super capita vestra sub visibili ignis forma, & inuisibiliter insederit in cordibus vestris docens vos plenius, quisnam ego sum, & quisnam sit pater meus. Id quod Dominus videtur insinuasse verbis alijs, loquens, de paracleto, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Tunc nanque didicerũt apostoli, quod prius ignorabant, spiritũ sanctum à patre & filio procedere. *Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Quia dixerat Dominus, A modo cognoscetis eum, pręueniens Philippus, dixit, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Taxatur, & laudatur Philippus à Cyrillo. Taxatur quidem ceu rudis, quia crassa opinione existimabat Deum patrem esse visibilem oculis carneis, qui alioqui est inuisibilis. Laudandus autem, quia dixit, Et sufficit nobis. Enimuero omnes controuersię contra Christum motæ à Pharisæis erãt, de Christi patre. Nanque miraculorum maiestatem suis calumnijs obscurare nõ potentes, ex hac vna parte Christi authoritatem eleuare conabantur, quia patrẽ

Varię sanctorum expositiones.

suum Christus dicebat esse Deum. Vnde aiebant, Vbi est pater tuus? Hincque se arbitrabantur iustam interfectionis causam nactos, quod Christus homo cũ esset se faciebat Deum. Philippus ergo cupiens absorptas fore controuersias has calũniantium contra Christum ait, Ostẽde nobis patrem & sufficit nobis, ad obturanda ora leonum frementium contra te. ¶ Chrysostomus item & Theodoretus credunt Philippum petiuisse à Christo ostensionem patris secundum aspectum corporalem. Credebat enim eo modo videndum patrem, quomodo ipse Philippus videbat filium. Quod si sic vidisset, nihil amplius fuisset ab apostolis quærendum: & ideo ait, Et sufficit nobis. Quippe anxij erant ad videndum patrem, quem toties nominabat Christus. ¶ Porrò Hilarius. 7. de Trinitate, non retulit Philippi verba ad visionem corporalem, quasi verò Philippus credidisset Deum patrem Christi, visibilem esse aspectu corporali, vnde ait de Philippo. Neque ostensionem veluti corporalis contemplationis intuitum desiderauit, sed demonstrationem intelligendi eius, qui visus est, postulauit. Filiũ enim in habitu hominis viderat sed quomodo per id patrem viderit nescit. Nam & ostensio illa, intelligendi potius esset demonstratio, quam videndi.

¶ Augustinus verò arguendum credit Philippum, & reprehensum fuisse à Domino tradit, ob aliam sanè causam, quã Cyrillus, & Græci indicati exposuerũt. Nempe ex eo putat reprehensum, quia patrem quem cupiebat sibi ostendi credebat esse meliorem filio. Vnde ait Augusti. Sed nunquid obiurgandus est, qui eum similem viderat, etiam illum cui est similis vult videre? Sed ideo discipulum Dominus arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tãquam enim melior esset pater quam filius, ita Philippus patrem nosse cupiebat. Et ideo nec filium sciebat, quo alium meliorem esse credebat.

¶ At verò. 1. de Trini. videtur alio retulisse verba Philippi, ad veram, scilicet, illam beatamque visionem, quæ sola sat est homini perfectè beando. Ait enim, Illa enim lætitia qua nos adimplebit, cum vultu suo, nihil amplius requiretur.

Quod

Quod bene intellexerat Philippus, vt diceret, *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Sed non intellexerat, eo quoque modo ad ipsum se potuisse dicere, Domine ostende nobis te, & sufficit nobis.

¶Porro autē mihi verosimilius est Philippum, non tam rudem diuinorū fuisse, vt eo errore detineretur credēdo Deū esse corpulentię visibilisque substantię: quippe cum esset Christi apostolus, & quem Christus in initio apostolicæ vocationis ad se vocauit. Qui etiam adduxit Nathanaelē ad Christū dicens, Quē scripsit Moses in lege & prophetæ inuenimus. Vnde nō tam rudis censendus videtur, vt tanta ignorantia detineretur, circa Dei substantiam credendo eā esse corpulentam, quando Mosem, & prophetas se non ignorare insinuat. Quando ergo dixit, Ostende nobis patrem, vel ad claram Dei patris visionem verba sunt referenda. Nam huiusmodi visio cum sit longe omnium beatissima, sufficit sola ad beandum mentem creatam: nam viso patre, tota ipsa beata Trinitas videtur. Aut forsan Philippus credens Deum esse natura inuisibilem, hoc tamē solum petebat, vt in aliqua figura visibili se ostenderet illi, & apostolis, Deus pater Christi. Legerat enim, vel audierat ex lectione diuinorum eloquiorū, Deū visum fuisse patribus veteribus sub typis visibilibus, & ideo hoc desiderabat Philippus. Siquidem credens patrem Christi esse Deum, & non hominem cupiebat eum videre sub forma visibili, quem in sua natura tunc videre non poterat. *Dicit ei Iesus, tanto tempore vobiscū sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Græcè, non referuntur verba Domini ad omnes apostolos, sed solum ad Philippum. Non enim legitur, Non cognouistis, sed in singulari non cognouisti me. Dominus nihil respondit ad prædictam petitionem Philippi, *Ostende nobis patrem.* Non enim ait, Ostendam, vel, non ostēdam: sed potius reprehendēdo ignorantiā Philippi, ait, Tanto tempore vobiscum sum, &c. Philippus autem expetit videre patrem, at Christus reprehendit eum, quod non cognouerit filium. Persistit nanque Christus in verbo quod primo dixerat, Si cognouissetis me, vtique & patrem meum cognouissetis. Et hoc in præsentia intendit Dominus, vt Philippus, cæterique apostoli in ipso Christo per carnem assumptam visibili, figant mentis oculos, sic enim figentes mentales oculos cognoscent & filium in filio, & patrem in filio. Patris autem claram visionem in presenti tempore ne curent: quia patris visio, non viatoribus, concedenda, sed solum comprehensoribus.

¶Nam verbum Dei accepit carnem visibilem, vt se reddēdo hac ratione visibilem Deum, visibilemque Dei filium, in filio visibili ex carne assumpta patrem inuisibilem, fidei contemplatione viderent. Vnde canit ecclesia, Per incarnati verbi mysterium lux tuæ claritatis nobis infulsit, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc ad inuisibiliū amorem rapiamur. Verbum Dei suapte natura inuisibile, se reddidit visibile ex carne assumpta.

¶Philippus igitur, ideo carpitur, quia habens coram se filium Dei ex carne visibilem, curiosius inquirebat videre patrē prorsus inuisibilem. Ab hac igitur curiosa inquisitione, auocat Dominus Philippum, dicens, *Tanto tempore, &c.* Quasi diceret, Quid quæris Philippe, patrem meum videre prorsus inuisibilem? Habes me filium Dei ex multis diebus præsentem tibi, & adhuc non figis in eum mentis oculos, neque aduertis, quod ego sum filius æterni patris, quem tu videre anxiè cupis. Desine igitur ab hoc anxio tuo desiderio, & scito patrem meum, me tibi non ostensurum nūc: ipse enim quā diu vita hæc temporalis agitur, nulli ostenditur. Verum, ipse pater me in mundum misit filium suum vnigenitū, & carne hac visibili me induit, vt qui eram inuisibilis, qualis ipse est, corporis habitu assumpto fierē tibi, & omnibus visibilis. Et quia sum illi per omnia similis, ideo qui videt me, videt & patrem meū. Nonne dudū dixi tibi, me esse viā, veritatē, & vitam? Vtique via sum ad cognoscendum patrem, qui me videt, videt & patrem meum, & per me modo, est videndus pater. In beata autem vita ipse pater omnibus ostendetur beatis sine aliquo medio: nunc autem per me solum est ostendendus. Ideo si patrē meū desideras videre, me vide, & me vidēdo videbis patrem, aliàs enim eum non videbis. Scito verba quæ ex ore meo iam

iam auditurus es, Pater in me manens, ipse facit opera. Quocirca si mortuos excito, si cæcos illumino, si infirmos sano, & reliqua mirabilia facio, ista sunt patris in me manentis opera, Ipse sane in me hęc operatur, & ego simul operor. Si ergo cupis patrem meum scire, recogita hoc ipsum quod tibi expono, patrem facere mea opera, & me facere opera patris. Indeq; discres patrem meum mihi esse eundem secundum substantiam, ideo si idē sumus natura, idem operatione, ex operibus meis me considerans, ipsum quoque spirituali oculo cernes. Rursus, sicut is ipse in me manens facit opera hęc mirabilia, quæ vidisti, ipse quoque in me manens dicit quæ ego dico, & quę ego vos doceo. Qua propter, vt ex operibus meis poteris intelligere patris mei omni potentiam, ita ex verbis meis illius cunctisapientiam. Vnde tibi apertum erit, Philippe, me esse imaginem patri meo quā simillimam, & esse viā verā, per quā te oportet patrem cognoscere. Da igitur operam, vt me cognoscas, & tunc patrē meum cognosces.

Christus est imago exactissima Dei patris.

¶Porro autem non loquitur modo Dominus de cognitione qualibet, sed de notitia interna fidei. Philippus enim Christum cognoscebat esse Christum, at non cognoscebat esse filium Dei naturalem. Hanc autem imperitiam Philippi Dominus increpat dicens, *Tanto tempore, &c.* Ad maiorem reprehensionem Philippi, Dominus diuturnitatem temporis, ex quo scholam Christi versarat Philippus in medium producit. Quandoquidem discipulus diu versans Magistri doctrinam, si illam ignorauerit, acerbiore obiurgatione fit dignior, quam si recens discipulus est. Est autem annotandum, q̄ siue verba præhabita legantur, vt vulgata legit, siue vt Græci cum Cyrillo legunt, non exiguum est quod offerunt difficultatis, aut collisionis, cum superioribus. *Quo vado scitis & viam scitis.* Siquidem non absoluit dubium hoc, si dixeris, apostolos cognouisse filium Dei esse Christum, at Philippum latuisse. Siquidem supra de omnibus apostolis dixerat, Si cognouissetis me, vtiq; patrē meū cognouissetis. Nisi dicamus Philippum cū alijs quibusdam apostolis, hac teneri imperitia de filiatione naturali diuinaq; Christi. Et de Philippo res cōperta est, si legatur in singulari, *Et non cognouisti me.* Et de alijs quoque itidem videtur explo ratum, si legamus in plurali, *Et non cognouistis me.*

Collisio apparens soluitur.

¶Cæterum, vt supra colligebam, non possum dubitare non omnes apostolos hac teneri imperitia neque in omnes dirigere Dominum hanc reprehēsionem, *Tanto tempore*: & reliqua. Quippe Petrū, Ioannem, & Iacobum, filiationem hanc puto non latuisse, qui cœlestem illam vocem audierunt, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite Matth. 17. Cum essent simul in monte Tabor cum illo. Et isti erant digniſsimi apostolorum, quos sibi familiariores habebat Christus, & in arbitros, vel testes suorum mirabiliū frequētius asciscebat. Et istos vocat Paulus ad Gala. 2. ecclesiæ columnas: aut si qui alij erant, quia forte alij apostoli etiā erant tanti mysterij participes, qui idem credebant: non tamen esse omnes apostolos huiusmodi, hæc verba facile docent, *Tanto tempore, &c.*

Non omnes apostoli Christum esse filium Dei naturalem cognoscebant sed quidam ignorabant.

¶Et argumento, quod colligebam supra in fauorem Cyrilli aduersus Augusti. Bedę, Theo. &c. sentētiam, quia omnes discipuli Domini sæpe audiebant Christum proclamantē esse se filiū Dei, igitur eos non latebat diuina Christi filiatio, respondetur, verum esse Magistrum frequenter hoc proclamasse mysterium. At verò maiestas tanti mysterij tanta erat, vt non omnes discipuli tunc illud capere potuissent, sed solum qui capaciores erant, & quos Dei spiritus magis illustrabat, vt tanto mysterio credēdo redderētur idonei. *Qui videt me, &c.* Locum hunc. D. Basilius in homilia contra Arrium, Sabellianos, & Eumonæos magni facit, & meritò, vt probet distinctionem realem personarum contra Sabellianos, & vnitatem naturæ contra Arrium. Enimuerò ait, Qui videt me, videt & patrem meum. Iam ergo distinguit se à patre suo, dicens, Me, & patrem, nō ergo pater & filius sunt persona vna.

Testimoniū iugulans Sabellianos, Arrianos, & Eumonæos.

¶Rursus dicens, qui videt me, videt & patrem meum, vnitatem essentiæ denotat, & filium non esse creaturam, sed creatorem, æqualem patri. Nanque quauis creatura visa, etiam si angelicam creaturam proferas, non videtur Deus: siquidē etiam

etiam si ex creaturis euidenter cognoscatur Deus, at visio hæc ænigmatica est, at de hac visione non loquitur Christus, in præsentia. Siquidem nihil magnum de se dixisset, si hoc voluisset quia etiam viso lapide hac ratione videtur Deº. Quid quod non loquitur de visione Dei absolutè, sed de visione Dei patris. Et quidē per creaturas non videtur Deus vt pater Christi. Si ergo per nullam creaturam Deus, vt pater Christi videtur, & per Christum videtur pater Christi, Christus non est creatura, sed est creator, consubstantialis patri. Nanque propter hoc inquit, *Qui videt me, videt & patrem meum.* Et non loquitur modo de seipso, vt homo erat: quia hac ratione visa, humanitate Christi non videbatur pater Christi: quia per humanitatem non poterat videri Deus, vt pater, magis quam per aliam creaturam. Quoniam humanitas Christi creatura est.

Per Christi humanitatē nō potest videri Deus vt pater, magis quā per aliā creaturam.

¶Quo fit, vt loquatur in præsentia Christus de se ipso, vt genitus substantialiter à patre & secundum patris in se manentis opera operabatur cum patre, & secundum quod imago inuisibilis est Dei patris inuisibilis sanè per naturam, & quodāmodo visibilis ex operibus ab ipso factis in carne humana ab ipso assumpta. Quamobrem verè ait, Qui videt me videt & patrem meum. Id quod si ad visionem beatam referas, est perspicuum: visio nanque nō secernit personas, alioqui substantialiter coniunctas. Si de visione fidei, item verum est: fides enim catholica credendo filium necessario credit & patrem. In Christo ergo oculis mentis à Deo illustratæ repræsentabatur Deus pater, non tanquam in creatura. Sed tanquam in filio sibi coniuncto substantialiter. Quāquam ad hanc callendam rerepræsentationem, necessaria erat, vt admonebam superna Dei illustratio. Ex hoc autem loco colligendum puto Christum se vocasse imaginem viuam æterni patris: siquidem ait, Qui videt me, videt & patrem. Igitur filius est quam simillimus patri, & est imago perfectissima Dei patris: vnde non est creatura. Creaturę nō sunt imago Dei patris: sunt sanè vestigium quædā Dei, aliæ vero imago Dei, vt rationales, quæ factæ sunt ad imaginem, & similitudinem Dei: at nulla creatura est imago diuinæ personalisque paternitatis. Quoniam, vt superius admonebam beata Trinitas ex creaturis discì nequit, sed solum ex scripturis sanctis docentibus tanti mysterij celsitudinem. *Quomodo tu dicis, Ostende patrem?* Cum sit tibi præsens, imago viua, & absolutissima patris, cum sit tibi præsens speculū sine macula, vbi pater videri potest, cur quæris quod corā te habes? Dignus sanè qui reprehendaris quia negligis quod coram habes, & quæris, quod præsens tibi adest. Nam me præsentem habes, vbi cernere poteris, patrē meum, vt sub hac vita cernere hominibus datur. Græcè additur coniunctio, Et, *Et quomodo tu dicis, &c. Non credis quia ego in patre, & pater in me est.* Dominus euidentius adhuc exponit, quod dudum dixerat, *Philippe, qui videt me, videt & patrē meum.* Verbis istis, Ego in patre, & pater in me est. Esse autem in patre, non est contineri in patre, vt aqua in vase: siquidem subdit, Et pater in me est. Ideoque hæc inexistentia non est localis continentia: sed neq; hæc inexistētia, est sicut creaturarū in Deo, & Dei in creaturis. Sunt nanque cōdita omnia in Deo, in quo omnia continētur eminentissimè Ioan. 1. Quod factum est in ipso vita erat. Deus quoque est in creaturis omnibus, generali diuinoque essendi modo per præsentiam, essentiam, & potentiam.

Trinitas nō ex creaturis sed ex scripturis discenda est.

Mutua in existētia patris, & filij.

¶At verò nihil conferenda est huiuscemodi inexistētia, ad eā, de qua sermo præsens vertitur. Enimuero filius non est in patre, vt creatura in suo creatore. Creatura enim prius habuit esse in Deo, quam in se ipsa, at filius est patri coæternus: & ideo non prius habuit esse in patre quā in se ipso. Et rursus creatura nobiliori modo habet esse in Deo, quam in se ipsa, vr domus in artificis mente, nobiliori potitur esse, quam extra mentem artificis: at filius in se ipso est æque perfectus, vt suus pater.

¶Præter hæc, Deus est in creaturis contingenter: quia antequam conderet vniuersitatem rerum, non erat in creaturis: cæterum filius est in patre necessario, & pater in filio item.

¶Non est ergo modus inexistendi in creaturis, qui hunc in existendi modum diuinarum referat personarum. Christus

ſtus autē breuiſsimo hoc ſermone diſtinctionem realem ſuam à patre denotat, itemque ſubſtantialem ſuam cum patre vnitatem. Etenim nihil eſt in ſe ipſo: igitur ſi filius eſt in patre, & pater in filio duo realiter ſunt pater & filius. Et item quæ eſſentialiter differunt non habent hunc mutuum inexiſtendi modū. Quo circa, ſi filius eſt in patre, & pater in filio filius ſubſtantialiter eſt ipſe Deus, qui eſt pater, & pater ſubſtantialiter eſt ipſe Deus, qui eſt filius, non tamen perſonaliter.

¶Et vt ſubnotaret hanc Chriſtus ſubſtantialem vnitatem, dixit, Ego in patre, & pater in me eſt. Neque ſermonem habuit de natura, ſed de perſona, dicens, Ego in patre, ſiquidem ſi dixiſſet, diuinitas mea eſt in diuinitate patris, & diuinitas patris, in diuinitate mea, duas diuinitates colligeremus, duasve diuinas ſubſtantias. Non ergo, de ſubſtantia verba fecit, ſed de perſona. Ego in patre, & pater in me, vt diſtinctio realis perſonæ cū vnitate naturæ intelligatur.

¶Aduertendum autem in preſentia eſt, duo eſſe conſideranda in diuinis perſonis, & naturæ vnitatem, & originem. Si primum ſpectes, ita perfectè repreſentat pater filium, vt filius patrem, ſiquidem ſunt vnus Deus. Et ob hanc vnitatem, ſicut qui videt filium, videt & patrem, ita potuiſſet dicere Chriſtus, qui videt patrem videt filium. Itemque de Spiritu ſancto, eadem ſententia eſt.

Ex vnitate naturæ quælibet perſona repreſentat perfectiſsimè aliā nō tamē ex originis ratione

¶Cæterum Chriſtus, non dixit, Qui videt patrem, me videt ſed qui videt me, videt patrem. Et ſupra etiam à ſe incepit dicens, ſi cognouiſſetis me, vtique & patrem cognouiſſetis. Et modo à ſe incipit etiam dicens, Ego in patre, & pater in me eſt: cum potuiſſet etiam dicere incipiendo à patre, Pater in me eſt, & ego in patre. Cæterum non ſic dixit, vt denotaret ſuam originem à patre. Et quantum eſt ex parte originis filius repreſentat patrem, & non pater filium. Vnde ob hoc ſibi ſoli competit eſſe verbum patris. Quocirca, non citra myſterium dixit, Si cognouiſſetis me, Qui videt me, Ego in patre, à ſe incipiens ſermonem. Nempe quia ex origine ęterna hoc ſibi congruebat, eſſe repreſentatiuum æterni patris. Porrò quod ſibi ex origine ętęrna competebat, non amiſit ex temporali humanæ naturæ aſſumptionem. Quāuis enim ex hac aſſumptione non competat ſibi eſſe verbum competit tamen ei eſſe viam ad cognoſcendum patrem, vt ita ſemper retineret proprietatē, manifeſtandi patrem. Nanque via ſemper notificat terminum, cuius eſt via.

Chriſtus quatenus verbū repreſentat patrem ſuum ratione originis.

¶Spiritus autem ſanctus ex origine nō habet, quod repræſentet paternam ſubſtantiam, ideòque non vocatur verbum in ſcripturis. Tametſi quidam vetuſti Greci authores, non formidarunt Spiritum ſanctum vocare verbum patris & filij. Cæterum, quia procedit per amorem, ideo non habet ex ratione originis manifeſtare. De qua re conſule noſtras diſputationes ad. 1. Sent. *An non credis.* Hinc videtur Philippum, non credidiſſe tunc vnitatem ſubſtantialem patris, & filij, id quod ſupra tradebamus. Verū poſt modum, Dei ſpiritu imbutus in die Pentecoſtes, cognouit. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Chriſtus quatenus habet diuinum eſſe à patre, habet & ſapientiam, & potentiam. Quia pater generās filiū genuit ſibi in cunctis æqualem, ideo, vt hoc ſignificet Dominus ait, Verba, quæ ego loquor, à me ipſo nō loquor: id quod ſapientiam denotat, vt quod ſequitur potentiam. Neque tamē quia ait, Pater in me manens ipſe facit opera, ideò putet aliquis Chriſtum nihil operatū, imo ſupra dixerat, Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor. Sed hoc ſolum voluit opera quæ ipſe faciebat, eſſe diuina patris opera, & verba, quæ loquebatur, eſſe diuina patris verba. Vnde, vt talia eſſe probanda, & fide colenda, tanquam veraciſsima verba. *Nō creditis, quia ego in patre* (ſubaudi, ſum) *& pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite*, ideſt mihi. Chryſoſto. & Cyrillus legunt aliter locum hunc, nam legunt, ſine interrogatione, ſcilicet, Credite quia ego in patre, & pater in me eſt. Et Laurentius vertit, Credite mihi, quia ego in patre, & pater in me eſt. Theophi. verò legit, Non cognoſcitis, ꝙ ego in patre, & pater in me eſt? Itaque etiam per interrogationem locum legit. Si vero abſoluta ſit locutio, apertus eſt ſenſus. Dixerat nanque ſupra apoſtolos non cognoſcere

Chriſtus accepit à patre eſſe & ſapere, & poſſe omnia.

diuinam

diuinam ſuam à patre generationẽ, nunc manet vt fidẽ habeant, & credant ipſum eſſe filium Dei ſecundum naturam: & idem ſenſus eſt ſi ſub interrogatione legatur. Niſi quod ſub interrogatione, videtur eos reprehendere, quod non credãt id quod debuiſſent credere, propter verba mirabilia, quæ audierant, & opera miraculoſa, quæ viderant dominum feciſſe. Admonuimus ſuperius, non omnes apoſtolos teneri hac ignorantia, ſed quoſdam, quibus dominus loquitur dicens, An non creditis, id quod prius dixerat, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me.* At verò forſan obſtrepet nobis quiſpiam dicens, verba hęc domini, Ego in patre & pater in me eſt eſſe exponenda, non de vnitate naturæ diuinę, ſed de vnitate amicitiæ, quæ ſumma eſt inter Deum patrem, & Chriſtum. Quæ loquendi phraſis videtur congrua amicis, ſcilicet, quod alter eſt in altero ſecũdum affectum. Quippe anima non eſt vbi animat, ſed eſt vbi amat. Cum ergo ſit vtriuſque amici amor mutuus, alter eſt in altero, hoc modo. Vnde & illud, Amicus eſt alter ego. Et hoc fuit loci huius interpretamentum, quod Arriani ex cogitauerunt, vt ſe eximerent à fide catholica. ¶Porrò ſi antecedentia obſeruaſſent, & conſequentia, non iſtud gloſſema commẽti eſſent. Dixerat enim dominus, Si cognouiſſetis me, vtique & patrẽ cognouiſſetis. Rurſus, Qui videt me videt & patrem. Num ergo qui cognoſcit amicum alterum, ideò alterum cognoſcit? Num qui videt me, ſubinde videt amicum meum? non equidem. Quãobrem, non de vnitate amicitiæ verba ſunt intelligenda commemorata, ſed de identitate naturæ. Et quid quod dominus toties repetit, & apoſtolis obuertit, quod non cognoſcebant ipſum, cur toties monet, vt credant in ipſum, ſi de vnitate amicitiæ fuiſſet ſermo, & Chriſtus ſolum eſſet ſummus ſanctorum amicorum Dei, non tamẽ naturalis filius? Vtique hoc omnes apoſtoli cognoſcebant, & credebãt. Dicens ergo dominus, quod non erat cognitus ab apoſtolis, non loquebatur de Dei amicitia ignorata ſed de filiatione diuina neſcita. ¶Neque magnificaret adeo fidem in ipſum, vt continuo magnificabit, dicens, Qui credit in me opera quæ ego, & ipſe faciet &c. ſi ſolum eſſet fides quod Chriſtus erat ſummus amicorum Dei, quia hæc fides facilis erat, neque digna tanta honoratione. At fides quod erat filius Dei ſecundum naturam, erat eximia fides, quia ſupra vires humanas: quippe videtur bellum gerere, cum natiua ratione, & imaginatione noſtra. *Alioquin propter opera &c.* Ideſt ſi verba mea non ſat ſunt vobis ad fidẽ, ſint ſatis miracula mea. Miraculorum vero eſt habenda ratio maxima: per hæc enim introducta eſt fides in corda hominum. Siquidem miracula cum ſint diuina opera, & Deus non poſſit teſtari falſum, Deus teſtando fidem per miracula fidem eſſe veracem dubio procul teſtabatur. Non conuincunt ſanè, intellectũ, miracula quia nulla ratio, vel miraculũ cogit ad credendum. At verò ſummum ſortiuntur momẽtum diſponens mẽtes noſtras vt credamus. Non probo tamen Eraſ. dicentem, credere propter miracula non eſſe proprie fidem, ſed experientiam, cum tamẽ nõ ſit experientia, quia miracula non cogunt ad credendum.

Arrianorum dogma & inane commentum explodi tur.

Fides iuſtè à Chriſto magnificatur qa eſt ſupra naturam.

Miracula nõ cogũt ad credendum verum diſpoſuerunt mentes humanas bene affectas ad credendum.

ENARRATIO II.
In caput decimum quartum.

¶*Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.*

SVMMÆ efficaciæ eſſe hanc ſupernaturalem in Chriſtum fidẽ verba hæc docent. Nullam enim maiorem efficaciam excogitare poſſumus, quam quod per fidem hãc credentes operẽtur, aut operati fuerint, maiora miracula quam Chriſtus ediderit. Hæc autem verba adiecit dominus modo, vt explanaret, quod dudum dixerat, Pater in me manens, ipſe facit opera. Forſan enim quiſpiam hærẽs verborum cortici exiſtimaret, quod Chriſtus nullũ edebat opus, ſed quod pater in Chriſto exiſtens edebat opera. Quapropter, vt hanc ſubmoueat cogitationem, ſubdit fidei in ipſum efficaciã, dicens, Amẽ dico vobis opera, quæ ego facio, ipſe faciet. Vbi explanat non ſolum ſe facere miracula cum patre, quin etiam & credentes

dentes in ipsum, quia expresit opera, quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum, vel maiora his faciet. ¶ Porrò, verba hæc non de omnibus in vniuersum operibus sunt intelligenda. Quippe credentium nullus per fidem faciet cælos, aut angelos, aut elementa, & hoc genus cætera. Rursus neque intelligas, de omnibus miraculosis Christi, quæ fecit quã diu nostrum versabat orbem, sed de quibusdam maximè videtur locus subaudiendus. Quippe non opera omnia quæ ipse faciebat credẽtes in eum edide runt. Siquidem suscitare mortuum quatriduanum non legimus apostolos feciſse. Quædam igitur apostoli fecerũt, quæ videntur maiora, quam quędam Christi miracula, videlicet, trahere orbem ad fidem Christi. Nam Christus paucos con uertit ex genere Hebræo, at apostoli om nes gentes ad Christum adduxerũt. Rur sus, conferendo quædam quibusdã, maius fuit ad vmbram Petri sanari, quam ad tactum fimbriæ dominicæ. Adhæc quoque est aliud quod maius fecerunt apostoli, quam Christus, scilicet, loqui varijs linguis, Christus solum idiomate Hebræo est locutus. ¶ Porro autem hoc est inconcussum, Christum, quo admodum faciendi miracula excesisse omnes apostolos: siquidem Christus solo impe rio miracula edebat. Vnde dixit adolescentulo, A dolescens tibi dico, surge, & puellæ, puella surge. Et Lazaro, Lazare veni foras, & Paralytico, Tolle grabatum tuum, & ambula. Non enim precibus edebat miracula, sed diuina autorita te, qua præditus erat. Propter ea, quę du dum dixerat. Alioqui propter opera cre dite. Quasi dixisset, Si verba non vos tra hunt ad fidem, trahant opera ipsa, quæ meam diuinitatem ex modo operandi facile testantur. Legimus quidem Act. 19. corpore Pauli detracta sudaria, & semicinctia deferri ad infirmos, & recesſisse ex tactu horum languores, & dæmones fugatos à dæmoniacis esse, id quod de Christo non legimus. Cæterũ, vt dicebam, quædam miracula ediderũt apostoli, maiora quam quædam, quæ Christus edidit, non tamen omnia, vt prædiximus. ¶ Scisitabitur tamen aliquis, num hæc verba domini ad omnes credentes, vt sonant sunt referenda, an

Christus in modo faciendi miracula excesit apostolos.

solum ad apostolos? id quod glossa nõ solum videtur referre sed ad omnes credentes. Verborũ quoque prætextus non solum præfert esse intelligenda de apostolis, sed de omnibus credentibus. Si quidem ait, Qui credit in me &c. etiam si postmodum ad apostolos defert sermonẽ dicens, *Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo faciet vobis.* D. Augusti. ad omnes credentes extendit verba domini: siquidem omnes credentes, per gratiam Ie su Christi iustificantur. Et Christus est qui iustificat eos, vt Paulus. Credenti au tem in eum qui iustificat impiũ. Et ipsi credentes etiam faciunt hanc iustificatio nem, dolendo de suis delictis. Omnibus igitur credentibus fide viua, hoc compe tit, quod se iustificant cooperantes ad suam iustificationem, & quod à Deo iustificantur. At opus huiusmodi iustificã di se, maius opus est quam cęlum conde re, & terram. Quia quamuis omnia opera diuina sint æqualis potentiæ, quia ex infinita prodeunt virtute: at vero opus iustificationis est maioris misericordiæ. Est deniq; opus maius se iustificare Deo adiuuante, quam cælos creare, secũdum Augusti. Inquit enim, Prorsus hoc maius esse dixerim, quam creare cælum & terram. Cælum enim & terra transibũt, prædestinatorum tamen salus & iustificatio permanebit. Addubitat autẽ consequẽter dicens, Sed in cælis angeli opera sunt Christi, nunquid etiam his operi bus maiora faciet qui cooperatur Christo ad suam iustificationem? Iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quam impios iustificare? Certè, si æqualis vtrumque est potentiæ, sed istud est maioris misericordiæ. Et demum Augu sti. per opera Christi, quæ tum faciebat, verba Christi intelligit: nam opera ait, quæ ego facio, at tunc quando hæc dicebat, loquebatur, & nõ aliud operabatur, loquebatur autem verba iustitiæ. Et vtique inquit, Aug. Minus est verba iustitiæ prædicare, quod fecit propter nos, quam impios iustificare, quod ita facit in nobis, vt faciamus, & nos. Et equidem expositio hæc Augustini subtilis admodum est, nisi quis diceret esse magis tropologicã, quam textualem. ¶ Possumus autem & aliter interpretari, verba domi ni esse quidem non solum de apostolis intelli-

Secundum Augustinum homo se iustificat Deo cooperante vt fileat Lutherus negãs liberum arbitrium.

intelligenda, sed etiam de credentibus alijs, qui fuerunt in ecclesia primitiua. Tunc enim ad gignendam, & propagandam in humanis mentibus fidē fideles operati sunt miracula plura: & quædam ex ipsis fuerunt maiora, quam quædam, quæ Christus mirabiliter edidit. Cessante autem necessitate miraculorum, fideles neque maiora, neque minora miracula ediderunt, vt modo videmus. Exponitur autem locus hic ex Marci vltimo vbi, Signa, ait dominus, eos, qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ęgros manus imponent, & bene habebunt. Christus autem non legitur, vel serpentes abstulisse, aut linguis nouis locutum fuisse aut venena mortifera bibisse: quæ tamē videntur maiora, quā Petri socrum à febribus leuasse. Quamuis enim vniuersa miracula ab infinita Dei prodeant potētia, at alia sunt maiora alijs, quia magis sunt supra naturæ ordinem. Miraculum enim est opus supra naturæ ordinem: vnde iustificatio nō est opus miraculosum: quia non est supra ordinem quo fieri solet secundum naturæ suæ conditionem. Non enim iustificatio impij immutat naturæ ordinē, imo potius eum restaurat: quia hominem Deo rebellem, Deo subdit, id quod pertinet ad restaurationē ordinis naturalis. ¶ Est sanè iustificatio supra facultatem voluntatis humanæ, non tamen contra naturæ ordinem. Quod vero dixit Augusti. esse maius opus, quam miraculorum editio, non eò dixit quò ipse crediderit, propriè esse miraculum: sed quia miracula eò tendunt, vt homo iustificetur. Idcirco finis est miraculorū, hominis iustificatio. De qua re alibi disertior sermo erit. Ad priora autem vt redeamur, scito quod mortiferum bibere sine læsione, aut linguis varijs loqui homines idiotas &c. magis est supra ordinē naturæ, quam febricitātem leuare, ideò quædam miracula credentium fuerunt maiora, quam alia quædam Christi miracula. Absolute tamen miracula Christi fuerunt maiora, quam credētiū. *Opera, quæ ego facio.* Hæsitas fortè quia dominus tūc cum hæc aiebat nihil faciebat miraculi, cur ait. Opera, quæ ego facio. Verum quia non dixit modo, sed dixit absolutè opera, quæ ego facio, referre oportet ad opera, quæ proximis diebus fecerat. Vnde eleemosynarius, quando non facit eleemosynas, tamen referens se ad tempus proximum quando faciebat eleemosynas, rectè dicere poterit, Eleemosynas, quas ego facio, ad Dei honorem facio. ¶ Distinxit autem dominus hoc loco, verba sua ab operibus suis, quia primo dixerat, Verba, quæ ego loquor, à me ipso non loquor, & dein, pater ait, in me manens ipse facit opera, & rursus alioqui propter opera credite. Itaque sermo domini videtur de miraculis esse exponendus, quando ait, Opera, quæ ego facio, & non de verbis, vt Cyrillus, Chryso. Theo. exposuerunt, quāuis Augusti. ad verba domini detorserit locum. Neque tamen dominus de omnibus suis miraculis loquitur modo, sed de illis duntaxat quæ proximè fecerat. Siquidem recens natus angelos trahit de cælo ad stabulum, natalem suum locum & Magos ab oriente vocat, &c. quæ credentes facere nequeunt. *Quia vado ad patrem.* Vado, subaudi, ad mortem, per quam transibo ad patrem, gloriosus triūphator mundi, & mortis. Descendi de cęlo humilis, regrediar gloriosus. Et quia humilem habui descensum, nolui totam demonstrare meam potentiam, quia hāc reseruo ostensurus postquam gloriosus regrediar ad dexteram Dei patris. Ideoque cum iam vado illò ad gloriam patris, demonstrabo iam meam potentiā, trahens orbem ad fidem & amorē meū per apostolos & ministros meos quibus committo ecclesiam meam. Et quod nō feci apud homines agens, faciam per ministros meos fideles, in cælis agens.

¶ Vt nemo putet me abesse à fidelibus meis, quia cælum peto, & mundum desero, imò ero illis nunquam nō præsentissimus faciens mirabilia magna per manus ipsorum. Et aliquando maiora me disponente miracula edent ipsi quā quæ ego hactenus edidi, vt miretur mundus vehementius, quando in ipsis magis resplenduerit mea virtus: quia talem potestatem do hominibus credētibus in me. ¶ Porro hæc non edent mirabilia sua virtute, sed mea, ideoque precibus suis à me hæc edere obtinebūt. Et certos deinceps eos

Matth. 8.

Iustificatio non est opus miraculosum.

Iustificatio impij restaurat ordinem naturæ quod per peccatū violatur.

Christus quę voluit facere per seipsum agens apud homines, voluit agere per suos vicarios agens in cælo.

eos facio, me exauditurum preces, & cla mores eorum, petentium patrem in nomine meo. Quidquid igitur hac ratione petierint ego faciam, annuens votis ipsorum. Et hoc est quod subditur. *Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo hoc faciam vt glorificetur pater in filio.* Sed quid est, quod vniuersaliter ait. Quodcunque, quãdoquidem multa petunt sancti, quæ negantur à Deo, vt de Paulo promptum est exemplum, & infideles multa petũt, & non in nomine Christi, quæ tamen cõ ceduntur? ¶ Porrò quædam petuntur tẽ poralia bona, & hæc sæpe non petita do nantur. Enimuero non petimus solis ex ortum quotidianum & donatur, & pluuiæ sæpe sine oratione conceduntur, ita infidelibus, vt fidelibus. ¶ Hæc namq; sunt ad seruandam generaliter naturam quocirca Deus, qui naturæ saluti semper consulit, hæc donat, etiam non rogatus. ¶ Alia verò sunt bona corporalia, quæ sunt particularia bona, huius vel illius, & non totius naturæ bonum: & hęc contingentia bona sunt, vt diuitiæ sunt, & honores. Et hæc sæpe Deus donat rogatus, & plerumque sine precibus. Hæc autem bona non sunt ea, de quibus modo loquitur, Christus. Nãq; hæc sunt infima bona, quia corporis bona. Quod si hæc petũtur aliquãdo interpõsito Christi nomine, vt ecclesia sæpe petit pluuias & salutem, per Christum dominum nostrum, ideo fit, quia hæc petit quatenus seruiunt cultui Christi, & ideo iam fiũt quodammodo spiritualia bona.

Bona corporalia vniuersalia alia, alia priuata.

¶ In nomine Christi, qui est optimus & maximus optima, & maxima sunt petenda à Deo.

¶ Demũ alia sunt spiritualia bona, qualia sunt peccatorum remissio, gratiæ infusio, beatitudinis consecutio. Et hæc quia sunt maxima bona, digna sunt, quę petantur à Deo patre per Christum dominum. Hoc enim sibi vult, in nomine meo ideſt, per ipsum Christum. Namq; nomen vsurpatur pro re. Ideo in nomine Christi petere patrem, est per interuẽtum Christi petere. ¶ Sunt autẽ quædam, quæ etsi videntur bona spiritualia, non tamen ex se talia sunt, vt non diuexari tentationibus dæmonis. Etenim nõ nunquam melius est profectui nostro spirituali, istis diuexari, quam ab illis vacare. Pauli quapropter preces, quæ vacare ab hac diuexatione petebant, non impetrarunt: siquidem huiusmodi diuexatio Paulo cedebat ad spiritualem profectum. Vnde illi oraculum respondit diuinum, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Verum qui dã petunt sibi noxia, & impetrant, quia quædam concedit Deus iratus, quæ non concederet propitius. Alij verò salubria videntur sibi petere in nomine Christi, & non impetrant, aut quia apud Deum non sunt salubria, aut si sunt, non tamen continuo exhibenda, sed diutius magis expedit petẽti illa differre. ¶ Est autem dubio procul omnis petitio bonorũ spiritualium, necessariorum ad vitam æternam efficax semper ad impetrandum, si rectè fiat. Namque si non rectè fiat nihil impetrabit. Iudæus enim, qui obstinatus est in sua perfidia, & infidelis quiuis alter, etiam si petant remissionem peccatorum, & gratiam Dei, non exaudiẽtur, quia malè petunt. Non enim petunt in nomine Christi, quia abhorrent à Christi fide. ¶ Rursus fideles etiam si petant in nomine Christi, si segniter petunt, quod summo negocio esset petendum, non exaudientur, quia non bene petũt. Vnde dixit Iacobus cap. 4. Petitis, & nõ accipitis, quia male petitis. Est autem petitio mala quæ mala petit, vt inimicorũ petens vindictam, & alia hoc genus. Aut bona est petitio, sed malè fusa, vt qui spiritualia petit, at desesse est & iners in petẽdo. Nam peccata non deserens, spiritualia petit. *Si quid petieritis patrem.* Græcè nõ legitur patrem, verum quia subauditur, adiecta est particula hæc. *Si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam.* Æqualitatem suam ad patrem, satis demonstrat istis verbis. Primo enim dixit petendum patrem in nomine ipsius, nunc vero docet ipsum quoque petendum, in nomine suo. Hoc est petendum esse & precandũ Christum, per ipsum Christum. Cum primo dixit precãdum patrem in nomine Christi, se mediatorem esse profitetur, & suam humanam naturam, secundum quam est mediator, & aduocatus noster testante Ioanne demõstrat. Cum verò se in nomine suo esse precandum testatur se esse verum Deum eundem in patre haud dubium demonstrat. Vnde si obseruas in nomine Christi vtrumque comprehenditur, & diuinitas, & humanitas. ¶ At verò dicet aliquis, cum dominus

2. Cor. 12.

Non sat est petere in nomini Christi nisi quæ huic nomini congruunt petamus, & studioſè petamus.

Testimoniũ diuinitatis Christi.

1. Ioan. 2.

Notanda dubitatio.

nus nos orare patrem docet, dicens, Sic orabitis patrẽ, Pater noſter, qui es in cælis, &c. non adiecit quicquam de nomine ſuo, non enim dixit in fine orationis, Per Chriſtum filium tuũ. Reſpondebis, quicumq; ſeruata hac forma precandi Deum patrem orat, per Chriſtũ virtualiter orat. Namq; orat eandem orationẽ quam ipſe Chriſtus iuſsit orare. Et ſatis eſt ſi virtualiter precemur Deum in nomine Chriſti, ſi formaliter in nomine Chriſti aliquando non precemur. Chriſtus denique Matthæ. 7. nos admonuit dicens, Petite & accipietis, quærite & inuenietis, &c. Hoc autem loco, oſtendit per quem petere debeamus patrem, nempe per Chriſtum. In conſuetus ſanè precandi modus ante Chriſti aſcenſum in cælos, & priſcis inauditus at vero iam fidelibus omnibus familiariſsimus.

ENARRATIO III.
In caput decimum quartum.

Si diligitis me mandata mea ſeruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.

Iaco. 1.

CAPITE. 13. commendarat dominus diſcipulis ſuis mandatum vnum maximæ obſeruationis, de dilectione fraterna, nũc vero, vniuerſaliter omnia ſua præcepta iniũgit apoſtolis obſeruãda. Enim vero, qui offendit in vno factus eſt omniũ reus. Et dilectio Dei in hoc vno collocatur. ſ. in obſeruatione diuinorũ mãdatorum, vt poſt modum dicet, Vos amici mei eſtis ſi feceritis omnia quę præcipio vobis. ¶ Neq; enim ſola fides nobis ſufficit, ad vitam capeſſendam æternã, niſi mandata illa obſeruemus. Dñs enim modo, non de ſola fide loquitur ſeruanda, ſed de omnibus ſuis præceptis. Non enim, omnis, ait, qui dicit mihi, Domine domine, introibit in regnum Dei, ſed qui facit voluntatem patris. Eſt autẽ voluntas patris, Chriſti obſeruare præcepta. Quæ ſanè, quia ſunt Chriſti, & ſimul ſunt patris, quia quæ Chriſtus præcepit, & idem pater præcepit, & diuerſo, ideo iam dicuntur verba patris, iam voluntas patris, iam verò verba Chriſti, & mandata Chriſti. ¶ Sunt ergo qui dicũt,

Lutheranũ dogma explo ditur.

Mtath. 7.

Vacua fides ab operibus neminem ſal uat.

Domine domine, & præcepta non ſeruant, qui fidem habent at vacuam ſanctis operibus, quales illi ſunt, quos commemorat ſcriptura qui confitentur ſe noſſe Deũ, & factis negãt ad Tit. 1. Quapropter, dilectionis ſuæ ſymbolum voluit eſſe obſeruantiam mandatorum ſuorum & ſupra cap. 13. dixerat, In hoc cognoſcẽt homines, quod eſtis mei diſcipuli ſi diligatis inuicem. Propterea ait, modo, ſi diligitis me, mandata mea ſeruate. Quaſi dixiſſet apertius, Scitote vos me tunc verè diligere, quando mandata mea ſeruaueritis, nam iſtis violatis, nullam habetis mei dilectionẽ. Opportunè autem dominus mox diſceſſurus ab apoſtolis, hæc docet apoſtolos, vt ſcirent qua nã ratione erant dilecturi abſentem, quẽ putabant diligere preſentẽ. ¶ Porro autem, quia triſtes erant apoſtoli ex verbis domini diſcentes, mox ab eis eſſe auferendum, dixerat enim dudum ſe ad patrem vadere, ideo, ad iecit. *Ego rogabo patrem, &c.* Chriſtus quatenus homo eſt aduocatus apud patrem omnium hominum: & hac ratione rogat patrem, quia hac ratione minor eſt patre. Et ſicut viuens in carne mortali patrem precatus eſt ſæpe vt. 16. cap. Ioan. teſtatur. Et in horto precatus eſt. Et ad Hebræos. 5. Paulus conteſtatur, nunc quoque carne immortali, & glorioſa fruens, cum ſit idem, qui prius apud homines erat, etiam idem munus præſtat precandi pro nobis. Vnde Paulus ad Hebræ. 9. Aſcendit, ait, in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Quocirca ait modo. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Paracletus autem eſt vox Græca, ſignificans duo, & aduocatum, & conſolatorem. Secundum priorem ſignificationem, Chriſto vtrũque congruit. Eſt namque aduocatus, quatenus homo, & conſolator. At vero Spiritus ſanctus non eſt aduocatus, ſed ſolum conſolator fidelium. Etenim aduocati eſt agere clientuli cauſam, & precari pro illo, apud iudicem. At vero Spiritus ſanctus neminem precari poteſt, quia Deus eſt vnus cum patre, & filio. Sed quis diceret, quod aliquis precatur ſeipſum. Refutanda eſt enim væſania Macedonij credentis Spi-

Chriſtus aduocatus & cõſolator.

ritum sanctum esse minorem patre, & filio, cum tamen fides catholica doceat, esse vnum Deum cum patre, & filio. Idcirco non est aduocatus, quia non habet superiorem, sed est Deus supremus. Non me latet Dydimum lib. de Spiritu sancto, asseruisse sanctum Spiritum esse aduocatum indicans locum Pauli. Quid oremus, sicut oportet nescimus: spiritus est, qui orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si postulat, igitur aduocatus est. At vero locus hic probat nihil. Etenim, sicut Spiritus sanctus non potest gemere, ita neque postulare. Ideo Augustinus locum hunc intellexit causam vsurpans pro effectu. Quia enim Spiritus sanctus, fideles facit orare, ideo dicitur ipsum orare pro nobis. Eodem tropo dicitur, Nunc cognoui quod timeas Deum. Genes. 22. id-est, cognoscere te feci. Ad quam rationem Gregor. concedit esse aduocatum nostrum, dum eos ait, quos repleuerit exorantes facit.

Ad Rom. 8.

Consolandi actio cur tribuitur Spiritui sancto.

¶ Est autem consolator Spiritus sanctus, quia actio consolandi, communis est toti Triadi: tribuitur tamen Spiritui sancto: quia eidem tribuitur bonitas, ad quam pertinet consolandi actio. Solabatur ergo Christi corporalis præsentia apostolos, quia tantisperdum erant sub Christi vmbra, timebant nihil: imò illud fortasse dicebant, quod Iob aiebat capit. 17. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.

¶ At verò cum aspicerent iam iam deserendos ab hac præsentia corporali, mærore, & tædio tenebantur. Ideo dominus, vt eos leuaret à tædio, quo afficiebantur, alium paracletum pollicetur, significans etiam se esse paracletum, quia ipse aduocatus erat apud patrem, & item consolator fuerat suorum discipulorum eos pascens verbo beatæ doctrinæ, & cibo etiam corporali, & eosdem semper secum habens in socios, & comites. At verò quia discedebat consolans eos ait, se rogaturum patrem, vt alium daret paracletum.

Spiritus sanctus est alius non aliud à patre & filio.

Est ergo Spiritus sanctus alius à patre, & filio, aliàs non diceretur alius paracletus. Spiritus enim sanctus, non est aliud à patre, & filio, sed est alius: quippequi alia persona est. Explicaturus autem, quis sit hic Spiritus consolator, ait primo esse spiritum veritatis. Diabolus namque est Spiritus mendacij. 3. Reg. 22. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Et supra. 8. Mendax est, & pater eius: Spiritus vero sanctus contra spiritus est veritatis & spiritus veracissimus. Neque solum spiritus veritatis est quia ab ipsa veritate procedit, nempè à patre, & filio, qui sunt ipsa veritas, sed etiam est ipsa veritas. At Christus se vocat veritatem, quia Deus est, est autem Deus verax, & omnis homo mendax. At vero, quia Spiritus sanctus, est spiritus filij Paulo testante ad Galath. 4. Misit Deus in corda nostra spiritum filij sui clamantem, abba pater: ideo Spiritus sanctus est spiritus veritatis. Et quia est idem Deus substantialiter qui filius, ideo non solum est spiritus veritatis, sed spiritus, qui est ipsa veritas.

Spiritus sanctus est spiritus veritatis & est ipsa veritas.

¶ Cæterum veritas, cum sit essentiale nomen commune est toti beatæ Triadi, etsi attribuatur filio, quia veritas pertinet ad intellectum, & filius habet esse à patre per intellectualem operationem.

¶ Quod verò ait, Qui à patre procedit, non excludit se à principij ratione, quippe pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Cæterum non dixit, Qui solum à patre procedit, sed, Qui à patre procedit. Idcirco cum pater sit principium Spiritus sancti, ab ista communione principij, non est cur excludatur filius, cum in diuinis omnia sunt vnum nisi vbi obuiat relationis oppositio. In hac autem ratione principij, non opponuntur pater & filius, igitur neque distinguntur.

Theophilactus & alij Græci de processione Spiritus sancti.

¶ Theophilactus comment. ad Ioannem. 3. hæreticum putat esse dogma Spiritum sanctum esse à patre, & filio: fatetur esse spiritum filij, non tamen ex filio. Duobus se munit argumentis. Primo, quia nulla scriptura hoc testatur. Secundo, quia duo principia haberet Spiritus sanctus. Et argumento Latinorum ex facto domini, insufflantis in apostolos, & simul dicentis, Accipite Spiritum sanctum, respondet dominum tunc

tunc non dediſſe Spiritum ſanctum, ſed donum Spiritus ſancti, ſcilicet, facultatem remittendi peccata. In quam ſentẽtiam fuit S. Damaſce. cap. 11. lib. 1. de Fide Orthodoxa. & Euthimius in cõm. huius loci. Cæterũ res hæc iam eſt extra aleam iudicij: conſtituit enim eccleſia vt certiſsimum dogma fidei, Spiritum ſanctum procedere à patre & filio, non vt à duobus, ſed vt ab vno principio. Teſtimonia quæ hoc probant, infra exponentur, & nos in. 1. lib Sententiarum affatim pro noſtro modulo diſſeruimus.

¶ Porro autem antequam ad vlteriora ſit progrediendum, placet quærere, circa prædicta cur Spiritus ſanctus, hac paracleti nomenclatione à Chriſto appelletur. Enim vero, non eſt exigui operis, diſſerere, quæ nam hæc ſit conſolatio: quandoquidem Ioannes Ferus, hãc voluit eſſe conſolationem, quia Spiritus ſanctus fideles certificet de ſalute comparanda æterna velut arrhabo & cęleſte pignus. Et quia dogma iſtud non nihil videtur ſubolere Lutheranam doctrinam, ideò habet patronum Ioannes Ferus Michaelem à Methina, qui diſtinguens iuxta vulgatam doctrinam multifariam vſurpari vocem hanc certitudo. Eſt enim certitudo quædam euidentiæ. Et hæc alia eſt, quæ habetur ex terminis ipſis: qualis eſt certitudo principiorum, vt quodlibet eſt vel non eſt. Alia eſt certitudo euidentiæ ex demonſtratione, & hæc eſt concluſionum demõſtratarum. Alia eſt ex euidentia ſenſus, vt quod hæc albedo eſt. Alia vero eſt certitudo ineuidentiæ: & hæc alia eſt certitudo fidei, & hæc duplex, alia fidei catholicæ, alia certitudo fidei humanæ, illa infallibilis, hæc fallibilis. Et hæc rurſum alia eſt, quæ generatur ex autoritate dicentium, vt quod Roma eſt, alia vero quæ colligitur vel ex rationibus, vel ex coniecturis, aut teſtimonijs aut ſignis: & hæc eſt certitudo moralis.

Certitudinũ varia genera.

¶ Contendit igitur hoc afferre patrocinium, ſcilicet, Ferum non intellexiſſe, Spiritum ſanctum certos facere credentes certitudine euidentię, aut certitudine fidei catholicæ, quia hoc eſſet hæreticum dogma Germanorum: at vero certos facit certitudine morali: quia Spiritus ſanctus, quibuſdam ſignis, & coniecturis certificat fideles inſtos, de ſua ſalute. Et hanc certitudinem moralem deducit ex ſcriptura indicans Iudith. 11. Certum eſt quoniam hæc faciunt in perditionem dabuntur &. 2. Timoth. 1. Certus ſum autem quod & in te. Quod vero hæc certitudo adſit fidelibus colligit ex Paulo ad Galat. 4. Miſit Deus ſpiritum ſuum in corda noſtra clamantem, abba pater. Igitur ſi clamat in nobis certi ſumus, quod ipſe eſt pater noſter. Namque Hiero. inquit, Non auderemus dicere, Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, niſi de conſcientia ſpiritus habitantis in nobis. ¶ Rurſus Ioannis. 10. Oues cognoſcunt vocem paſtoris Chriſti. Quomodo autem cognoſcerent, ſi certæ non eſſent de voce paſtoris certificante Spiritu ſancto?

Argumenta in fauorẽ Michaelis à Methina.

¶ Ad hæc Paulus ad Roma. 8. Teſtimoniũ reddit ſpiritus, ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus. Hoc autem teſtimonium certitudinem denotat. Demum ſtabilit ſuam ſententiam, indicans Liberij ſummi pontificis epiſtolam in hæc verba, Confidimus autem de vobis fratres chariſsimi meliora, & viciniora ſaluti. Quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia (magiſtro gentium docente) poterit vos ſeparare à charitate domini noſtri Ieſu Chriſti, & quæ eſt in ipſo recta fide. Vbi iunxit põtifex verba ad Hebræos. 6. cum verbis ad Roma. 8. quæ videntur docere certos eſſe fideles, de gratia Dei quam habent, non ſolum ipſi, ſed etiam alij. Hæc ſunt quæ ab hoc autore indicantur in ſuffragium placiti Ioannis Feri, cuius ſe profitetur patronum.

Ioannes Ferus & Michael à Methina nõ probantur.

¶ Porrò autem promptum eſt ab hoc patrono quærere, num iſtæ coniecturæ vel ſigna, quæ exhibet Spiritus ſanctus fidelibus, ſunt fallaces, aut fallaces minimè, ſed certiſsimæ? Si dixeris primum, non ſunt ab Spititu ſancto, qui eſt ſpiritus veritatis, & non eſt ſpiritus mendacij, ideo neminem fallere poteſt. Si dixeris eſſe certiſsimas, non ergo ſunt cõiecturæ, ſed certiſsima ſunt argumẽta vel teſtimonia, igitur non eſt moralis certitudo, nam hęc fallere poteſt, nõ ſolũ in

particularibus de quibus modo agitur, imo in vniuersali? Namque, omnis mater diligit filium suum, habet moralē certitudinem, & fallere potest, imò fallit nonnunquam. Videmus enim sæpe matres strangulare filios suos, aut in flumen, vel puteum proijcere. Præter hæc si fallaces sunt, igitur non consolantur, quia vbi est fallaciæ opinio, certitudo non est, & vbi non est certitudo, consolatio vera non est. ¶ Adhæc, quales sunt istæ coniecturæ, qualia hæc signa, quæ Spiritus sanctus efficit in fidelibus? Sunt ne signa visibilia qualia erant, quæ primailla ætas ecclesiæ ferebat super baptizatos, vnde baptizati certo credebant se esse in gratia Dei? At hoc, iste autor fatebitur minimè. Quid ergo, sum inuisibilia, qualis est imaginatio nostra, aut ratiocinatio nostra? at hæc sunt fallibilia, igitur non sunt ab Spiritu sancto. Quod si dixerit esse reuelationem ab Spiritu sancto, vel actum interiorem quendam, vtique hæc non sunt coniecturæ. Et si sunt ab Spiritu sancto non apparet quid aliud sint nisi reuelatio. Verum hoc fidelibus iam non datur, neque ipsi fideles vulgò sentiunt. Et demum si istud verum esset fideles omnes huiusmodi non coniecturis aut signis, sed summa certitudine scirent se esse in gratia Dei.

Argumēta refellentia placitū Michaelis a Methina.

¶ Accedit istis, quia vel certitudo communicatur omnibus fidelibus, aut quibusdam. Non omnibus, quia plures sunt criminibus irretiti. Si quibusdam, igitur iustis tantum. Sed quid, quia iustorum multorum frequens est lapsus, quomodo ergò certificabit illos Spiritus sanctus de salute consequenda, qui quotidie labuntur, & periclitantur? Quidquod iustorum nonnulli, peribunt æterno excidentes à iustitia, nunquid hos etiam certificabit Spiritus sanctus, esse in gratia Dei illis ostendens istud per coniecturas, & signa? non puto. Quorsum enim hos certos faciet de gratia, quam habent, quam certo scit Spiritus sanctus tandem amissuros. ¶ Crediderim igitur apostolos, martyres, aliosq; sanctissimos viros, hoc præditos fuisse munere, quos certos fecit Spiritus sanctus de salute æterna consequenda. Vnde apostolis dixit Lucæ. 10. Sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Et

Apostolis & alijs quibusdam sanctissimis ex priuilegio donatū est esse certa tuæ salutis.

Paulus clamat dicens. 2. Corin. 13. An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christi? & rursus. Puto autem quod ego spiritum Dei habeam. 1. Cor. 7. Cæterum Fideles alij, quamuis victi sint sicut illis non patet sua electio, ita occulta est sua iustificatio: nisi ex cōiecturis quibusdam, & signis, quæ non efficit in eis Spiritus sanctus, vt iste autor arbitratur, sed ipsi in seipsis commentantur, & ideo sæpè falluntur huiusmodi. Et quidem si rem exactè pendis istā, videbis ita esse. Enimuero si opera heroica quæ fideles facere possunt, non excludunt necessariò peccatum mortale, vt Paulus de martyrio commemorat, & de erogatione omnium bonorum in eleemosynam &c. 1. Cor. 13. Et hæc, inquit, facta citra charitatem nulla esse, vnde insinuat posse fieri citra charitatē, quid ergo si martyrium non præstat certitudinem, à quibus operibus, obsecro capiemus signum huius certitudinis? Non sanè ab exterioribus actibus, quamlibet heroicis, Paulo testante, sed neque ab interioribus actibus, qui sæpe externis nobis sunt occultiores, vt patet in pœnitentibus, qui frequenter nesciunt suas coram confessarijs extricare conscientias, & incertissimi sunt de actibus suis interius, quales fuerint, quove fine fuerint editi, quippequi volatiles sunt.

Opera heroica quæ exercent fideles non sunt signum certum quod sumus filij Dei.

¶ Et quidem charitas acquisita, sæpe larvam induit charitatis infusę, & nobis imponit plerumq; vt credamus rectè amare Deum, cum tamen non amemus: quia peccata in latebris nostri pectoris delitescunt, quæ sub vultu bono, suum venenum condunt. Credimus enim esse bona, quæ alioqui sunt vicia occulta. De quibus aiebat ille Dei vates. Ab occultis mūda me domine &c. Nos de re hac in. 4. Sentent. plura diximus, ideo maiori tractatui horum superfedendum cēsui.

¶ At opportunum erit ratiunculas allatas à Michaele soluere.

¶ Primò enim dicimus, verba Iudith, Certum est, quoniam hæc faciunt in perditionem dabuntur, non sunt intelligenda de certitudine morali, vt ipse putat, sed de certitudine fidei, sub conditione: certum, scilicet, est quoniam hæc faciunt, si ab eis non desistunt perdendos esse ęterna perditione. Et quod

Soluuntur argumenta Michaelis Metinensis.

Paulus

Paulus ait, se esse de fide Timothei, hæc certitudo forsan erat ex reuelatione Dei ex qua certus erat Paulus habere fidē nō fictam. Neque mirum quod hanc reuelationem de fide Timothei, & aliorū quorundam fidelium Paulus fuisset assecutus, qui raptus in tertium vsque cælū audiuit arcana verba, quæ nō licet homini loqui. ¶ Tertio dices verba illa Pauli nihil probare autoris huius placitum, siquidem si de Spiritu sancto intelligas, Spiritus sanctus non clamat, sed facit nos clamare ad patrem. Et fieri potest quod eo inspirante clamemus, absq; eo quod certi simus, quod ipse excitat in nos hos clamores. Sæpe enim peccatores feruido animo orant, & sunt nihilominus proprijs peccatis innodati. Aut si de charitate infusa sit sermo, hæc item facit nos clamare ad Deum patrē. At verò latet nos ipsa infusa charitas, quia nonnunquā acquisita charitas fingens personam infuse hos clamores præstat. Vt fides acquisita mentitur sæpe se esse infusam, & actus fidei quosdam exercet, vt in hæreticis etsi non omnes præstare potest. Vtiq; si nobis offerrentur omnes occasiones peccandi possibiles, & omnes illas abominaremur, esset signum certū charitatis. Quippe peccata omnia collectiuè, nemo sine charitate vitare potest. Quāuis igitur Spiritum sanctum habeant iusti per quē clamant & orant patrem cœlestem, at verò nesciunt se hunc habere spiritū. Ad eum dixit supra, veniemus & māsionē apud eum faciemus. Cæterum etsi beata Trinitas, mansionem faciat in mentibus iustorum, verum iustorū mentes, tanti hospitis aduentum scire certo nesciūt: quoniam, vt dominus inquit Ioan. 4. spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Enim vero, hoc voluit diuinus spiritus, vt hoc nos lateret, ad humilitatem nostram, vt cum tremore, & timore salutem nostram operemur Philip. 2. Vnde Petrus nos monens, vt benè operemur, Satagite inquit, per bona opera certam facere vocationem vestrā. Ergo fidelibus est incerta hæc vocatio, si iubē te Petro satagendum est illam certam facere non coniecturis, & signis, quæ sæpe fallunt, sed exercitio sanctorū operum. ¶ Est sane vocatio certa ex parte Dei: at vero ex parte nostri arbitrij incerta est

2. Petri. 1. & 3.

secundum Petrum. Neque dixit Petrus satagite certam habere vocationem, sed facere, idest curate bonis operibus assequi vitam æternā. Ergo consolatio, quā facit Spiritus sanctus fidelibus non est certos eos facere de gratia Dei, quam habent, aut de beatitudine quam sunt habituri, vt putat Ioannes Ferus. ¶ Quod si quærat aliquis, cur ergo Spiritus sanctus consolator appellatur, siue paracletus? Vtiq; in prima ætate ecclesiæ, quando principes, & populi fremuerunt aduersus ecclesiam Dei, & apostoli & alij fideles missi sunt ad prædicandū, quasi agni in medium luporum, necessaria erat diuina consolatio, ad roborandum apostolos & discipulos domini. Etenim fieri nō poterat, homines fragiles, tot tormenta ferre, totque supplicia sustinere propter Christi amorem, nisi certi essent, de vita æterna, propter quam assequendam omnia illa sustinebant. ¶ Vnde Stephano quando lapidabatur Christus apparuit glorioſus ad dexteram patris residens. Exque cælesti throno roborabat militem suum agonizātem in terris, eidemque ne deficeret diuina submini strabat solatia Acto. 7. Vnde id temporis etiam Spiritus sanctus sub forma visibili apparebat super baptizatos, vt se certo scirēt sanctificari ex baptismo. ¶ Apostolos igitur, & forte omnes alios sanctos martyres, & confessores illius qui solabatur Spiritus sanctus in omni tribulatione & pressura ipsorum, quam patiebātur pro fide Iesu Christi. Neque tamen hæc consolatio erat soliusSpiritus sancti, sed etiā totius. B. Trinitatis. Vnde. 2. Thessa. 2. Ipse autem dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternā. Vocatur autem æterna consolatio, quia certificabat apostolos, de præmio æterno, & hæc certificatio erat consolatio æterna, quia de æterno erat præmio. Et quia per Christi merita dabatur Spiritus sanctus consolator: ideo Paul. 2. Corinth. 1. ait, per Christum abundat consolatio nostra. Tribuitur autem cōsolatio Spiritui sancto prætacta. Post quam autem ecclesia Dei tranquillitate fidei gaudet, neque iam, vt solebat, aspergitur sanguine sanctorum martyrum, iam cessauit, illa abundans consolatio, de qua locuti

Spiritus sanctus consolabatur apostolos & alios discipulos domini eos roborādo ne deficerēt in tormētis quæ patiebantur propter fidē Chri

dudū ſumus ex Paulo dicente, Per Chriſtum abundat cōſolatio noſtra. Etenim Deus neque abundat in ſuperfluis neque deeſt in neceſſarijs. Quoniam facit omnia in numero, pondere & menſura. Affliguntur vero modo fideles ex alijs cauſis, ſiue fame, ſiue peſte, ſiue bellorum impetu, ſiue alijs cauſis, quæ ex iuſtitia fidei non habent ortum. Propter ea eſt alia multò diuerſa modo conſolatio, quam prius erat. Conſolatur autem Spiritus ſanctus etiam num labores fidelium, ex illa conſolatione, cuius meminit Apoſtolus ad Rom. 15. vt per patientiam & conſolationē ſcripturarum ſpem habeamus & pœnitentes ad ſpem remiſſionis erigit. ¶Porro obijcies mihi canonem concilij Trident. ſeſsio. 6. can. 9. vbi docetur meminem eſſe certum de ſua iuſtificatione. Hoc ſanè verum eſt de communi curſu, & ordinaria lege, vt ſupra diximus: at verò ex ſpeciali priuilegio Concilium nō negat eſſe poſsibile. Quo priuilegio ſunt potiti ſancti apoſtoli & forte plures alij in eccleſia primitiua propter rationes iam expoſitas. Quod verò Hiero. ait, non auderemus orare, pater noſter, niſi de conſcientia ſpiritus habitantis in nobis, non eſt intelligendum, vt hic cenſuit autor, ad orandum Deum patrem oportere habere per gratiam, inhabitantem Spiritum ſanctum, ſiue totam triadē. Quia ſi neceſſe eſt ſpiritum ſanctum habere inhabitantem, ad orandum ex prece dominica, item erit neceſſe habere totam. S. Triadē, quia eſt vnus Deus. Et ſecundum hoc dogma ſi verum eſſet, eſſet neceſſe etiam nos eſſe in gratia Dei, prius quam hāc orationem Deo patri funderemus, id quod nullus concederet. ¶Cæterum quia Paulus inquit. 1. Cor. 12. Neminem poſſe dicere nomen Ieſu, niſi in Spiritu ſancto: id quod non eſt audiendum neminem poſſe proferre nomen Ieſu, niſi ſit donatus gratia Dei, & Deo ſit amicus, ſed quoniam nemo reuerenter nominat hoc nomen, niſi ex quadam motione ſpiritus diuini: ita nemo reuerenter orat patrem dicens, Pater noſter, &c. niſi ex quadam motione Spiritus ſancti. Aut dicito Hiero. per conſcientiam non intellexiſſe iſtam certitudinem, quam Spiritus ſanctus iuxta hunc autorem operatur in iuſtis fidelibus. Namque ſine hac certitudine ipſi precantur Deum patrem, ſed vocat conſcientiam credulitatem quandam coniecturalem, non quam dat Spiritus ſanctus, ſed quam ipſi ex ſuis conceperunt operibus, præſtando totum quod poſſunt in obſequium Dei ſibi concipiunt. Et ex hac credulitate coniecturali audēt Deū cōfidēter nominare patrē. Peccatores vero quos conſcientia proprij ligat reatus trepidanter dicent, Pater noſter, quia voce patrem profitentur, quem factis negāt. ¶Quinto dices fideles iuſtos eò audiunt vocem Chriſti, & illam cognoſcunt, quia obtemperant euangelio propoſito ab eccleſia. Nam eccleſia docet fidem catholicam, eſſe quam ipſa exponit: & fideles obtemperando eccleſiæ cognoſcūt paſtoris Chriſti vocē. Quippe Chriſtus per ſuos vicarios clamat ad fideles. Non tamen eſt neceſſe habere certitudinē aliquam interiorem ex Spiritu ſancto, quæ doceat hanc eſſe vocem Chriſti paſtoris: ſed ſufficit eccleſię docenti adhęrere. Vtique ſi certitudinem aliam aſſerimus, exhibemus anſam hæreticis ad ſuam fouendam perfidiam. Dicent enim ſe non habere certitudinem ab ſpiritu quod eccleſia regitur ab Spiritu ſancto, aut quod ipſa fallere non poteſt: ideoque nolunt adhærere decretis eccleſiæ, ſui placata admodum proclamantes. ¶Sexto dices verba Pauli referenda eſſe ad tempus apoſtolicum. Apoſtoli enim, & alij præclariſsimi diſcipuli domini, hoc teſtimonio Spiritus ſancti ſunt potiti, ad eorum conſolationem. Reuelatum enim eſt illis ab Spiritu ſancto eſſe compotes futuros regni æterni. Nāque hoc teſtimonium non eſt aliud quā reuelatio diuina, ex qua edocti ſunt ſe eſſe ſcriptos in libro vitæ, ex priuilegio particulari. ¶Hoc autem priuilegiū, ſi alicui alteri ſanctorum poſt illa eccleſiæ primitiuæ tempora exhibitum eſt ignoramus: quāuis B. Martino accidiſſe legatur. Namq; iam iam moriturus aſtātem dæmonem aſpexit, cui dixit, Quid aſtas hic beſtia cruenta, an ignoras me repoſitū eſſe in ſinu Abrahæ. Quāquā qđ electis in articulo mortis hæc certitudo donetur Greg. in quadā homilia inſinuare videtur. Et ideo nō eſſet multū à vero abhorrens beatiſsimū Laurētiū, & alios martyres

martyres, qui immaniſsimos, & horrendiſsimos tulerunt cruciatus hac conſolatione fuiſſe potitos, videlicet, certitudine regnandi cum Chriſto.

Electis in articulo mortis datur certitudo regnãdi cum Chriſto.

¶Verum ſub vitæ curſu, tantiſperdum vitã degimus quiſquis hoc priuilegio potitus fuit, aut erit præter legem communem eſt. ¶Liberio dices, quod alia eſt ratio de Paulo confidenti de Hebræis meliora, & certo facto de ſua ſalute alia de Liberio, confidentiam habenti de ijs, ad quos ſcribebat. Paulus enim habebat cõfidentiam ex Dei reuelatione. Liberij vero confidentia de ſalute ſuorum humana erat confidentia, ideoque fallibilis confidentia. Paulus item gaudebat certitudine de vita æterna conſequenda: ij verò ad quos Liberius ſcribebat, illa laborabant. Sed de his hactenus, *Maneat vobiſcum*. Spiritus ſanctus conſolatus eſt apoſtolos conſolatione æterna, vt ſupra admonuimus ex Paulo. Quippe poſtquam eos imbuit die Pentecoſtes, nunquam illos deſeruit, ſed duxit eos ad vitam æternam, in quibus modo quoq; inhabitat. Hinc tu conſidera, rectè ex hoc loco colligi apoſtolos, poſtquam acceperunt Spiritum ſanctum, in die Pentecoſtes confirmatos fuiſſe in gratia Dei, & nunquam amplius criminaliter peccaſſe. Nam ſi peccaſſent, iam ſpiritus, non manſiſſet in illis in æternum. Et hæc erat potiſsima conſolatio ſanctorum apoſtolorum, quia conſolatorem ſpiritum ſemper in hoſpitio pectoris ſui habebant. Nos verò, qui quotidie labimur, quam conſolationem ſpiritus habere quibimus? Et iſti qui iactant has conſolationes, & certitudines neſcio, ſi ſciunt quæ loquuntur, aut de quibus affirmant. Nam quæ certitudo erit mox lapſuris, aut facilè caſuris quæ conſolatio? *Quæ mundus &c.* Bifariam intellige locum, aut de machina mundana, aut de hominibus mundanis. Si de machina mundana, vtique totus mundus non poteſt capere Spiritum ſanctum. Nam ſpiritus domini repleuit orbem terrarum, & hoc continet omnia, ſcientiam habet vocis. Quod ſi ſpiritus domini continet orbem terrarum, continens non poteſt capi à contento quin potius contentum capitur à continente. Et non ſolum non poteſt mundus capere ſpiritum domini, ſed neque cognoſcere, quia philoſophi, ſuis ſubtiliſsimis rationibus, naturas rerum indagantes Spiritum Dei non cognouerunt. ¶Vel ſi de mundanis agatur, idem ſenſus habet locus iſte, atque ille Ioan. 1. In mundo venit, & mũdus eum non cognouit: in propria venit, & ſui eum non receperunt. Id quod de Chriſto euangeliſta commemorat. Sic ergo ſicut Chriſtum mundani homines non cognouerunt, quia in eum non crediderunt, neque receperunt per amorem, imo excluſerunt per odium: ita quoque & ſanctum Spiritum mundani homines, non crediderunt, neque receperunt in viſceribus ſuis. Etenim hic ſpiritus eſt veritatis, mundani homines amatores ſunt falſitatis: hic ſpiritus eſt ſpiritus ſanctitatis, mundani homines ſunt amatores iniquitatis: & contraria ſe inuicem expellunt, tantum abeſt, vt ſe inuicem recipiant, Spiritus autem ſanctus eſt cõtrarius mundano ſpiritui. Ideo mundanus ſpiritus, expellit à ſe Spiritum ſanctum, neque poteſt eum recipere. *Quia non videt eum.* Cauſa quare mundus non poteſt recipere ſanctum Spiritum eſt, quia non videt eum per fidei ſpeculationem, neque ſcit eum, per amoris approbationem. *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Cognouerunt apoſtoli Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes, quando factus eſt repente de cælo ſonus &c. & apparuit Spiritus ſanctus ſub ſpecie ignis. Tunc ſanè viſibilẽ illam ſpeciem, ſub qua apparuit Spiritus ſanctus apoſtoli, & alij diſcipuli domini, qui ad cænaculum conuenerant, viderunt oculis ſuis: ſicut & auditus eſt ſonus ille vehemens auribus corporali auditu. At verò interius etiã cognouerunt Spiritum ſanctum non clara viſione, quæ beatorum ſolum eſt, ſed cognouerunt operationem manifeſtam Spiritus ſancti, in illuſtratione mentis apoſtolicæ ad intelligendas ſcripturas cognouerunt, item Spiritum ſanctum, ex inconſueto, quem videbant mentali oculo in ſeipſis ardore diuini amoris, ex linguarum denique dono.

Spiritus ſanctus & mundanus ſpiritus ſunt contrarij ideo mutuo ſe expellunt.

Apoſtoli quo modo cognouerunt Spiritum ſanctũ.

¶Putat Laur. Valla legendum, Apud vos manet, & non manebit. Et Eraſmus vtrumque verbum tranſtulit per præſens tempus, quia Græcè legitur,

Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet. Et ad eundem modum legit Theophilactus. Quod si hoc modo esset legendum sensus est, Mundus non cognoscit Spiritum sanctum, quia immundus & impurus est, vos autem quos ego mundaui cognoscitis eum, qui creditis eum: & in vobis manet per charitatem, quam in vobis infundit, & in vobis erit copiosius in die Pentecostes. Mansit autem Spiritus sanctus semper in apostolis, post quam eos imbuit in die Pentecostes. At verò quia dominum negauit Petrus, & Thomas non credebat resuscitatum. Et demum eos vocat dominus incredulos: ideo Spiritum sanctum, quem habuerunt ante mortẽ domini sub morte domini amiserũt. Dicet igitur aliquis, quomodo ergo vera sunt verba domini hæc, in vobis manet si legamus cũ Græcis? Namque Latina translatio, ab hoc dubio nos liberat, quæ legit manebit. Verum quia dominus sæpe vtitur in suo sermone tempore vno pro tempore alio prẹsenti, scilicet, pro futuro, vt quod modo ait, Ego viuo, præsentis est temporis, at vero futuram habet significationem, significat enim paulo post ab hoc tempore viuam vita immortali, ita & rursus mũdus me iam videt, erat quidem eum visurus mundus, tunc, quia ligandus, & ducendus ad præsides & crucifigendus à mundo erat. At vero, referuntur verba hæc illa, mundus me iam non videt, post quam, scilicet, resurrexero à mortuis, homines communiter me non videbunt. Ad quem modum præsentem locum licebit intelligere, In vobis manet, hoc est manebit æternò, post quam ego resurrexero. Et quia postquam apostoli cognouerunt dominum surrexisse, sibi conciliarunt Spiritum sanctum, quem ex sua incredulitate ante domini resurrectionẽ perdiderunt. ¶ Dicere autem, quod tunc in triduo illo, manebat in eis Spiritus sanctus, secundum electionem Dei, vt putat Caietanus, non probo, quia si electio, ad veritatem hanc defendendam sat esset, etiam manebat in apostolis Spiritus sanctus, antequam nascerentur. Et possemus dicere etiam, quod in apostolis in vtero matris suæ conceptis manebat Spiritus sanctus, id quod est absurdum. *Non relinquam vos orphanos veniam ad vos. Ad hoc modicum, & mundus me iam non videt: vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis.* Quia dixerat, Ego rogabo patrem, & alium paracletum &c. forsan venerat in suspicionem apostolorum se perpetuò esse orbandos Christi aspectu, ideò obuiam it modo dominus huic suspicioni, dicens, *Non relinquam vos orphanos.* Quasi dixisset apertius, Rogabo patrem, vt det vobis consolatorem inuisibilem, qui vestras mentes visitet, & corroboret: at vero ego quoque ero vester consolator. Namque etsi crucifigendus sim, at mox ex mortuis surgam, & immortalis iam vobis apparebo & me videbitis, & me tangetis, & mecum vescemini, & lætabimini ex meo aspectu, & consolabimini. Et tristitiam quam ex morte mea habebatis ex noua vita mea, quam oculis vestris cernetis depelletis. Sui vobis & sum vobis, ceu pater diligẽs filios suos, & ideo vos vocaui filios: ideoque quam diu mortuus ero, eritis velut orphani destituti meo solatio. At vero non vos relinquã diu sub hac orphanitate, quia tertio die resurgam fractis vinculis mortis, & rursus vobis rediuiuus apparebo, & vobiscum loquar, *Veniam igitur ad vos*, vos consolaturus. ¶ Adhuc post pusillum tempus mundus me iam non videt, quia post triduanam mortem surrexit inuisibilis omnibus hominibus nisi quibus ipse voluit se manifestare, vt se manifestauit apostolis, & quingentis fratribus, & Magdalenę &c. Siquidẽ est hic status beatorum, vt sit in eorum potestate beata sua corpora visibilia facere, aut retinere inuisibilia. *Vos autem me videtis.* Hoc est, vobis ero visibilis tunc, etiã si alijs sim inuisibilis. Vobis tamen, qui permansistis mecum in tentationibus meis, me ipsum ostendam, ad consolandum vos: fruemini igitur plena consolatione, & inuisibili spiritus paracleti, & visibili mea. ¶ Porrò non est sermo modo de die illo terribili iudicij, quãdo mũdus videbit Christum. Videbunt enim filium hominis venientem in nubibus cæli cum potestate maxima Matth. 25. Sed solum est sermo hic, *Mundus me iam non videt.* Significat, ero mundo inuisibilis, à morte mea vsque in diem iudicij, quando ero omnibus iustis, & iniustis conspicuus. ¶ Nunc autem in sacramento

to altaris non videtur Christus sub propria forma, sed sub forma panis consecrati à fidelibus fide videtur, & fide adoratur. *Ego viuo.* Et si vado ad mortem, at hæc mors, quam citissimè est à me depellenda, ideo quia mox sum à morte ęternò victurus, dixerim vobis me modo viuere vita illa immortali. *Et vos viuetis.* Neque putetis, quod quia tradendus sum modo morti, ideo vos quoque trademini morti. Non enim trademini, quia ego seruabo vitam vestram. Et quidem hoc præstitit Dominus dicēs, si ergo me quæritis, sinite hos abire. Et benè obserua quam obscura sunt sæpè verba Domini. *Aut vos viuetis*, etiam, vitam immortalē, quādo in die nouissimo excitauero mea virtute pulueres vestros ad vitam immortalem. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me.* Postquam Dominus, se excitauit à morte, aperuit discipulis sensum scripturarum, & ideo nacti tunc sunt absolutiorem fidem, & manifestiorem reuelationem, de diuinis sacramentis. Et cognouerūt sanctæ Triadis profundum sacramentum, & quod Christus erat idem secundum substantiam diuinam cum patre: & cognouerūt quod ipsi erant in Christo, sicut amici sunt in amico per amorem, aut sicut mēbra suo capiti sunt coniuncta. *Et ego in vobis*, Christus est in fidelibus per fidē, & charitatē, & fideles sunt in Christo, quia Christo vniti per diuinam amicitiā, quæ est charitas. Non ergo est quoad omnia similis vnio patris & filij, & vnio fidelium cum Christo. Nam filius est in patre ex vnitate naturæ, at fideles in Christo, ex vnitate charitatis, vt amatum est in amante, & amans in amante, per amoris copulationem. Vel Hilario authore ille est in nobis per naturæ nostræ assumptionem & nos in illo per esum carnis & sanguinis eius potum. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Replicat quod supra dixerat de amore, quia opus euangelicæ disciplinæ est dilectio, vt supra dicebat. Qui habet igitur Christi præcepta per fidem, & seruat per charitatem ille diligit Christum. *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligā eum: & manifestabo ei me ipsum.* Qui diligit Christum, statim diligitur à Christo, ad vitam æternam, & simul diligitur à patre. Cæterum quod ait de futuro, diligitur, & diligam est quo ad donum perseuerantiæ, quod dabit Christus diligentibus se, & quia fouet beatos, & eos excitabit à morte ad vitam glorioſam in die nouissimo. Hæretici igitur, qui habentes mandata euangelica, quia habere est credere, & illa ipsi credunt, non tamen seruant ea, garrientes non esse opera necessaria ad vitam assequendam ęternā, non diligunt Christum, etsi glorientur & sibi gratulentur, quod hac pollent dilectione, cum alioqui fallax sit hæc gratulatio. Quod si nō diligunt Christum, non diliguntur à patre Christi. Quare si non diliguntur neque à patre, neque à filio neque diligentur à paracleto. Si autem nō diliguntur à Deo, quid supereſt, nisi quod odio habeantur? At oblatrant nobis, nullum esse præceptū, nisi de fide habenda, & nullum esse peccatum excepta infidelitate. Sed quid Ioannes ait, Qui odit fratrem suū homicida est, quantumcunque credat? Igitur si odit homicida est, facessent nugæ istæ nugacissimæ, quas merito damnat Cōcilium Triden. sessione. 6. can. 19. & 27. *Manifestabo ei me ipsum.* Nunc in cœlo ostendit se Christus animis sanctorum, quibus ostendit diuinitatem suam in die nouissimo se manifestabit Dominus visibili forma omnibus pijs, & impijs. Cur ergo modo inquit, quod se ruantibus mandata se manifestabit? Cæterum sicut resurrectio impiorum est ad pœnam, & resurrectio sanctorum ad vitam, ideoque horum resurrectio est beata, illorum verò longè miserrima, ita manifestabit se tum sanctis manifestatione beatificante, at impijs manifestatione deterrente, & damnante. Erit enim summa pœna impijs Christum Dominum iudicem aspicere: ideo non de hac manifestatione odiosa quę erit impijs, sermo Domini est capiēdus, sed de manifestatione amabili, supra omne id, quod amari potest, atque desiderari. Quidquod quasi non lubens se manifestabit impijs, quia Deus non vult mortem peccatoris: neque impij formam diuinam aspicient.

Christus in forma sua humana se manifestabit pijs, & impijs in die nouissimo.

¶ Erasmus ad manifestationem occultā in vita retulit verba hæc, & per hanc manifestationem secretā, intelligit afflatū, quo Deus se insinuat in animos suorum.

Et hoc deducit ex verbo Græco ἐμφανίσω quod significat secretã manifestationẽ. Vnde emphasis dicta quod tacitam vim habeat, quem secutus est Caietanus.

¶ Cæterum, vt dicebam dum hæc mortalis interlabitur vita, nulli cõtingit hæc occulta Christi manifestatio, quippe. 1. Cor. 13. videmus nunc per speculum in ænigmate & nullus habet certitudinem quod ipse præditus est charitate, nisi alicui ex speciali donaretur priuilegio, quod rarum est, & nobis est incertum. Et sub hac ratione intelliges Cyrillum in lib. 10. cap. 3. dicentem, Non est ergo communis sanctorum cognitio, sed eximia & certa, longeque ab illa communione differens, ideſt, à communi cognitione Dei quam habent fideles. Quam obrem si retentam amas verbi significationẽ dicerem, potius verba esse referenda ad Domini resurrectionem. Nanque surgens à mortuis non omnibus apparuit, sed testibus præordinatis à Deo. Ideoque tunc se manifestauit, at secretè. Et ad hanc rationem Theophil. locum hunc interpretatur. Quanuis verba hæc Domini ad omnes diligentes Christum, referuntur, non solum ad apostolos. Idcirco priorem expositionem amplector magis. *Dicit illi Iudas, non ille Scariotes, Domine quid factũ est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo?* Expauescens Iudas frater Iacobi verba Domini, quod erat se manifestaturus apostolis, & non mundo, huius rei causam exigit à Domino. Quasi dixisset, Cur tanti nos facis Domine, vt nos præferas toti mundo cum alioqui pauperes simus & viles in reputatione mundi. *Quid factum est.* Hoc est Cyrillo interprete, vnde tanta mutatio. Tu enim dixeras, cum excitatus fuero à terra omnia traham ad me, Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet ad me adducere. Vnde prophetatum est, Dedi in lucem gentium, vt sit salus mea vsque ad extremum terræ, quid ergo est quod modo ais, mũdus me videbit? vel aliter. *Quid factum est.* Hoc est, quid repente accidit noui, quo tu solum te manifestabis nobis & non mundo? Hispanè si velis interpretari dices, *Que nouedad es esta.* Chrysost. & Theophilactus verò in aliam retulerunt textum hunc intelligentiam, Quid factum est? Num quia morieris, & post mortem te manifestabis nobis sicut spectrum, vel phantasma, & ideo mundus te non videbit, sed nos soli? Collegerat enim ex verbis Domini Iudas hic si mundus eum nõ videbit, igitur morietur, & nobis tunc, vt amicis solum se manifestabit, in visione, vt solent mortui suis apparere amicis. Verum ex respõsione Domini, prior sensus est germanior. *Respondit Iesus, & dixit ei, Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Respõsio hæc absoluit Iudæ propositum dubium. Etenim ideo apostolis & diligentibus Christum erat manifestandus ipse, & non mundo, quia in præmium dilectionis exhibenda est diligentibus manifestatio diuinitatis Christi, in cœlesti patria. Quia vero mundani homines hanc dilectionem contemnunt, ideo ipsis non est manifestanda Christi diuinitas. ¶ Demonstrat autem symbolum certissimum, ex quo dijudicandũ sit, si quispiam diligat Christum, scilicet, ex obseruatione præceptorum Christi. Et hoc sæpe inculcat Christus, vt persuasum esset apostolis, non eò ipsos diligere Christum, quò tristes erant valde, de eius abcessu: sed potius admonet eos omnem dilectionem Christi in hoc vno esse collocãdam, nempe, in obseruantia sermonũ Christi. Et non vnius vel alterius sermonis, sed omnium sermonum Christi eorũ videlicet, qui erant sermones præceptiui. Nam non omnes Christi sermones sunt præceptiui, quidam enim spectant consilia, vt, vade, & vende vniuersa quæ habes, & sequere me, Mar. 10. Lucæ. 18. Qui ergo seruat diligit, qui non seruat non diligit. Quod verò ait, *& pater meus diliget eum*, videtur asserere, quod non diligit pater in præsentia, sed in futuro. Verum superius admonebat, eum, qui diligit Christum diligi statim à Christo, & à patre, quo ad remissionem peccatorũ, & gratiæ infusionem. Verum quantum ad munera alia, scilicet, perseuerantiæ in bono, & quantum ad præmia conferenda cœlestia, &c. non item, quia hæc continuo donantur, sed suo tẽpore. Et ideo quoad hæc diligetur post modum amicus Dei à Deo, & non statim diligitur.

Esa. 42. Ioan. 12.

Demum

Demum quo ad effectum omnem dilectionis, de quomodo sermo est, non statim diligitur. At dicet aliquis, quid ergo prius oportet nos diligere Deum quam diligamur à Deo? Vtique prior dilexit nos Deus, vt Ioannes commemorat. Etenim ipse dilexit suos ante mundi constitutionem. Cæterum, quia solum donat coronas cœlestes diligentibus se, & alia beneficia spiritualia, vt perseuerantiam, & augmẽtum fidei, & charitatis, & spei, & aliarum virtutum & reliqua hoc genus solum tribuit diligentibus, ideo ait, Diligetur à patre meo, & diligam eum. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Supra dixerat, Ego rogabo patrem, & ipse dabit vobis alium paracletum, qui maneat vobiscum in æternum. Quod dixerat de Spiritu sancto, hoc idẽ dicit de se & patre, Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ne videretur alicui excludendum Spiritũ sanctum, quia solum modo patrem, & se nominat, ideo supra dixerat iam hoc idem de Spiritu sancto. Nisi quod supra de apostolis faciebat verba, nunc vero, ad diligentes Deum in mercedem dilectionis hoc pollicetur, patrem, & se filiũ ad eum venturos, &c. Rursus loquens de Spiritu sancto, ait, Qui vobiscum manebit in æternum, nihil meminit huius mansiones ęternæ, quippe solum ait, Apud eum mansionem faciemus. Cæterum quia Spiritus sanctus est vnus Deus cum patre & filio, si pater, & filius veniunt ad mentes fideles, vtique & Spiritus sanctus.

1. Ioan. 4. Ad Ephes. 1.

¶Locus autem hic bifariam potest intelligi, aut quod venient pater, filius, & Spiritus sanctus ad diligentes se, in vita hac temporali, aut locum referre ad æternã vitam. Si enim ad vitam ęternam referamus, manifesta est expositio. Quandoquidem tota beata Trinitas illabitur, in mentibus sanctorum, & illis vnitur veluti quædam infinita species intelligibilis, vt ipsas faciat beatas. Et mansionẽ facit apud huiusmodi beatos, quia vita æterna eos donat. Nanque venire hoc loco non aduentum per corporis gressus significat qui Deo non potest competere, quia est spiritus omnia replens. Sed est aduentus per nouam operationem. Summa autẽ operatio est Dei erga beatos. ¶Si vero ad viatores extendas locum, difficilior redditur intelligentia. Quippe rarissimi sunt iusti, qui semper perseuerant in statu sanctitatis, quem ex fonte sacro baptismatis sibi pararunt. Ideoque mansionem non faciunt tres beatissimę personæ in huiusmodi. Iam enim pœnitent, iam reuertuntur ad vomitum. In apostolis vero fecit mansionem Sancta Trinitas, vt dudum memorabam. Theologi autem ex hoc loco docent Spiritum sanctum non solum dona ri nobis in munere, sed etiam in persona. At poterit quispiã dicere, non dixisse Dominum, Mansionem æternã apud eum faciemus, sed mansionem: siquidẽ tantisperdum charitatis dilectio in homine iusto persistit, manet in eo beata Trinitas per nouam operationem, illustrationis, & corroborationis,

Illapsus Dei in beatis per modum speciei intelligibilis cum intellectu.

Tres personę non solũ donantur nobis in munere, sed etiam in personis.

¶Theoph. & Chrysosto. exposuerunt, tanto honore dignabor me diligentes, vt non solum ego me manifestabo illis, sed & pater meus illis se manifestabit. Porro hæc manifestatio patris fuit apostolis per sublimem quandam de. B. Trinitate reuelationem, alijs autem fidelibus est per fidem synceram docentẽ veritatem diuinarum personarum.

¶Hæc autem verba Domini apertè docent, Deum non deserturum suos amicos, quandiu in amicitia Dei persistunt: quia hoc sibi vult, Mansionem apud eũ faciemus. Hoc est nunquam deseremus eos, sed apud ipsos semper erimus specia li assistentia, eos manutenendo, & conseruando, nisi ipsi velint amicum Deum deserere, Deus eos non deseret. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Liquet ex prioribus. *Et sermonem, quem audistis non est meus, sed eius, qui misit me patris.* Græcè sermo, quem auditis. Valla interpretem carpere videtur, quod sibi vsurparit licẽtiam, quæ vix Poetis permittitur. Nam hic modus loquendi, quomodo vtitur, extat apud Virgilium. Vrbem, quã statuo, inquit, vestra est. Verũ quia in psalmo legitur, lapidem, quem reprobauerunt ędificantes hic factus est in caput anguli, & Græcè eodem modo legitur, videtur interpreti modo hoc licentiæ esse permittendum: verum interim hæc mittamus. ¶Dominus igitur, quia sublimia de se dixerat, scilicet, patrẽ esse missurum

Assistentia Dei specialis significatur per mãsionẽ.

surum paracletū propter ipsum, & ꝙ ipse erat in patre, & pater in ipso, & quod diligens Christum, erat diligendus à patre, & sermones Christi non obseruantem, non esse diligendum à patre, ideo subdit vt apostoli hæc diuina esse credant, Sermo quem audistis, vt legit Augustinus aut sermonem quem audistis non est meus. Id quod alibi dixerat Ioā. 7. mea doctrina nō est mea, sed eius, qui misit me patris, at Mar. 4. dicebat in doctrina sua. Hoc autē verisimè aiebat, vt cætera omnia. Siquidē etsi filiꝰ apud nos sæpe loquitur, quæ patri non sunt grata, & quę pater non loquitur: at filius Dei quod loquitur, est patris sermo, quia est vnus Deus numero cum patre. Christus igitur Deus & homo, filius Dei cum esset, & vnus Deus cum patre, necesse erat quod quæ loquebatur, vt homo, ea loquebatur, quæ ipse vt Deus volebat loqui. Et consequenter quæ ipse loquebatur, Deus pater loquebatur. Et vt semel dixerim, quæ Christi humanitas fatur, hæc eius diuinitas per humanitatem fatur. Prophetæ autem quando afflati diuino numine loquebantur, loquebantur, quæ Deus per illos loquebatur. At aliquando lumen propheticum eos deserebat, & tunc verba eorum non erant verba Dei, vt ex proprio loquens. Natham legitur aliquando fecisse. 2. Reg. 7. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Quod submissius dixerat superius loquens de Spiritu sancto, Ego dicens, rogabo patrem, &c. nunc altius, repetit dicēs, Quē mittet pater in nomine meo. De Christo autem legimus venisse in nomine patris. Ioan. 5. Ego veni in nomine patris mei. Hoc etiam modo ait, in præsentia mittendum Spiritum sanctum in nomine suo: vt insinuet Spiritum sanctum à se procedere. Nam ex eo venit filius in nomine patris, quia est vnigenitus patris, & à patre procedens. Sic quoque paracletus mittitur in nomine filij, quia à filio procedit: & missus in nomine filij, mittitur quoque in nomine patris, quia filius est à patre. Et ideo si mittitur à filio mittitur item à patre. Theophil. aspe riorem inuexit huius loci expositionē.

Prophetę nō semper loquebāturquę Deus nisiquā do illuminati loquebantur.

Putat nanque venire Spiritum sanctum in nomine Christi, esse ipsum Spiritum sanctum nomē habere Christi. Id quod probat ex Paulo ad Roman. 8. quo loco Christum nominauit spiritum, dicens, Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Si autem quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Deinde subdit, Si autem Christus in vobis. Vnde videtur Christum nominasse Paulus spiritū ex contextu sermonis. Si ergo Christus, spiritus nominatur, sic intelligendum verbum Christi credit, Paracletus, quem mittet pater in nomine meo, ideſt & ipse nominabitur Christus. Didymus quoque in lib. de Spiritu sancto hanc eandē est amplexus expositionem.

Theophil. & Didymus expenduntur.

¶ Cæterum Christus, idem est, quod vnctus, spiritus autem sanctus nullibi vocatur vnctus, sed potius vngens. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me. Lucæ. 4. & Esa. 6. Nisi velint eò dici Christum vel vnctum, quia Christus, & nos etiam oleo lętitię vnxit. Quò modo supra Didymus itemque Gregorius non formidarunt Spiritum sanctum appellare aduocatum nostrum: quia ipse excitat nos ad preces fundendas Deo, pro nostris, & alienis purgandis peccatis. ¶ Verum huiusmodi locutiones non sunt extendendæ, siquidem eadem ratione dixeris Spiritum sanctum pœnitentem: quia nos excitat ad pœnitentiam. Neque locus Pauli colligit, quod spiritus nominetur Christus. Est sanè Christus quatenus Deus spiritus, quia spiritus est Deus. Ioan. 4. Verum quod sit nomen Spiritus sancti Christus, vt est nomen paracletus, non probat.

¶ Verum quia vbi est Christus ibi est Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus est spiritus procedens à Christo vt Deo, ideo rectè subiecit, Si autem Christus habitat in vobis. Ex inhabitante enim spiritu in nobis optimè infertur Christum nos habitare. Quippe Spiritus sanctus est spiritus Christi. Græcè, *Paracletus autem ille, qui est spiritus sanctus*. Quæ lectio est manifestior quam nostra. Cæterum vtraque congruit: itē Græcè, dixi legitur, & non dixero. Hunc autem paracletum sępe modo commemorat Christus, siquidem apostoli erant id temporis tristes,

ſtes, & turbati, ex Domini quam formi dabãt præſentanea morte, ideo ſæpe memoratur conſolatorem, vt illorum temperet ex promiſſo conſolatore mœrorẽ. Et quia quædam Domini verba & facta apoſtoli non intelligebant, quia capacitatem ipſorum, magnitudo myſteriorũ Chriſti ſuperabat, alia verò ex turbatione à memoria exciderant, propterea promittit illis Spiritum ſanctum in doctorem eorum, quæ ipſi non intellexerant, & in ſuggeſtorem, hoc eſt, cõmonefactorem, & memoriæ excitatorem, eorum, quæ obliuione lapſa fuerant.

Spiritus ſanctus doctor & commonefactor.

ENARRATIO. IIII.
In caput decimumquartum.

¶Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis, nõ turbetur cor veſtrum, neque formidet.

TVRBATIO animi ex timore mali imminentis inquietum reddit cor turbatum, ideoque pacem deſiderat, quã timoris affectus inſiliens tollit. Dominus ergo, cum hoc videret agi in apoſtolicis pectoribus, vt turbationem depellat pacem illis relinquit. Quaſi dixiſſet nullus locus ſit turbantibus affectibus, quia ego vos dono pace mea. Pacem, ait, relinquo vobis. ¶Cyrillus vtrobique legit meam, & nõ ſolum in ſecunda clauſula. At verò Auguſtinus ſuſpicatur non nihil latere ſacramenti, quod cum ait, relinquo, non dixit pacem meam, cum vero ſubdit, Do, adiecit, Pacem meam. ¶Eſt autem myſterium, quia cum pacem vobis relinquo intelligitur, de pace, quæ potius noſtra eſt, quam̃ ipſius. Etenim dum ſumus in vita hac, ſemper oramus, dimitte nobis debita noſtra. Idcirco nunquam pax noſtra pax eſt, vnde cunque abſoluta, quia in ſanctis adhuc, pugnat caro cõtra ſpiritum. Hæc igitur pax nobis relinquitur, at verò cum ait, Pacem meam do vobis, ſuam pacem intellexit eſſe perfectam, & omnino abſolutam. At verò obijciam Auguſtino, Si ergo hanc ſuam dat nobis, vtique noſtra pax abſoluta erit, etſi doni diuini erit. Reſpondebam in fauorem Auguſti. hanc pacem ſuam quã donat Deus, dum vita degitur hęc mortalis, non poſsidetur à ſanctis perfectè, ideoque ſanctis donatur ſecundum ſpem vitæ æternæ non ſecundum actũ. ¶In vita enim ęterna, quando Deus Apo. 21. Abſterget omnem lachrymam ab oculis ſanctorum ſuorum, quia piè tranſierunt erit conſummata pax, quando Deus erit omnia in omnibus. 1. Corin. 15. Finit autem Auguſti. pacem, in lib. de verbis Domini, magno ambitu ſermonis, dum ait, Eſt autem pax ſereni tas mentis, tranquillitas, animi, ſimplici tas cordis, amoris vinculum, conſortium charitatis. Et iuxta hanc finitionem verba Domini hunc ſortientur ſenſum ſere nitatem mentis do vobis, tranquillitatẽ animi, & cætera, quæ conſequuntur. Cyrillus autem per, pacem meam primo loco expoſitam, vt ipſe legit, intellexit, ipſum Chriſtum. Quippe ipſe Chriſtus eſt pax noſtra, Eph. 2. qui fecit vtraque vnum. De qua pace illud eſt intelligendum Pauli verbum, Et pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum habitet in vobis ad Philip. 4. Et per pacem ſecundo loco poſitam, intellexit Spiritum ſanctum, nanque cum ſit ſpiritus filij, erit ſpiritus pacis. Vnde Eſa. 27. Domine da bis pacem nobis, omnia enim opera noſtra, operatus eſt nobis. Atqui iuxta hãc expoſitionem, hic eſt ſenſus verborum Domini. Meipſum vobis relinquo, ſpiritum meum ſanctum do vobis. Eſt autem difficile in hoc ſenſu, quia Chriſtus ante mortem, non dedit Spiritum ſanctum apoſtolis. In die enim ſuæ reſurrectionis inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum. Vnde Ioannes dixerat, Non erat ſpiritus datus, quia Ieſus non erat glorificatus.

Quid Pax Auguſtino.

¶Aliter forſan exponendus venit locus hic. Eſt autem præmittendum, pacem eſſe prolem dilectionis, & amoris, vt bellum & pugnæ, ex odio habent ortum. Quæ enim contraria ſunt inuicem ſunt inimica, & ſe odio habent: vnde, & inuicem ſe expellunt, neque in eodem ſe admittunt loco. Porrò, quæ ſe diligunt, amica ſunt, & ideo inter hæc nullum eſt diſsidium, ſed pax, & tranquillitas: ſe nanque admittunt, & in eodem compatiuntur eſſe loco.

Pax eſt proles dilectionis.

¶Eſt autem pax duplex, vt & amor duplex.

plex: Est siquidem amor diuinus, & hoc efficit pacem diuinam. Estque amor mũdanus, & hic generat pacem mundanã. ¶Tum ergo quando homo diligit Deũ præcepta seruando diuina, est Deo amicus, & tunc habet pacem cum Deo. Nanque Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, ideoque hic dilector Dei, habet Dei spiritum, & simul se admittũt, & spiritus Dei, & ille. Quo circa Dominus dixerat dudum. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Instar enim amici se habet Deus erga suos amicos: quia manet apud illos, illis assistens pro præsidijs opportunis. Quia igitur Deus & homo diligens Deũ simul sunt, nam hoc vult diligẽs Deũ homo, quod Deus vult, & hoc odit, quod Deus odit: ideo pax inter eos est, quia idem volunt, & idem odio habent. Quo fit, vt hæc rectè vocetur pax diuina, per quam homo pacem habet cum Deo. Verum hæc pax, sæpe est plena seculi molestijs, atque laboribus. Qua propter Dominus Matth. 5. pacem commendãs dixit, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: at dein subiecit, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã. Beati eritis, rursus ait, cũ maledixerint vobis homines, & dixerint omne malũ aduersum vos mentientes propter me. Dicet igitur aliquis, Quomodo erunt pacifici filij Dei si hæc mala sustinenda ab illis sunt? Nam sub persecutione, sub maledictis, sub odijs quæ pax? Ad hæc Dominus Lucæ. 10. & Matth. 10. ait, Ecce ego mitto vos, sicut agnos, in medio luporũ: at vero quæ pax agnis potest adesse collocatis in medio luporum? Demũ Dominus ait, neminem ad disciplinam Christi accedere posse nisi baiulet crucẽ eius, &c. At verò in cruce tormenta, & cruciatus subintelliguntur, qui autem hæc patitur, pacem quomodo habebit? Vtique pax hæc diuina, quam Deus cũ homine, & homo cum Deo init, hæc vniuersa temporalia admittit mala. Non enim hæc pax est corporis, sed spiritus. Non est sensibilis pax, sed intelligibilis: non videtur oculis, sed solum percipitur mente. Qua propter amici Dei hæc sustinent aduersa corporis propter Deum, seruata ad Deum mentis pace. Imo ex aduersis corporis sæpe nutritur pax mentis. Quippe quo magis sancti aduersa æquo animo ferũt, amicabiliores Deo redduntur, & maiorem cum Deo amicitiam conciliant, vnde & maiorem pacẽ. Ne igitur miremur, si pacifici Dei filij, mala corporis ab aduersarijs patiuntur, & sub hac passione, & persecutione pacem cum Deo conseruent. Quoniã pax hæc diuina, sæpe bellum gerit cum hominibus. Pax autem mundana ea est, quæ ex amore mundanorum progreditur. Qui enim bona corporis amat hæc, si possideat, & à malis corporis vacet, pacem habet mundanam. Hæc nanq; pax visibilis est, quam homines huius seculi in primis amant. Hæc non est sicut pax Christi, quæ ex eo superat omnem sensum, quia sensitiuam cognitionem excedit, & intellectiuam naturalem. Non enim est pax sensus, sed mentis repugnãtis sensui. ¶Et sub repugnantia sensus hęc pax fouetur, & seruatur dicens, Hęc mundana pax, est illa quam memoratur Ecclesiast. cap. 41. O mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis. Ille sanè pacem habet in substantijs suis, qui in visibilibus & terrenis defixam habet spem suam, vt ille defixam habebat Lucæ. 12. Qui aiebat, Anima habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe epulare. Hic sanè pacem habebat cum substantijs suis, quia illas amabat, substãtijs spiritualibus posthabitis. Hæc igitur pax sub persecutione dissoluitur. Nanque hæc pax, est vacare à seculi molestijs, & seculi voluptatibus frui. Hanc igitur pacem non donat Christus ideo ait, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Etenim Christus suis persecutiones, & cruces, & seculi aduersa promittit in seculo hoc, quæ sanè repugnant cum pace mundana. Porro Christus cum esset dives, pro nobis egenus factus est: siquidẽ vulpes foueas habent, & aues cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum. Ideo discessurus à suis discipulis, non bona seculi illis reliquit, vnde pax mũdana paratur, sed alia bona multò potiora, quæ sunt inuisibilia bona, ideoque ait. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hoc est non terrenas diuitias, neq; terrenos principatus vobis relinquo in hæreditatem,

quę

Charitas est quæ facit pacẽ inter Deũ & hominem.

Pax diuina est pax mentis ad Deum ideo est intelligibilis pax & non visibilis.

Pax mundana quæ.

quę ego sponte abdicaui, at aliquid omnibus terrenis bonis præstantius vobis relinquo, pacem, scilicet, non visibilem caducamve pacem, quã mundani amãt, sed inuisibilem diuinamq; pacem, quæ vos pacificos & securos æternò faciet. Vobis hanc relinquo pacem, & quam relinquo hanc gratis do, vos inuicem concordans, & ad dilectionem mutuam inclinans. Et pacem meam do vobis, quia non solum efficio vt vos diligatis inuicẽ sed quod maximum est vos ad dilectionem meam traho: & vt mecum & vobiscum sitis vnanimes. Pacem vobis relinquo, vt idem sapiatis, vt sitis vnicordes, & non sint in vobis schismata. Pacem meam dono rursus, vt me diligentes, & ego vos diligens, sitis filij Dei patris, & sitis fratres mei. Turbabunt vos impendẽtia mala, sed hæc non sufficient à vobis tollere pacem, quam ego vobis do. Modica erit vestra turbatio, ex morte impendente mea, verum hanc depellite nunc, quia quod vos modo contristat, erit paulo post summæ exultationis.

Per donum pacis sumus filij Dei qui est Deus pacis & fratres Christi, qui est pax nostra.

¶Dominus autem postquam à mortuis surrexit, pacem quam donauerat, confirmat dicens, Pax vobis, Ioan. 20. Et Domino recenter nato Lucæ. 2. angeli canunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. Quippe puer natus ad hoc nascebatur, vt hanc diuinam mẽtis pacem hominibus donaret, eos iustificans à suis peccatis. Nanque vbi iustificatio non est, pax cum Deo non est: tametsi iniusto videatur, in summa degere pace. Etenim iniusti omnes sunt filij iræ: si autẽ filij iræ quomodo pacis filij? Non est pax impijs dicit Dominus. Demum pax mundana, quam in seculo habent homines, cum ipso seculo finitur: at verò pax diuina hæc, consumpta vita corporis, ipsa vegetatur vehementius & perficitur absolutius. Etenim mens fidelis, dum in hoc seculo agit, nõ potest obtinere hanc diuinam perfectè pacem. Quippe perfecta tunc pax est, quando caro nõ concupiscit aduersus spiritum, sed illi est plenè subiecta, & mens Deo prorsus subditur. Verum hac pace soli beati gaudent, viatores verò tãtum sperant se illam habituros, qua in præsentia orbantur. Quia si dixerimus, quod peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus.

Esa. 48.

Sat est autẽ viatoribus, si diuina seruent mandata, vt pacem habeant cum Deo modo. Quia hac ratione non sunt filij iræ, sed filij pacis. Caue ne Lutheranus te decipiat ex verbis Cyrilli. Qui hoc loco ait, pacem quam Christus dat, non esse qualitatem hærentem menti nostræ, sed esse ipsum Christum substantialiter: vt inde colligat Christum esse iustitiam etiam nostram substãtialiter, siquidem istud est hæreticum, & alia ratio est de pace, alia de iustitia vt vides. Pax enim est ad aliquid, at iustitia est absolutum. *Audistis quia ego dixi, Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est.* A posticum rursus mærorẽ temperare nititur Dominus. Quia ipsi audientes sibi prouentura bona tot ex absentia Domini, nihilominus, tristabantur valde de eius absentia. Timebant enim furorem inimicorum Christi: quoniam fortè apud se ipsos cogitabant, actum est de nobis, postquam mortuus fuerit Magister noster, trucidabunt enim nos magistri nostri hostes. Nam nos erimus sine præsidio aduersus potentes hostes, cum simus pauperes, & nihili ducent nos. Ideo Dominus repetit quod dixerat, Vado, scilicet, ad patrem per mortem: & venio ad vos, per resurrectionis gloriam. Cur mẽsti estis? num quia me diligitis? vtique si diligeretis mẽ gauderetis de meo singulari bono, quale est ire ad patrem, hoc est, ad vitam immortalem, & vndequaque beatam, Græcè, abeo & venturus sum ad vos, hoc est, discedo per mortem mox rediturus per resurrectionem. *Quia pater maior me est.* Superius insinuarat se esse ęqualem patri secundum diuinitatẽ dicens, Ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus: hæc nanque verba hoc prę ferunt. Nam si esset creatura, nõ se ęquaret patri dicens, Ad eum veniemus, &c. Neq; enim hęc mansio est corporalis, sed spiritualis. Deus autem solus est qui potest venire ad mẽtem, & apud eam manere, ad sensum iam declaratum. Nunc verò, se minorem patre esse clarè indicat dicens, Pater maior me est, vt ex prioribus verbis diuinitatem suam patefaciat, secundum quam, est ęqualis Deo patri. Et ex posterioribus suam humanitatẽ doceat, ex qua est minor patre. Vnde

de quia minor est patre, quatenus est minor, eatenus vadit ad patrem. Nam quatenus æqualis non vadit, sed est semper in sinu patris. Ideòque Arrius, & Arriani, qui hunc locum detorserunt ad suam augendam perfidiam, vtique ex illo nihil habent suffragij. Nanque locus se exponit, ait enim, Vado ad patrem, & subdit rationem, quia pater maior me est. Scilicet ea ratione vado, quia maior me est. Igitur solum est maior pater filio secundum humanitatem, secundum quã non semper fuit cum patre. Verum quia secundum diuinitatem semper est cum patre, secundum hanc non vadit, ideo neque secundum hanc, non est minor sed idem cum patre. *Et nunc dixi vobis, priusquã fiat, vt cum factum fuerit credatis.* Dixerat se abire ad patrem, & ideo discipulos oportere deponere mœrorem, ex morte Christi conceptum, quia illa mors erat materia summi gaudij: quippe per illam Christus exaltãdus erat, & apostoli erãt implendi gaudio ex Domini resurrectione, & replendi Spiritu sancto. Nunc autem repetit idem dicens, *Et nunc dixi vobis*, idest, paulo ante vobis idem referebam, quod vado ad patrem, scilicet, ad vitam obtinendam immortalem, & gloriam. Dixit autem hoc antequã factum fuisset, vt apostoli videntes Dominum instante morte suam glorificationem ex resurrectione certo prædixisse crederent omnia verba, quæ Christus illis dixerat. Et quia dixerat se esse Christum, & se esse verum filium Dei hoc crederent certissima fide. Prophetæ enim etsi prædicebant ventura, at asserebant se illa accepisse à diuina collocutione, seu inspiratione. At verò Christus modo non vt prophetam, dicit se scire ventura. Non enim ait Dominus mihi locutus est, sed absolute ait. Et nunc dixi vobis, vt cum factum fuerit credatis. Dixit homo hęc, at Deus præsciens vniuersa quæ ventura sunt. *Iam non multa loquar vobiscum venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Instabat iam captio Christi, & mors eius, ideo ait, iam nõ multa loquar vobiscum. Sed quid post resurrectionẽ suam, nonne multa est locutus discipulis? Vtique, at modo ait, Non multa loquar, vt modo loquor in carne mortali, quia quæ postmodum est locutus, locutus est in carne glorioſa. Neque tam familiariter postmodum colloquebatur cum apostolis, vt faciebat ante resurrectionem, vel non multa idest non multo tempore. Etenim videtur quod posthæc verba multa alia dixerit, scilicet, omnia quæ traduntur à Ioan. vsque ad decimũ octauũ cap. ¶ *Venit enim.* Principẽ mundi vocat diabolum: quo sermone Paulus est vsus vocãs diabolum & angelos eius, principes, & rectores tenebrarum harũ. Et Dominus, Hæc est hora vestra dixit satellitibus & potestas tenebrarum.

Arrius fragiliter colligebat Christũ esse purum hominẽ quia hic legebat, Pater maior me est.

Diabolus est hominũ princeps non ex natura, sed ex peccato nostro.

¶ Est enim mundi princeps, non legitimus, quia diabolus non est creator mundi neque homo ex natura sua est illi subditus: sed quia ex peccato homo se illi subiecit. Quippe, qui facit peccatum, est seruus peccati, ideo est princeps mundanorum hominum.

¶ At verò diabolus in Christo nihil habuit. Quippe Christus peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Qua propter, si mortuus est Christus, mors illa non erat pœna peccati, vt nostra, quia stipendium peccati mors. Sed mortuus est, quia voluit se offerre in sacrificium pro salute nostra, vt de peccato damnaret peccatum. Idest, vt mors quæ alioqui secundum se erat pœna peccati in Christo esset ablutio & antidotum peccatorum. Vnde assumpsit naturã mortalẽ, nõ ex debito culpæ, qua carebat, sed ex dispẽsatione gratię, quã homini exhibere intendebat. Vt, scilicet, moriens, sua morte mortem nostram destrueret.

¶ Et diabolus hoc non intellexit mysterium: quia erat supra naturam eius, tantum assequi sacramentum. Ideo instantissimè solicitauit suos ministros, vt Christum morti traderent. Credens apud se, mortuo Christo, tyrannidem suam liberius prorogaturum multò atque patentius. Quandoquidem prædicatione sua Christus, miraculis ad Deum vehementissimè trahebat corda hominum. Curabat qua propter, Christum è medio tollere, & morte turpissima eum afficere per suos, vt turpissimus exitus doctores eius dem eleuaret, & discipulorum suorum doctrinam.

Diaboli industria inanis ex morte Christi fuit fraudata.

¶ Hoc est quod ait, *Venit princeps.* Hoc est in ianuis adest diabolus cum suis ministris,

ſtris, vt tradar morti. At in me nõ habet quicquã. Hoc eſt, Et ſi ego me permittã poteſtati eius, & ſuorũ, cæterũ non eſt ꝙ illi ſim obnoxius. Nihil eſt enim in me vel culpæ, vel ſapiens illã. Nã quod videbatur ſapere erat mors & cæteræ pœnalitates. At hæc omnia in me ſunt ſponta nea. Chriſtus enim, & qua Deus erat in culpabilis erat, & qua homo quia Deus & homo erat etiã peccare nõ poterat ex vnione ſua ad deitatem. Et quãuis Chriſtus Deus nõ fuiſſet, quia cõceptus ſine virili opera originalis maculæ, nõ ſubdebatur. Neq; tunc mortalitas, in eo eſſet peccati debitũ, ſed naturæ humanę conditio, quæ ex ſe mortalis eſt. Si autẽ condita fuit à Deo ſuo modo immortalis, ab extrinſeco erat, hæc immortalitas ex primitiua iuſtitia cõceſſa nõ ab intrinſeco, ex naturali proprietate. Ambroſi. lib. de fuga ſeculi legit hunc locũ. Venit princeps mũdi huius, & nõ inueniẽs in me nihil. Per nihil intelligens peccatũ expoſuit, nõ inueniet in me peccatum. Iuxta quẽ modũ ſupra referebamus quoſdam expoſuiſſe verbũ Ioannis, Sine ipſo factum eſt nihil, ideſt, ſine Deo factum eſt peccatũ. ¶ Cæterũ obſeruanda eſt græca phraſis in hac re eſſe lõge diuerſam à latina. Nãque Latini geminando negationẽ affirmãt, vt nõ nihil, ideſt aliquid: Græci verò more Hiſpano, geminantes negationẽ vehementius negãt vt, *No digonada*, Hiſpanè eſt prorſus nihil dicere. In quẽ modũ Græcè in me nõ inueniet nihil, ideſt, nõ inueniet prorſus aliquid. Vnde illi ſubditur. *Sed vt cognoſcat mũdus, quia diligo patrem, & ſicut mandatũ dedit mihi pater ſic facio. Surgite eamus hinc.* Sentẽtia hæc bifariã diſtinguitur, aut legendo totam ſimul vſque in finẽ, vt ſit pars ſententiæ vltimũ, quod legimus, Surgite eamus hinc. Vnde ſenſus erit, vt cognoſcat mundus, quia diligo patrẽ, & obedio mãdato mihi dato. Surgite diſcipuli hinc, & eamus obuiã ſatellitibus principũ Iudęorũ, & Phariſęorũ, vt quod pater mãdat, & vult me tradẽdũ in mortẽ crucis ob ſalutẽ hominũ, hoc ſedulo exequar, Surgite, igitur, ne moremini. Vel aliâs diſtinctio erit, vt clauſula hæc poſtrema non legatur cum priori, ſed per ſe legatur. Et tunc oportet non nihil ſupplere, vt ſenſus conſtet ſententiæ. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Sed me permittam iniurijs eius, & ſuorum, vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem. Hãc dilectionem poſteriorem Theo. & Chryſoſt. amant, priorem vero Auguſtinus, quæ videtur aptior. Eraſmus putat legẽdum, veniet princeps, vt & Ambroſius, nõ legit vt nos, habet, ſed inueniet. Cæterũ, vt diximus ſæpe vſurpat Chriſtus more Hebręo tempus præſens pro futuro. Arrius cum ſua claſſe, hunc locum ſibi rapiebat in hæreſeos ſuæ patrocinium. Siquidem qui mandatum exequitur inferior eſt mandãte: igitur Chriſtus non eſt Deus, quia Deo nihil præcipi poteſt, quippequi eſt Dominus omnium. Theophilactus per mandatum intellexit patris decretũ, de morte Chriſti, vt ſit ſenſus, vt pater decreuit, & voluit, ita facio. At verò ex Auguſtino prompta eſt reſponſio, Chriſtum accepiſſe mandatum, quatenus homo erat: quia hac ratione minor erat. At obſtrepis forſan, Chriſtus quatenus homo peccare non poterat, quorſum ergo exhibebatur ei mandatum cui non poterat contrauenire, neque Chriſtus ſi diuerſum faceret, peccatum admitteret: quippequi impeccabilis erat. ¶ Verum hoc indicabat maiorem Chriſti obedientiam ad patrem. Quippe cum eſſet impeccabilis, & ſiue moreretur, ſiue nõ moreretur, peccatum admittere nequiuiſſet, nihilominus, vt paternam abſolueret voluntatẽ ideo voluit mori. Rectè igitur dices hoc mandatum, non eſſe ſicut præcepta nobis, aut angelis data, qui ſumus ſerui, ſed eſſe paternam voluntatem, quam voluit à filio Chriſto implendam. *Surgite.* Vertunt in dubium expoſitores, ſi finitis verbis prioribus, quæ hactenus ſunt commemorata, Dominus continuo exiuit à loco, vbi illa omnia docuerat ſuos apoſtolos, videlicet, à loco cœnaculi, vbi cœnarat cũ apoſtolis ſuis: & eorum lauerat pedes. Videtur enim verba cap. 15. vſq; in cap. 18. nõ eſſe hoc loco, ſed alio dicta, ſiquidẽ cap. 18. habetur. Hęc cum dixiſſet egreſſus eſt Ieſus transterrentẽ Cedrõ. Ex quibus videtur verbis Dominũ verba illi⁹ capitis dixiſſe alibi, quã priora, id quod. B. Chryſ. arriſit, Ait enim Dominũ aduertiſſe eſſe apoſtolos turbatos ex verbis eius de morte

Græci geminant negationem, ad augẽdam negationem non ad affirmãdũ vt Latini.

Arrius refellitur cum ſua claſſe.

Mandatum Chriſto datũ eſt paterna voluntas atque decretũ.

sibi imminẽte factis. Et ideo timore occupatos non posse obseruare diligenter verba Christi : quapropter dixit illis, Surgite eamus hinc: idest, surgite ab hoc loco, qui est in ciuitate Hierusalẽ, quippe est in medio inimicorum nostrorum, & eamus ad locum tutiorem, vt ibi doceam vos, quæ restant docenda priusquam vadam ad patrem. ¶ Itaque iuxta Chrysostomum deduxit Dominus apostolos in alium medium locum tutiorẽ inter cœnaculum, & inter hortũ Gethsemani. Vbi Dominus fuit à Iudęis captus. Et Nicolaus Lyranus, etsi non indicet Chrysostomum, hoc amat placitum. Verum Hilarius. 9. de Trinitate, refragatur eidem, credens Dominũ hæc quę hactenus dixerat verba, & dicenda capitibus sequentibus vsque in. 18. capitulum omnia dixisse in cœnaculo commemorato. Vnde ait, De loco, in quo comederant agnum paschalem, ducit eos ad locum, in quo erat tradendus. Et Augustinus hoc idem insinuat se credidisse de consens. Euang. 3. cap. 3. Etenim historiam euangelicam contexens in vnum, post omnia, quæ Ioannes scribit, vsque ad capit. 18. collocat, quæ cæteri euangelistæ denarrant, scilicet, *Et hymno dicto, exierunt.* ¶ Tametsi neque hoc vacat à difficultate, siquidem hymnus hic videtur à Domino dictus statim post cœnam in gratiarum actionem. Si ergo hymno dicto exierunt in montem oliuarum, vbi dicet aliquis verba hæc à Domino dicta sunt? Nisi dicamus hymnum non fuisse dictum à Domino, nisi postquam absoluit omnem sermonem suum commemoratum à Ioanne, vsque in principium cap. 18. vbi ait, Hæc cum dixisset egressus est Iesus, cum discipulis suis transtorrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introierat ipse, & discipuli eius. Vbi per hæc, Ioannes non solum, intellexit verba cap. 16. sed & cap. 15. & 14. vt sit sensus, Hæc omnia verba cum dixisset, egressus est ex cœnaculo cum discipulis suis, &c. in locum, vbi tradendus erat. ¶ Et quidem, si locum medium interim petiuisset Christus describeretur à Ioanne, nam non minimi referebat, illum locum referre vnde venerat ad locũ, vbi erat tradẽdus, vt lucidior esset euangelica Ioannis denarratio. Et dicere locũ tutiorem elegisse Dominũ, vt pacarentur magis apostolica pectora indeq; attentius audirent Domini verba, cap. 15. & 16. Sed vbi obsecro tutior esset locus, apostolis qui nullis erat munitus humanis præsidijs? Vbicunq; enim essent discipuli tunc essent cũ eodem timore, quo erant in cœnaculo, sciebant enim Christum capiendũ sub illa nocte. Quidquod in alium diuertere locum, vi debatur speciem præ se ferre fugæ, quia locus nouus fuisset Domino nõ consuetus. Quamobrem, crediderim cum Augusti. & item cum Hilario & cũ Cyrillo, Dominũ in cœnaculo compleuisse omnia verba, de quibus est disputatio, vbi nam fuerint á Domino dicta. Neq; possum ire in sententiam dicentium Dominũ exisse ex cœnaculo, & iter agẽdo ad hortũ, vbi erat capiendus dixisse verba. 15. & 16. capitũ, siquidẽ in trãsitu non poterãt bene capi ab apostolis. Neq; decebat Dominũ sub profundã noctem per calles Hierosolymitanas proclamare sermones prædictos. ¶ Sed semper vrget loci difficultas, quomodo verũ est, Surgite eamus hinc? Surrexerunt igitur, & abierũt, quo ergo? Sũt qui putẽt ꝙ surrexerũt sed antequã abijssent alio, stantes audierũt verba sequẽtia Domini, Ego sum vitis vera, &c. Quia forsan aliquid accidit interim apostolis, id ꝙ occasionem prębuit ne continuò, arriperẽt iter. Vnde credũt, tũ factã esse cõtentionẽ inter apostolos, cuius menit Lucas dicẽs, Facta est cõtẽtio inter eos, quis eorũ esset maior: ob quã sedandã contentionẽ Dominus gressum presit, & nõ processit alio, sed interseruit sequẽtiũ capitũ verba. Et quidẽ hoc posibile fuit, quod cẽsuit Caietanus. ¶ Verũ mihi multò verisimilius esse videtur, hãc cõtentionẽ exortã intet cœnãdum agnũ paschalẽ, aut proximè post illius agni esum, ad quã corripiẽdã verbo, dixit Dominus principes gentiũ dominãtur earũ, &c. Vos autẽ nõ sic. Et itẽ exẽplo, vt eãdẽ sopiret, lauit pedes discipulorũ suorum. Quare plausibile mihi est dicere non esse necesse, quod continuo, recederet à loco illo, quia nihil impedit quod fuerit aliquantula mora, in qua Dominus, poterat efferre sub dẽdos ab ipso sermones. Cyrillus ad allegoriam retulit hunc locũ, postquã litera

Concordia Euangelistarum.

lem

lem iam commemoratũ elucidauit,& dixit esse tutam expositionẽ. Est autẽ allegoria, Surgite à terra ad cœlum, à morte ad vitam,à corruptione, ad incorruptionẽ,ab idolorũ cultura,ad Dei cultũ, &c.

MORALIA.

¶Ego sum via, &c.

SApientissimus ille Hebræorum Rex Salomõ Prou.30. Quatuor quędam denarrat ex quibus sibi difficillima captu tria esse constituit, quartũ autẽ se prorsus ignorare ingenue fatetur. Et quidẽ mirari subit cur homini sapiẽtissimo, quem Dominus diuina imbuerat sapientia, quæ facilia intellectu videntur abscondita erant?

¶Et enim hæc sunt, quæ cõmemorat esse sibi difficilia captu. Viam aquilæ, in cœlo,& viã colubri super terram, & viã maris in medio mari,& viam adolescentis,in adolescentia sua. At hæc etiam rudioribus sunt manifesta. Enimuerò scimus aquilã volãtẽ, per aërem sibi facere viã, & signare possumus per hãc vel illã volauit viã. Neque est difficilius hoc scitu,quã est aliarũ volantiũ, volatus scire vias. Quas quidẽ scimus vel volare vel à meridie in arcturũ, aut ab oriente in occidens, &c. Quanuis enim aues non premant,neque possunt vestigia in aëre premere aër enim ex nimia sua humiditate, vestigia non patitur:at verò viam volatus quis vidẽs eas volãtes ignorat? Quod si de vestigijs intelligebat, istud quidem cũ esset impossibile in natura, scibile nõ erat: quia testante Aristotele quod non est non scitur. Sciebat autẽ hoc idẽ Salomõ, huiusmodi deprehẽdere vestigia esse impossibile hominibus, quippe quę nõ sunt. Cur ergo tãquã admirãs ait, esse sibi difficilẽ cognitu viã aquilę in cœlo, ideſt, per aërem, cõsueta scripturę phrasi appellãtis cœlũ ipsum aërẽ? Idẽque de secũda quęstione, quã proponit, atq; de tertia dicere est promptũ. Siquidẽ coluber nõ est gressibile, sed reptile animal, at reptilia nõ possunt alicubi figere vestigia, quippe gressibus nõ gradiuntur, sed reptãdo motitãtur. Viã autẽ nauis in mari, norunt nauigãtes, qui cẽties per eandẽ viã maris nauigãt, eandẽ repetentes, quã primo habuerũt. Et patens est illis, satis qua via nauigãdum sit ad Indos, qua ad Italos, qua ad Anglos, &c. Si autẽ de vestigio maris intellexit, indigna hæc dubitatio viri sapiẽtissimi. Nauis enim, neq; pisces vestigia figere possunt, neque in medio mari, neque ad maris oras. Et demũ postremum quod proponit, esse sibi prorsus ignotũ, dicens se penitus latere viã viri in adolescentia sua, est quod me & quemlibet in maiorẽ coget stuporẽ, nẽpe cur homo sapiẽtissimus se ignorare prorsus testatur, quod nullus vel insipiẽtissimus ignorat, viam adolescẽtis in sua adolescentia, vt plurimũ esse corruptissimã? Est enim lasciua via, & illecebrosa, virtutis hostis, & vitiorũ amatrix. Et is ipse Salomõ viã adolescentis in adolescẽtia sua graphicè, & velut quodam penicillo depinxit cap.7. Hæc nãque est adolescentũ via irretiri sermonibus blanditijsque mulierũ, easque adamare vehemẽter. Neque auscultant consilijs prudẽtum, sed suo genio libidini seruiunt impensissimè. Quid ergo est ò sapientissime quod te latere ais, viã adolescentis in adolescentia sua, quę omnibus est quam notissima? Porro autem, quæ sapientissimus putat difficilia, & quod penitus se ignorare protestatur dubio procul difficilia & ardua sunt quę intelligãtur: etenim mentiri non potuit, qui spiritu Dei afflatus loquebatur. Quãobrem cogimur inuestigare, quid velit per hæc quæ proposuit, quæ dixit sibi captu difficilia subaudire, quæ, scilicet, est hæc aquilæ viã, quæ colubri quæve nauis hæc via, quæ demum via hæc adolescentis? Quanuis hoc vltimum Hebraica veritas non legit in adolescentia sua, sed adolescentula sua, & vitium esse fatentur interpretes in lectione. At facilis est lapsus, ex adolescẽtula in adolescẽtiã, propter vocũ affinẽ pronuntiationẽ. Per aquilã colubrum & nauim, & adolescentẽ, cuius hinc mẽtio fit non abhorret à diuinis literis subaudire Dominum nostrũ Iesum Christum. Quippe ob infinitas, quibus fulget dotes, iã cõfertur aquilę, iã colubro, & alijs innumeris plerisq; multis confertur, ita sublimibus rebus, quia sępe vocatur angelus, legat⁹, & hoc genus alia: aliquando verò rebus humi-

Reptilia nõ figunt vestigia terræ, quia reptãdo motitantur.

Vt plurimũ viaadolescẽtum est lasciua.

lioribus comparatur, vt modo aquilę,& colubro,& naui. At verò non ab re confertur aquilæ. Scriptura enim hanc docuit collationẽ, Vos ipsi vidistis,dicens, quomodo sicut aquila portauerim vos super alas,Exo.19.& Deu.32.Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Sanè Christus suos fideles portat super alas suas , quia ouẽ perditam,Luc.15.imposuit super humeros suos. Quandoquidem peccata nostra ipse pertulit super crucem.1.Petr.2. ibidem deleturus illa.

Cur Christi ad aquilã apta sit collatio.

¶Ipse quoque prouocat omnes fideles, vt relictis secularibus desiderijs, ad cœlestia volent. Prouocat sanè exemplo, qui vniuersa terrena contempsit. Siquidem vulpes foueas, & aues cœli nidos filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput,Matth.5.Luc.9.Prouocat rursum exemplo,ad omne genus virtutis. Exẽplum enim ego dedi, vt quemadmodũ ego feci, sic & vos faciatis, Ioan.13. Ad hęc prouocat verbo,quia tota Christi doctrina,nihil sapit terrena , sed tota spirat cœlestia. Tota non solum docet contemnere visibilia,sed patefacit præmia quæ manent de relinquentibus visibilia ista bona,& supplicia quę manent ijs, qui in illa se immergunt. ¶Accedit codẽ quod magna prouocatio est animi nostri,vt ad cœlestia volet,quando scit quo volandũ sit,& quando scit reseratas esse cœlestes fores,quò volandum est , & spiritũ Dei habet adiuuantem suum volatum. Nam quid oremus nescimus : spiritus est , qui adiuuat infirmitatem nostram. Aptè igitur Christus aquilę cõfertur. Quidquod aquila perspicacissimum habet intuitũ, & pernicissimum habet volatum . At Christus supremo gaudet intuitu . Est enim aquila hęc agnus ille Apoc. 5. tanquam occisus, qui septem habet oculos, septicornisq; est, vtique septioculus est, quia vniuersa videt, quę Deus videt sciẽtia visionis. Omnia nanque, siue desideria nostra, siue cogitatus , siue facta contemplatur à longe , sicut aquila sublime volans escam in terris intuetur. ¶Rursus volatu Christi nullus velocior , qui cum in terris ageret, cœlestia in momento petiuit. Et nubes,inquit,lucida susceptit eũ ab oculis eorum , Acto. 1. Præter hæc aquila quam vocant regiã, vastas habet alas,& proceræ est magnitudinis, & vetustæ est pulchritudinis: Christus autẽ, est aquila regia,quia est à Deo patre constitutus rex super Siõ mõtẽ sanctũ Dei, Psal. 2. Vastissimas habet alas , quippe qui omnia cõprehendit sub ambitu suæ potentiæ. Portans ait Paul. omnia verbo virtutis suę ad Hebręos.8. Et speciosa etiam est hæc aquila, nam speciosus forma præ filijs hominum Christus est. Hęc aquila illa est,quam memoratur Ezech. 17. quæ tulit nobis medulam cedri. Siquidem sicut aquila in arduis collocat nidum suum,ita Christus in altissimis posuit nidum suum. Nam non accedet ad ipsum malum , & flagellum non appropinquabit tabernaculo eius. Est nanque in sinu patris,& ad dexteram patris residens: & inde tulit nobis medullam cedri. Nam Deum nemo vidit vnquam vnigenitus , qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis. Cœlestia nanque mysteria,quæ vniuersos latebant homines, ipse enarrauit nobis. Nam aperiens os suũ docuit nos multa de regno Dei,alijsque cœlestibus sacramentis.

¶Hæc igitur est aquila,cuius viam difficilem credit Salomon. Enimuero volauit in cœlũ hæc aquila:qua autem ratione hoc factum fuerit difficile Salomon sibi putat. Etenim ascensionis in cœlũ articulus obscurus est , & planè difficilis est, quod si non esset difficilis, non esset articulus fidei. Fides nanque est argumẽtum non apparentium ad Hebræ.11.

¶Et quidẽ excedit captũ nostrũ , quod humanum corpus, quod est terrenæ substantię, cœlos penetret: siquidem si legimus Eliam in curru igneo cœlum cõcessisse, vtique non in cœlestes ascendit globos, neque hos penetrauit , vt Christus, qui ascendens in cœlum sedit à dextris virtutis Dei. At Elias non item, quippe nullus ante Christi mortẽ, cœlestẽ ingressus est ciuitatẽ. Qua propter Elias eò dicitur ascẽdisse in cœlũ , quia in sublimes partes aëris visus est cõscẽdere, indeq; deductus est angelico ductu ad paradisum vbi modo est. ¶Quocirca vtiq; lõge difficile est intellectu ascẽsionis dominicæ mysteriũ: quod cœlos omnes cõscẽderit & sederit ad dexterã Dei patris. Sed neq; minorẽ præ se fert difficultatẽ, quod secũdo loco denarrauit viã, scilicet,colubri reptan-

Christus cur confertur serpenti.

reptãtis ſuper terram inueſtigare. Enim uero ipſemet Chriſtus qui aquilę ob rationes prętactas confertur, is ipſe ob alias cauſas ſerpenti cõparatur. Ioannis enim 4. legimus, ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filiũ hominis, vt omnis qui credit in eum nõ pereat, ſed habeat vitam ęternam. Ipſe igitur Chriſtus dignatus eſt nobis exponere ſe eſſe ſimilem ſerpenti. At vero ex eo ſimilis eſt cenſendus, quia in ſimilitudinem hominis factus eſt, & habitu inuentus eſt, vt homo ad Phili. 2. In nobis autem eſt venenum ſerpentis illius antiqui, quia peccatores ſumus. Et inuidia diaboli, Sap. 1. mors introiuit in mundũ. Diabolus enim ſub forma ſerpentis, Geneſ. 3. inſtillauit peccatum Euæ, indeq; peccatum, quod repit in nos ſerpentinũ quiddam eſt, & Chriſtus vero etſi videbatur ſimilis hominibus peccatoribus, quia hominum pœnalitates ſuſtinebat, verum longe alienus erat à veneno ſerpentis, quippe qui peccatũ nõ fecit, neq; inuentus eſt in ore eius dolus. Vnde ait, Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Mortuus eſt quidem, quaſi eſſet peccator, verũ non morti erat obnoxius ob ſuum peccatum: ſed ipſe qui erat mortis Dominus ſe ſponte ſubiecit morti: vt ſua morte peccati mortem profligaret, & pœnitus tandẽ euerteret. ¶Reputat igitur Salomon difficile & merito reſurrectionis dominicæ ſacramentum. Qua nam, ſcilicet, ratione, quove modo Dominus ſurrexerit ex ſepulchro, lapideque ſepulchri nõ fracto, neq; reuoluto, ſub quo iacebat ipſe alioqui glorioſus lapidem illum magnũ ſurgens ſubintrauerit. Et quidem Reſurrectio Domini, articulus fidei eſt, & ideò obſcurus indubitanter eſt. ¶Quidquod ſicut coluber exuuias ſuæ vetuſtatis deponit, ſe allidens petris, Chriſtus etiam ſubintrans ſepulchri petram, à mortuis ſurgendo depoſuit mortalitatem ſui corporis, quam ſolam ex veteri homine acceperat, quia non culpam ſed mortalitatem aſſumpſit, id quod ad vetuſtatem veteris hominis pertinebat: & ex ſepulchro, vbi iacebat nouus homo, impaſsibilis, & immortalis exiret. Quippe Chriſtus non moritur, & mors illi vltra non dominatur. ¶Surrexerunt quidẽ à mortuis, & alij nõnulli, at ſi nullus depoſuit veteris hominis exuuias, nullus horum ſurrexit ad vitam nouam, & immortalẽ: ſed ad vitam mortalem ſurrexerunt, rurſus morituri. Nihil memoror nunc de corpore virginis, aut de illis, quos memoratur Matthæus dicens, Et quædam corpora ſanctorũ ſurrexerunt. Quãobrem difficilis eſt captu qualis fuerit via huius colubri ſuper petrã ſepulchri, vnde ſurrexit glorioſus. Præterea, difficile ſibi putat inueſtigatu, quæ nam ſit via maris in medio mari. Equidem nauis hæc, cuius viam inueſtigare arduum iudicat ſapientiſsimus hic apte adumbrat Chriſtum conuerſantem cum hominibus. Etenim quid aliud fuit Chriſtum agere cũ mortalibus, quam nauẽ agere in medijs maris fluctibus? Sæpẽ ipſe aſcendebat in nauem, ex naui docebat turbas in litore conſiſtentes: ad nauim cogebat diſcipulos conſcendere: in naui dormit: ex naui territat apoſtolos, quod mare, & flatus illi obtemperabant. Sanè hæc omnia geſsit in mari: at vero poſtquam ſurrexit ex mortuis, iam non mare, ſed litora verſat. Cur ita? quia dum agebat vitam mortalem inter fluctus huius mũdi, vtique flatus agebat, ſiquidem mundus eum odio habuit principes Iudæorum ſcribæ Phariſæi, in ipſum fremuerunt, vt vates ille ſpiritu vatidico prædixerat futurum. Quare fremuerunt, inquit, gentes & populi meditati ſunt inania, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. At verò ſurgens à mortuis iam non inter ſeculi fluctus, neque mundi aduerſarios flatus, ſed pace immortalitatis in cœlo velut in litore, reſidens fruitur. Cauſa igitur tanti eſt indaganda myſterij. Quid nam cauſæ ſubſtiterit, quod Dominus vniuerſorũ voluit tot & tantas ferre moleſtias, tot diuexationes, tot probra, tot irriſiones à gente incredula, à gente perfida & iniqua, & perfrictiſsimæ frontis? Quid cauſæ, quod æquiſsimo, & patientiſsimo animo tot aduerſa tulerit, & quod maximum fuit omnium, ignominioſiſsimam crucis ſuſtinuerit à Iudæis illatam mortem, quos alioqui verbo tenus poterat in nihilum vertere. Maximæ ſanè eſt iſtud admirationis, quod elegerit Dominus tot aduerſa ſuſtinere redi-

Peccatũ ſerpẽtinũ quiddam eſt.

Et veteri homine Chriſtus ſolũ mortalitatis vetuſtatem accepit.

Mar 4. Lucæ. 5. Mar. 6. Ioan. 6. Ioan. 21.

mendo homini, quem posset nullo seruare negocio, id quod ecclesia stupens ait, Quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres.

¶Porrò autem quod omnium prædictorum difficultatẽ facilè superat, est quod vltimo est à Salomone propositũ, quod si ipse se ignorare tantę rei indaginem fatetur, quid nos indagare poterimus. Qualis nam sit via viri in adolescentula sua? Hoc nanque incarnationis diuinę adumbrat sacramentum. Christus nanque in vtero virginis conditus, vir quidem erat secundum animæ rationem, etsi infans secundum carnis infirmitatem. Quo autem modo verbũ Dei assumpserit in vtero virginis carnem humanam, impossibile est inuestigare. ¶Est enim hoc omniũ sacramentorum, ideſt, sacrorum secretorum, abditissimum & reconditissimum mysterium. Cætera sanè difficilia sunt inuestigatu, at hoc superat omnem indaginem, omnem inuestigationem, angelici, nedum humani intellectus. Qui enim semel crediderit Deum factum esse hominem mortalem, an non facile reliqua credet esse possibilia? Vtique credet. Vnde Hieronymus, sermone de assumptione virginis Mariæ, Igitur, inquit, quod natura non habuit, vsus nescivit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, creatura omnis cœlestis miratur. Hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ promittitur: & per Spiritum sanctum adimpletur. Rectè quidem Hieronymus rem istam expendit: quippe infidelibus incarnationis mysterium, res impossibilis, & pugnãtiam inuoluens videtur, & fidelibus nunquam nõ summæ admirationis existimatur. Quod Deus enim sit homo, Deo repugnare videtur, quod cum immortalis, & infinitus, & æternus sit, mortalis finitus, & temporalis, vt est sua creatura concedatur. Vnde Paulus ob hanc causam dixit Iesum Christum esse Iudæis scandalũ, gentibus autẽ stultitiam.

Mysterium dominicę Incarnationis est summæ difficultatis mysterium.

¶Iam vero, hæc qui volet inuenire mysteria, vna sola via est, vt hæc inuenias. Est autem hæc via, ipse qui dixit, Ego sum via, Christus enim, non solum ad cognoscendum patrem est via, & ad cognoscendum Sanctum spiritum: sed ad cognoscendum ipsum Christum, etiam ipse Christus est via. Per hanc igitur viã discès verbum carnem esse factum. Neque tamen scrutaberis tãti mysterij modum, quod præcursor ille soluere nescie bat, sed potius credendo firmiter, virum hunc fuisse verum Deum & hominẽ in vtero virginis Mariæ, ab eaque accepisse carnẽ humanam in vnitatem personę diuinæ, quæ erat ipse filius verus Dei, pascet te mysterium hoc, & vegetabit mentem tuam. Crede mysterium in primis, & post modum intelliges, quantum sit mysterium. Si non intellexeris in via, intelliges saltem in patria, quando clara luce videbis Iesum Christum Deum esse hominem.

¶Si desideras igitur viã viri scire in adolescentula sua, scito esse viam, ipsum credere Christum, ipsumque verè amare. Tunc si hoc feceris, viam inueneristi ad callendum mysterium. Procul absunt ab hoc mysterio infideles, quia hoc mysterium nisi credatur primum, discerni nequit, intelligi non potest. Ad hoc autem si credis scies hoc verbum Dei esse carnem factum, vt credentibus daret potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Ioan. 1.

Via adcognoscenda Christi mysteria est fides Christi.

¶Aspicis ne quantus intelligentiæ fructus tibi proueniet ex fide? Intelliges rursus Deum sic dilexisse mundum hũc vt filium suum vnigenitum daret? Verbum enim hoc caro factum pro hominibus infinitum est dilectionis erga homines pignus. Iam enim hæsitare nequimus Deum diligere humanam naturã, quam credimus sibi arctissimo copulasset vinculo hypostaticę vnionis, vt Deus fieret homo, & homo Deus. Ipse accipiens nostra, prouocauit nos, vt cõtẽdamus accipere sua. Nostris nõ egebat ille, quia nostrorum eget nihil, at accepit nostra, vt nos velimus sua possidere, quib⁹ summopere indigemus. Hęc igitur credere, est certa via ad cognoscendam istã viam, quam Salomon dixit se prorsus ignorare. Et rectè se prorsus ignorare testatur, tanquã homo illa, quę solum Dei spiritus docere poterat. Edoctus ille qui dẽ erat de tanto mysterio, at vero non loquitur modo, tãquã sciẽs ex prophetico spiritu,

Incarnationis mysteriũ est infinitum dilectionis diuinæ erga homines pigⁿ.

ſpiritu, ſed tanquam ignorans ex humana ratione. Crede igitur diuinam poteſtatem eſſe infinitam, vnde potuit ſe facere hominem: & diuinam crede bonitatem eſſe infinitam, vnde voluit ſe facere hominem, ad ſalutem hominum, & habebis viam, ad cognoſcendam viam viri in adoleſcẽtula ſua. Hic quoq; ipſe Chriſtus erit tibi via ad ſuperandas difficultates cæterorum myſteriorum. Fides nanque Chriſti, docet aſcendiſſe eum in cœlos, vt præpararet fidelibus locum, vt item mitteret paracletum in apoſtolos. Corpore ſanè conſtabat terreno Chriſtus, cum ſydera petebat: terrenum quidem erat ſecundum ſubſtantiam, ſed planè erat cœleſte non natura, ſed qualitatibus. Sunt enim corpora cœleſtia ſplendida, agillima, incorruptibilia, atque impaſsibilia: tale autem erat Chriſti corpus quod ferebatur in cœlum. Aſcendit ergo in cœlum poteſtate, quia Deus, & homo erat, aſcendit charitate quia aſcendẽs in cœlum captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus Eph. 3. & illa ſecundum principalem magnificentiam, Heſt. 2. ¶ Porrò ſi viam colubri in petra noſſe cupis, ſcito ſurrexiſſe Chriſtum, vt fideles cum ipſo in die poſtremo reſurgant. Nãque ſi Chriſtus ſurrexit à mortuis, & nos quoq; reſurgemus. 1. Cor. 15. Ipſe quidẽ Chriſtus via eſt, ad ſe ipſum, qui terminus huius viæ eſt. Surrexit ergo à mortuis ad vitã beatã, & immortalẽ, vt doceret in ſe ipſo, qui eſt fideliũ caput, quid futurũ eſſet in ſuis mẽbris. Neque enim cõcinnè mẽbra ſunt ſine capite, neq; caput ſine mẽbris: ideo orauit patrẽ dicens, Volo pater, vt vbi ſum ego, illic ſit & miniſter meus, Ioan. 12. ¶ Demũ ſi ſcire cupis, cur in hoc mari magno & vndoſo ſeculi, tot amara ſuſtinuit Chriſtus, qui alias poſſet citra amaritudinẽ ſuos ſeruare. Quis tibi hoc arcanũ reſerare poterit? vt etiã priora ad plenũ mortaliũ nullus reſerare poterit: quippe quę valde ſuperant humanũ captũ. Verũ qui poterat ſine tanto negotio, hominem ſeruare, vſus eſt maximo negocio, vt ſeruaret vt aduertat hinc homo, quanta fuerit eius ex peccato captiuitas, quæ tanto negotio eguit (diuina ſapiẽtia diſponente) vt ſolueretur. Deus nanque & natura de poſsibilibus, ſemper prę ſtant, quod optimum eſt. Deus igitur ſic fecit, quia optimũ erat ſic feciſſe. *Ego ſum via, &c.* Glorioſiſsimam & ſanctiſsimam hanc viam multis efferre oportet præconijs, & quã tislibet ſi efferas, nondum dignitatẽ huius viæ abſolues. At pro noſtra portione præter ea multa, quæ inter enarrandum euãgeliũ Ioannis, & modo diximus, alia paucula addemus, ſi forte deuios ab hac via in viam reducamus, & itẽ in ea ambulantes fortiores reddamus, vt cœptã viã non deſerant, donec viæ huius terminũ aſſequantur. Præceſsit igitur huius viæ mirabilis typus in alia via, quam Iudæi triuerunt longo temporis interuallo de terra AEgypti egreſsi. Hæc nanque via deſerta erat, & inculta vaſtaque erat ſolitudo, ignorata viantibus, aquæ fluenta deſiderans, & cibaria poſcens. Illuſtratur tamẽ noctu ſplendida columna, quę ſua luce tenebras fugaret noctis, & viãtibus iter patefaceret. Interdiu tamen nube tegitur cœleſti, vt errores viæ non ducerẽt ad prę cipitia iter facientes per eã. A quis donatur non quas natura ſuppeditabat, ſed quas diuina gratia ſubminiſtrabat. Pane ſatiatur cœleſti, quẽ quoque non humana parabat agrorum cultura, ſed quem cœlitus Deus dimittebat. Hanc viam interpellant Hebræorum hoſtes, Madianitæ, Moabitæ, Amonitæ, Amalechitæ, Hiericuntini, & aliæ plures nationes circunſtantes hanc viam, & in ipſa media via conſiſtentes ingreſſum interturbant viæ, ne poſsint penetrare vltra Iſraelitę ad terrã ſibi à Deo promiſſam. Hanc viã calcarunt, & iuſti & peccatores, at vero peccatoribus proſtratis in deſerto, qui ab Ægypto exierant, noui geniti inter viandum promiſsionis nouæ terræ fruuntur dono. Talis eſt hæc via, cuius modo mentionem facimus. Hæc nanque via deſerta eſt, & inculta, ignota, aſpera & difficilis hominibus, &c. Euangelica nanque Chriſti doctrina deſerta eſt, quippe arcta eſt & ideo pauci hanc viam terunt. Eſt ſanè infinitus ſtultorum numerus, qui mundanas vias colunt, honores enim voluptates, diuitias, quis non ſectatur? At vero euangelicam humilitatem, euangelicam paupertatem, euangelicam pœnitentiã, quis obſecro ſectatur? niſi rariſsimi ſunt quos Deus amauit. Nã ſi cõferas

Ioan. 14.

Deut. 8. Ioan. 6. Pſal. 77. Iudi. 7.

ingredientes hanc viam, ad eos, qui eam non ingrediũtur, vtiq; pauciſsimi ſunt. Si mihi non credis, crede ipſi veritati dicenti, Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.

¶ Adhæc hæc via mundanam fugit ſapientiam, quippe quia ſapientibus huius ſeculi, & prudentibus ignotus eſt Chriſtus. Confiteor tibi, inquit, pater Rex cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et præter hæc mundanæ aquæ fluentis non infunditur, quia terrenas delectationes, atque delicias hæc via non amat. Qui enim mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed neque panem terrenum, in hac eſt inuenire via, ſed viantes per hanc viam fideles cœleſtibus fluentis ſitim ſuam potant, & cœleſti pane famem ſuam leuant. Imbribus enim diuinæ doctrinæ, aqua ſapientiæ Chriſtianæ potantur, & pane vitæ, & intellectus, ſcilicet, Euchariſtico aluntur pane. Noctu columna ignea ducuntur per hanc deſertam viam, ne offenſi timoribus nocturnis, à via hac errent, & interdiu etiã nube deducuntur, vt recto itinere viantes, errores viæ declinent. Rurſus noctu ignea columna deducuntur fideles, vt eccleſiæ catholicæ doctrinæ hærentes, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis hæreſes omnes, atque errorum omnium tenebras à ſe ipſis depellãt. Interdiu vero nube obumbrantur, vt in eccleſia Dei conuerſantes, exutis errorum tenebris, induti armis lucis in die claritatis euangelicæ honeſtè ambulent, & tales ſe præbeãt quales ipſa lux qua fruuntur deſiderat. Adhæc noctu lux conceditur & nubes interdiu, quia, inter proſpera, & aduerſa ingrediendum eſt, proſpera deſpiciendo, & aduerſa æquanimiter ferendo, proſperis bene vtendo, & aduerſis non abutendo. Ob hanc igitur cauſam hanc viam, lux Dei illuſtrat per noctem, & obumbrat per diem. Hanc viã ingrediuntur omnes fideles, & iuſti, & iniuſti. Nam infideles hanc viam deſpiciunt, illis enim ignota eſt. Cæterũ iuſti fideles per hanc viã progrediũtur in vitã vſq; æternã: iniuſti vero ingreſsi viam, in via ſtant, neq; vltra progrediuntur. Ideo non ſunt digni, qui ad terminũ viæ Chriſtum perducantur. Habent ſimiliter obſtacula multa viantes per hanc viam, nã mundus, caro, diabolus illis obſiſtunt, at in Chriſto omnia ſuperantur. Mirabilis ſanè eſt hæc via: quippe Chriſtus eſt hęc via, & qui eſt via, ipſe eſt præcurſor ad viam, & comes viantium per viã, & protector viæ & terminus viæ.

Matth. 11.

Lucæ. 7.

Deut. 8. Pſal. 77.

Exod. 13. Nu. 22.

¶ Præcurſor ſanè eſt viæ, quia ipſe hanc viam docuit, verbo, & firmauit exẽplo. Et ad ingreſſum in hanc viã omnes vocat homines dicens, Venite ad me omnes, qui laboratis, & egeni eſtis & ego reficiam vos. Enimuero, vniuerſi homines labore arripimur peccati, & indigemus diuina gratia purificante, & auxiliante. Chriſtus autem ab hoc labore ſub leuat viantes per hanc viam, quia noſtra donat peccata, ſi per pœnitentiam per hanc viam progredimur. Et quanuis via ſit laborioſa, at vero ipſe donat præſidia viantibus per hanc viam, vt non deficiãt in via. ¶ Multi nanque deficiunt in via hac, poſtquam enim eam per fidem & baptiſmum arripuerunt, tædio itineris affecti, non progrediuntur, ſed ſubſiſtunt in via. Et ſubſiſtere in via eſt retrocedere à via, & retrocedentes à via, non poſſunt collimare cum termino huius viæ: vt olim Hebræi, ob itineris tædium, regreſſum in Ægyptum optabant. Porro Chriſtus, qui eſt præcurſor in hac via, ipſe iter facientes per hanc viam confortat, & verbo euangelico, & exemplo diuino, & ſuis ſacramentis, & ſua ſedula opera, quam impendit fidelibus peccatoribus, vt pœniteant de peccatis ſuis, & fidelibus iuſtis, vt ſemper vltra progrediantur, quouſque luceat illis æterna requies, quæ rectè laborantibus per hanc viam promittitur à præcurſore huius viæ.

Chriſtus via cœleſtis & præcurſor viæ.

Chriſtus viãtes per viam cœleſtem nõ deſerit.

Exod. 16.

¶ Quod ſi angelus Domini Michael, vt creditur Exod. 14. fuit præcurſor ad viam illam abſoluendam deſerti in terram promiſsionis, ducens Iſraelitas, & nunquam deſtitit à ducatu Iſraelitarum quouſque introduceret ſuos quos ducebat clientulos, in terram deſtinatam, quid tu putas, Chriſtum deſerturũ ſuos fideles viantes per hãc ſalutis viam, quouſq; eos introducat, in cœleſtem patriã? Ipſe equidẽ præcurſor eſt æquiſsimo nomine, quia primus ipſe arripuit crucis

igno-

Matth. 10. Luc. 9. ignominiã. Et quã ipſe moſtrat viantibus arripiendam, dicens, ſiquis voluerit eſſe meus diſcipulus baiulet crucem ſuã, & ſequatur me, hanc ipſe primum arripuit. Et quod ipſe docuit, primo fecit: quia cæpit Ieſus facere, & docere. Eſt itẽ viantium per hanc viam indiuiduus comes. Ego, inquit, vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Quamuis enim in cælo reſideat, at in terris adeſt: quippe diuinitas Chriſti vbique adeſt. Nã etſi viſibili præſentia corporis abeſt quia peregrè profectus eſt ſuper cælos agens, at virtute ſua, ideſt, diuinitatis aſſiſtentia ſuis ſemper præſto eſt. Ad eum inquit, veniemus, & apud eum manſionem faciemus. Quod ſi manſionem facit apud huiuſmodi viantes, certiſsimus eſt, & indiuiduus eorum comes. Et hoc vates prædixerat, Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Scit enim Chriſtus, quam difficile ſit hominibus ex ſua fragilitate progredi per hanc viam: ideoque ſemper præſto eſt inuocantibus, & non torpentibus iſtis patrocinium ferens, ne itineris cœpti, tædeat eos. Diſcipulis ſanè illis duobus, ambulantibus in Emaũta, benignũ ſe exhibuit comitem, & aperuit illis ſenſum, vt intelligerent qualem ſocium habebant: fidelibus item omnibus, volentibus per hãc viam progredi, præſto erit, vt viam cœptam abſoluant. Nam, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, inquit, ibi ego ſum. Matth. 18. Qui ergo in vnitate fidei catholicæ & in charitate Dei hanc viam ingrediuntur, Chriſtum opitulantem habebunt, qui exhibebit eis ſolatia in itinere, vt tanti laboris tædia leuent. ¶ Dicebat ille, Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me Iob. 17. Qui autem Chriſtum habet viæ huius comitem, iuxta ipſum eſt. Quod ſi viantes hanc viam, habent Chriſtum iuxta ſe, nihil eſt quod aduerſantia multa emergentia contra eos timeant. Neceſſe eſt autẽ huiuſmodi premi, & affligi multis ingruentibus malis. Quippe omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur. 2. Tim. 3. At vero, quia poſiti ſunt iuxta Chriſtum, pugnantia omnia contra eos non eſt cur timeant. Quo fit vt non ſolũ ſit comes Chriſtus ſed infinitæ potentiæ adiutor, & protector. Vnde iſti, qui hanc perſeueranter arripuerint perambulandam viam dicere poſſunt quod pſalmus ait, Dicet domino, Protector meus es tu: & ſuſceptor meus. Ideoque non eſt, cur timeant à timore nocturno, nihil eſt cur paueãt à ſagita volãte in die & à negocio perambulante in tenebris. Hoc eſt, nihil eſt quod timeant lapſum vel ex tentationibus diaboli occultis vel à tentationibus mundi & carnis manifeſtis. Etenim ſubdit quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen tuum. Nemo nãque progreditur per viam hanc, qui non ſperet in Deo, nemo eſt horum, qui fidẽ ſynceram non habeat in Deum. Hæretici enim ſchiſmatici, & apoſtatæ, non ambulant per hanc viã. Sed primo ambulantes per eam, quando catholici erãt, ab ea deflexerunt, & in præcipitia ſuorũ errorum ſe dederunt. Demum Chriſtus eſt terminus viæ, quippe donat beatam æternam vitam, quam eſt pollicitus progredientibus per hanc viam. Hęc via eſt publica via non omnibus, ſed fidelibus: iſti namque ſoli terunt hanc viam. Hæc via eſt certa, & ſine errore quia eſt veritas. Hæc via eſt rectiſsima, quia nihil habet obliquitatis vel malitię vel falſitatis adeò, vt ſtulti non errent per eam Eſaiæ 35. quippe hæc via ſtultos reddit ſapientes. Et vt ſemel dixerim, qui graditur extra hanc viam it perditum, qui vero per eam ad ſaluberrima tendit. Huius porro viæ gratia Dei eſt initium, & gratia Dei eſt huius viæ medium, & huius viæ demum periodus, ſiue finis. Vtique gratia Dei eſt viæ huius initium, quia nemo venit ad patrem, niſi per gratiam Chriſti: & omnis qui vocatur ad perambulãdam hãc viam, non ex meritis ſuis vocatur, ſed ex gratia Dei. Quæ obſecro erant merita in Paulo quã do cælitus vocatur ad hanc viam ingrediendam? Vtique nulla bona, imò multa mala merita: quia blaſphemus erat & perſecutor Chriſti. 1. Tim. 1. At verò miſericordiam eſt conſecutus, vt hãc viam cognoſceret: vnde gratia Dei eſt initium huius viæ. Eſt ſanè arbitrij noſtri annuere Chriſto vocãti: at Chriſti vocatio gratiæ eſt, & non noſtri meriti. Vnde ait, Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus

Matth. 24. Matth. 21. Mar. 12.

Ioan. 14.

Luc. 24.

Quia ambulãt in via Dei Chriſtum habẽt comitem & protectorẽ.

Pſal. 90.

Qui perſeuerãt in via Dei non lęduntur à tentationibus occultis. vel manifeſtis.

Viæ quæ ducit ad ſidera gratia Dei eſt initium, & medium & finis.

Vocatio Dei non eſt noſtri meriti, ſed eſt diuini muneris.

nos sed secundũ misericordiã saluos nos fecit ad Titum. 2. Rursus gratia est medium huius viæ: siquidem medium huius viæ, est perseuerantia in lege Christi obseruanda. Hanc autem perseuerantiã donum esse Dei concilium Trident. sessio. 6. cano. 23. decernit: est sane donum Dei nõ tamen sine libero arbitrio. Quia vt hoc dono donemur oportet nos sedulos esse in custodia Christianæ legis, verum si perseueramus, Christo acceptum oportet referre. Quare Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Igitur mansio diuinarum personarum, hoc est, nobis assistere, vt perseueremus, præexigit in nobis, vt custodiamus Dei mandata, præexigit in vobis dilectionem Dei. Ait enim. Qui diligit me, diligetur ò patre meo. Finis quoque huius vię est gratia, Paulo testante, gratiam Dei esse vitam æternam. Rom. 6. Etenim etsi Paulus vitam ęternam alibi vocet coronam iustitiæ. 2. Tim. 4. nihilominus sibi non repugnat dicẽti, Gratia Dei vita æterna, hoc est, vita æterna gratiæ Dei tribuẽda est. Est igitur vtrũque sibi constans. Quandoquidem vita æterna non confertur nisi ex præcedentibus bonis meritis Matth. 24. Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Venite benedicti patris mei, percipite regnũ, &c. Hacque ratione obseruata veraciter Apostolus vocat eã coronã iustitiæ, quę solis strenuè certantibus largitur. At vero quia bona merita nemo prodere potest, nisi prius ex gratia iustificante habuerit ea, & hęc est Dei pura gratia, ideò optimè sibi cõsentiunt hęc duo, & quod sit corona iustitiæ, & quod sit Dei gratia ipsa vita æterna. Via igitur hæc cæleſtis, & est via gratiæ, & est via iustitiæ. Qui ergo negãt merita bona esse necessaria, extra hanc viam vagãtur, vt Lutherani.

Perseuerantia in bono est diuinæ & nostri studij.

Conciliãtur loca Pauli.

ENARRATIO I.
In caput decimum quintum.

Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est.



VLTA prædixerat capite proximo ad consolãdos apostolos mæstos ex morte imminenti domini, nunc vero eosdem monitos vult, ad ferendas tentationes eisdem imminẽtes. Ideoq; exemplo vitis, & palmitum, hortatur, ne sint palmites infructuosi, sed fructuosi. Ideoque etsi interim vexentur à malis hominibus ob fidem Christi, sciant hanc corporis vexationem, esse animi purgationem, vt plus fructus spiritualis afferant: idest, vt vberiora coram Deo referant merita. Et hæc est continuatio huius capitis ad præcedens, tametsi Ioannes nihil exprimat, quod videatur vtrumque continuare. *Ego sum vitis vera.* Continuo se pandit dubitatio, cur se vocet dominus vitem veram, cum vitis vera est vitis visibilis, habens fructus, & sarmẽta visibilia: Christus autem non erat huiusmodi vitis vera: sed comparat se viti. Quod si similis est viti, cur se vocat vitẽ veram, quandoquidem quidquid est tale per similitudinem ad aliud, non est verè tale, sed secundum similitudinem tale. Vt homo pictus, non est verus homo sed similis vero homini. Augustinus hoc proposuit dubium, & responsum exhibuit, dominum se vocare vitem veram, ad differentiam vitium non verarum, quales sunt quæ ferunt vuas siluestres, quas appellant labruscas. ¶ At verò, quid dicemus verbo Ioannis. 1. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Et Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, &c. Et Esa. 40. Verè fœnum est populus? Etenim, nulla est lux quæ sit non vera lux, nisi lux, quam pictores pingunt. At dominus se vocans veram lucem, non intendebat se distinguere à luce picta, sed ab hac luce sensibili, quæ tamen est vera lux, & eodem modo de cæteris colligas. Quocirca, aliter dicere possumus, vel verba hæc domini, *Ego sum vitis vera*, Esse intelligenda, Ego sum similis viti veræ, quæ optimos fructus profert, & non labruscas, & forsan hoc Augustinus voluit, & ita de alijs esset intelligendum. ¶ Aut dicendum est, verba huiusmodi bifariam posse sumi, aut secundum corporalem, aut secundum spiritualem intelligentiam. Christus ergo secundum corporalem intelligentiam, nõ est vitis vera, neque lux vera, &c. sicut neque caput verum, vt neque nos mẽbra eius vera. Quippe Christus non est hæc secundum primam impositio-

Continuatio huius capitis cũ capite proximo.

Duplex intelligentia sermonis corporalis & spiritualis.

positionem harum vocum, quæ fuit ad significanda corporalia quæ videntur. At vero secundum spiritualem intelligentiam Christus est verè talia, secundum quam dominus loquebatur. Nam Ioannis.6. loquens se esse cibum & potum verum subiecit, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, docens verba sua esse accipienda non materialiter, sed secundum sublimiorem intelligentiam. Quia igitur verè, & non ficte habet sibi suos fideles vnitos, sicut vitis habet suos palmites, ideo se vocat vitem veram, quia spiritualis est vitis, & obseruata spirituali intelligentia verissimos habet vitis effectus, siquidē à Christo deriuatur virtus spiritualis in fideles suos. Et ab hac vite qui abscinditur palmes vitam non habet spiritualem neq; Deo fructificare potest. Quia igitur verissime spiritualiter operatur Christus in suos fideles, quod materialiter vitis operatur in sua sarmenta, ideò se vocat vitem veram, idest, verè & realiter operantem in mentibus suorum fidelium, id quod operatur vitis corporaliter in suos palmites. ¶ Quando ergo se appellauit vitem veram, nō intellexit se esse vitem materialiter, sed quod verè operabatur spirituali operatione in fideles, id quod vitis vera operabatur in suos palmites. Neque quia dicitur vitis, secundum similitudinē advitem veram, ideo nō est vera vitis, sed impropriè vitis: siquidem est propriè vitis non secundum naturam vitis, quæ dicitur vera vitis, sed secūdum veram operationem spiritualem, est vera vitis spiritualis, non materialis. Sanè vitis picta est impropriè vitis, quia sola gaudet figura vitis, operatione autem vitis orbatur. ¶ At huiusmodi, quæ dicuntur per similitudinem talia, sunt improprie talia. Verumtamē quæ verū sortiūtur effectum, & multo nobiliorem quā ea, vnde dicuntur talia, non dicuntur impropriè talia. Vnde ob hoc vera lux dicitur Christus, non quidem quia hæc est sensibilis lux quæ oculis patet intuētium. Sed instar huius solaris lucis, lux intelligibilis quæ est Christus, dicitur vera lux, quippe habet nobiliorem operationem, quam hæc lux: siquidem mentes humanas suo splendore illustrat. Iuxta quam rationem se etiam vocat esse verè cibum, & potum, &c. ¶ Quod vero modo ait, Ego sum vitis vera &c. idem est ac si dixisset, Ego sum caput vestrum, vos autem membra mea. Namque vitis est tanquam caput sarmentorum, & sarmenta sunt tanquam membra eius. Et eadem, quæ præstat caput membris, præstat vitis palmitibus suis siue sarmentis. A capite enim recipiunt mēbra vitā &c. nisi quod caput non solum denotat vitę influxum in membra, sed etiam sensum, & motum: quia caput principium est vitæ, sensus, & motus animalium. Vitis verò, quia solum viuit vita vegetali, ideo solum significat principium vitæ palmitum. Dominus ergo hoc sermone denotat se esse principium vitæ fidelium. Cæterum quia vita hæc spiritualis, est vita mentis, & mētis vita, est cognitio intellectualis, ob hanc rationem docens se esse vitem, subdenotat se etiam esse caput fidelium, vnde eorum mentalis vita pendet: quę est in fidei notitia, & ardore charitatis. *Et pater meus.* Non dixit, Et pater meus est agricola verus, sed solum, pater meus agricola est. Vnde non ineptè quę ret aliquis, quid causæ extiterit, quod sicut enūtiauit se esse vitem veram, patrē non item? At respōdēdum censeo, quia si vitis est vera, necessario agricola est verus. Vitis namque vera poscit agricolationē verā, quæ non potest exhiberi nisi à vero agricola. ¶ Est tamen obseruandum Deum esse multo veriorem agricolam, quam nostri agricolæ. Quippe agriculturæ ars humana, imò & angelica, solum potest operari circa exteriora vitis, videlicet, subministrando illi curam exteriorem. Puta abscindēdo palmites putres, aut superfluos resecando, illamque defendendo à læsione bestiarum ministrando illi irriguum, &c. Porrò nullus agricolarum illam potest vegetare interius, sed solus Deus illam vegetat, & auget. Vnde apostolus, sed neque qui plātat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. 1. Cor. 1. Itidē est considerare in vniuersis alijs artibus humanis. Nā faber lignarius, extra operatur in ligno, vt argentarius in argento, &c. Ars tamen æterni illius agricolæ, nō solùm exterius, sed intimam etiam operationem habet, siquidem operatio naturæ est diuina operatio. Natura autem intrin-

Quomodo Christus vera vitis fidelium & caput sit capiendū.

Deus est agricola verus quia interius operatur in plantis vt in omnib⁹ alijs rebus.

trinsecè operatur nutriendo, augendo, roborando, &c? ¶Humana autem agricultura, iuuat naturam, vt expeditiores habeat suas operationes, verum ad extra operatur. Deus igitur verus est agricola, non solum secundum operationes plantarum, & arborum naturales, quas omnes ipse mediãte natura operatur, de quibus dominus modo nihil meminit sed secũdum etiam operationes spirituales. Quippe colit interius viuificando interius palmites Christi, donando, scilicet, eis spiritum fidei, & charitatis, tribuens que illis spirituale robur, & incrementum, vt fructus, vuarum dulcium, ideſt, optima merita ex se proferant. Quòd verò dominus se modo vitem vocat, humanam naturam suam insinuat, secundum quam vitis est vera: quia secundum hãc naturam palmites habet sibi connaturales. Quoniam membra, quæ sunt Christi fideles sunt cum Christo eiusdem speciei humanæ. Est enim Christus verus homo secundum autem diuinam naturam, non est vitis, sed agricola verus sicut pater vt postmodum patebit.

Deus est agricola & secundum operationes naturæ, & secũdũ operationes supra naturã.

¶Christo autem apud Ioannem maximè familiare est, iam exponere quædã suam humanitatem indicantia, iam vero alia docet, quæ suam diuinitatem ostendunt, vt ex vtrisque vtriusque suæ naturæ veritas ostendatur. ¶Porrò Cyrillus indicat quendam ex hoc loco collegisse Christum, non esse Deum æqualem patri, sed minoris diuinitatis, quam est paterna deitas. Ad hãc autem rationem argutabatur. Agricola & vitis sunt diuersæ substantiæ. Christus autem est vitis, & pater agricola, igitur filius & pater nõ habent eandem deitatem. At quia solutio parata est, Christum esse vitem secundum naturam suam corpoream, obiiciunt continuo, quia Christus vt vitis viuificat fideles, vt suos palmites, & ab hac vite pendent fideles. Cæterum secũdum naturam corporis non viuificat fideles. Neque enim hęc vita quam largitur fidelibus est corporalis, sed spiritualis: & hæc à carne Christi non potest exhiberi. Neque à carne Christi pẽdẽt corpora fidelium, sed ab spiritu Christi pendet spiritus fidelium. ¶Porrò autem hoc dogma planè est Arrianum commentũ: & responsio exhibita legitima est, neq; obiectio illã infringet. Caro enim Christi consideranda est bifariam, aut secundum quod est caro solum: & hac ratione non prodest quicquam, quia sub hac ratione viuificare non potest mentes humanas. Alio autem modo consideranda venit, secundum quod est vnita Dei verbo secundum hypostaticam vnitatem: & hoc modo viuificare potest, quia per illã verbum viuificat fideles. Nam quid est quod ait supra. 6. Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita? Et item, Caro meavere est cibus, & sanguis meus verè est potus? Et quid rursus est quod ait, Qui manducat me, & ipse viuet propter me? Et paulo post, iam vos mundi estis propter sermonem meum? Sermo autem ille corporalis erat, quia audibilis erat exterius. ¶Fidelium igitur, ita spiritualis vita à carne Christi pendet, quatenus est Christi caro, & diuinitatis instrumentum coniunctum. Et rectè contulit Damascenus lib. 3. carnem Christi carboni ignito. Etenim carbo non ignitus carbo est, & ignire nequit, at iam inflammatus ab igne, habet operationẽ ex igne sibi coniuncto, calefaciendi. Ita in præsentia caro Christi, verbo Dei copulata, actionem habet diuinam viuificantem spiritum nostrum. ¶Rectè igitur Christus est vitis secundum naturam, quam assumpsit humanam. Est autem agricola secundum diuinam naturam. Quam quidem fideles colunt adorando, ipsa tamen diuinitas nos colit, purgando, & viuificando spirituali vita. ¶*Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit, vt fructum plus afferat.* Græcè pro, tollet, habetur, tollit, & pro purgabit purgat. Quia aliquoties verbum præsentis temporis, significat actionem absque omni tẽpore, quod dialectici tradunt absolui à tẽpore. Pro fructum plus, Græce copiosiorẽ fructũ aut plus fructus: quia Latinè dicere non possumus plurẽ fructum. ¶In palmitibus seu sarmentis (vt legit August. lib. aduersus literas Petiliani cap. 1.) est hæc à Christo in præsentia notata diuersitas videlicet, quosdam esse palmites nullius frugis, & hoc docet Christus à patre tollendos, hoc est resecandos à vite ceu inutiles, & infructuosos. Alij verò sunt palmites frugiferi, & hos docet non resecãdos,

Caro Christi viuificat spiritualiter.

Hæresis Arriana explo-ditur.

Deus nos colet, & nos Deum differenter tamẽ.

Caro Christi bifariam expenditur.

dos, sed purgandos, & mundandos, à ramositate si quam habent pampinorum, vt fructum vberiorem afferant, siquidē in vitibus, hoc ita accidit. Ramositas enim, pampinorumque vbertas, fugit humidum radicale earum, vnde fructus attenuatur. Fideles igitur omnes sunt in Christo tanquam palmites in vite. Cæterum fideles peccatores, sunt palmites infructuosi, quia meritis bonis carent. Iusti vero sunt palmites frugiferi, quia fructum ad æternam vitam assequēdam operantur. Quamuis enim fideles peccatores multis virtutibus aliquando resplēdeant. Cæterum si charitate non fulgēt, infructuosi sunt coram Deo: & nihil reputantur, eorum opera. 1. Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil sum. Infideles autem non sunt palmites, ideò non sunt in Christo vite. Vnde supra dixerat, Qui non credit iam iudicatus est. Quippe infideles, quia nunquā fuerunt in hac vite Christo, ideo non est cur sint tollendi à vite, quia iam sunt ablati: siquidem nunquam fuerunt coniuncti. Fideles vero peccatores fuerunt coniuncti Christo per gratiam baptismi: quam ex peccato amittentes, manent etiam nunc coniuncti, per solam tamen fidem. At quia Christi charitate orbantur, ideo dominus ait, Tollet eum. Siquidem qui impœnitens discesserit ab hac vita mittetur foras, & in ignem mittetur. Hos tamen palmites infrugiferos non tollet à se ecclesia si occulti sint, quia de occultis ipsa non iudicat. Publicos autem peccatores separat sua censura à communione fidelium, ne eorum contagione a lij inficiantur. Quamuis per fidem adhuc sunt in vite. ¶ Deus autem in multa patientia sustinet peccatores, expectans corū pœnitentiam: ideoque nō continuo palmites hos aridos tollit Deus, sed largitur spacium pœnitendi, vt vitæ influxū accipiant à vite. Non enim sunt huiusmodi palmites mystici, vt palmites materiales. Nam isti ab ariditate sua nō possunt conualescere: quippe semel arida reuiresc ere nequeunt. Verum illi postquā aruerint ex peccato, reuiresc ere possūt, per gratiam Dei. ¶ Sed quid est quod non dixit tollendos huiusc emodi palmites à vite propter malos, quos referūt fructus, qualia sunt peccata, sed solum ait, tollendos, quia non referunt fructum? Et rursus in die nouissimo Matth. 25. ob hoc damnat, quia nō fecerunt fructum. Esuriui, inquit, & non dedistis mihi māducare, &c. Verum quia non referre fructum, quando oportet eum referre est malum fructum referre, est enim peccatum non referre fructum pœnitentiæ, quando pœnitendum foret: ideo sub negatione fructus subintellexit malum fructum. Vt ille seruus nequam damnatur Matth. 25. quia ex domini pecunia non est lucratus, domini pecuniam multiplicando. Ait forsan aliquis, apostolus ad Roma. 8. inquit, nihil esse damnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu: igitur palmites si sunt in vite, quæ est Christus non dānabuntur, si quidem sunt in Christo. Hoc est sanè quod garriunt hæretici sat esse fidem ad vitam parandam æternam. Porrò velim ego ab eis scisc itari ex istis verbis domini, quæ modo exponimus. Palmites enim dixit, quosdam esse existentes in Christo infructuosos tamen, quos docet tandem tollendos à patre, videlicet, per æternam damnationē, vt ex subdendis constat verbis, sciscitor ego, Qui sunt palmites isti? Neque aliud respondere poterunt, quam si dixerint esse fideles, non omnes sed peccatores. Nam iusti sunt fructuosi palmites, infideles autem non sunt palmites. Quocirca necesse est fateri nō solum fidem sufficere ad vitā si quidem fides potest esse infructuosa, vt ex verbo domini liquere arbitror. Namque si omnes fideles sunt fructuosi palmites, & ipsa fides est fructus totus iustitiæ, distinctio domini vana est palmitum existentium in vite, id quod est impium affirmare. ¶ Quod verò Paulus dixit, nihil damnationis esse ijs, qui sunt in Christo, vtique vt ex serie capitis colligere non est obscurum, de palmitibus, qui sunt in vite frugiferis verba facit. Quippe de filijs Dei, qui spiritu Dei aguntur, de hæredibus Dei, cohæredibus autem Christi ibi mentio fit. ¶ Hæreticos autem ne dixeris esse palmites huius vitis, siquidem fidem negant, ideoque ex nulla parte sunt in hac vite. Fidem sanè profitentur ipsi, non tamen catholicam fidem, quam Romana ecclesia docet, sed quam ipsi & sui docto

res

Publicos peccatores ecclesia à se tollit per excōmunicationis cēsurā, & si sint in vite per fidem.

Hæretici nō uincuntur.

Fides non est totus fructus iustitiæ.

res tradiderunt. ¶Baptismum quidem habent, at fidem baptismi non habent: ideoque antequam eos damnando ęternò à vite tolleret pater æternus, ipsi se abstraxerunt ab hac vite, per hæresim quam sunt amplexi. Ex baptismo vtiq; characterem habent Christi, sed nō sunt Christi, vt neque miles transfuga est sui ducis miles etiam si characterē ducis habeat. Character enim baptismi significat hæreticum fuisse Christi, cui nomina dedit sub baptismo, at hæresis eum qui erat miles Christi fecit apostatare à suo vero duce Christo. Neque solū facit palmitem infrugiferum, sed alienum à Christo, subiectus est nihilominus hæreticus iurisdictioni ecclesię, propter Christi quem gestat characterē. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis: manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Quia dixerat paulo ante patrem suum esse agricolam ostendit modo se ab eadem agricolatione non esse alienum, vt ex vnitate operationis cum patre, naturæ diuinæ vnitas cum eodem demonstretur. Idcirco ait, Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Hoc est, vos frugiferi palmites estis quia mundi estis propter doctrinā, quā vos docui hactenus. Restat ergo vt maneatis in dilectione mea, & ego manebo in dilectione vestra. Qua autē ratione fuerint mundati per Christi doctrinam, sunt qui exponant, quia Christus sua doctrina illuminauit apostolicas mentes, vt dedisceret errores iudaicos, quibus fortassis erāt primo imbutæ. At vero, quia supra. 13, dominus dixit, Vos mundi estis, sed nō omnes & expressè hæc mundities erat sanctificationis à peccato, quam per baptismi gratiam assecuti fuerant, ideo de huiusmodi sanctificatione aptius locus hic exponetur. *Sicut palmes.* Ratione meriti ad vitam æternam demonstrat. Nullus enim mortalium, sed neque immortalium angelorum poterit fructus edere vitales, idest meritorios vitæ eternæ, nisi ex gratia & fide Iesu Christi. Potest sane homo ex libero arbitrio, multa edere præclara opera, vt gentes ediderūt, quæ nos cum in annalibus eorum legimus impendio laudamus. At verò, illa opera nō erant fructus coram Deo, quia vitales non erant, neque saliebant ad vitam ęternam. Christus ergo per fructus palmitum intellexit opera vitalia, opera, scilicet, meritoria vitæ æternæ.

Hæretici nō sunt in Christo quia non habent fidem Christi.

Hæretici habētes Christi Characterē nō sunt Christi.

Meritorum ratio ex euāgelio.

¶Hæc autem, non potest liberum arbitrium fructificare, à seipso solo, nisi deriuet fidem, & charitatem ab ipsa vite. Quid ergo est, quod hęretici nouelli oblatrant contra catholicam ecclesiam, merita non esse? Si merita nō sunt, qui sunt fructus palmitum, quos nō possunt ferre à seipsis, nisi sint in vite? namque fides sola, vt dudum probabatur, non est totus fructus iustitiæ, nisi fides sit viua.

Liberum arbitriū, citra Dei charitatem præclara si edat opera nō sunt tamē vitales fructus meritorij vitæ ęternæ.

¶Et obserua quomodo dominus vtrūque coniunxit & gratiam, & liberum arbitrium. Ait enim, Sicut palmes non potest ferre fructum à seipso, &c. sic nec vos nisi in me manseritis. At palmes & si ex vite deriuet vitam, at ex vita accepta fert fructum. Igitur eodem modo fideles manendo in Christo etsi ex ipso fluxum vitalem hauriant, illo tamē hausto, meritoriè operantur.

¶Ex omnibus istis collige, nullum esse hominum etiam si iustissimus sit, qui non subiaceat culpę saltem veniali, & rarissimus est qui non sit obnoxius pœnæ ob donata iam peccata. Rara namq; est virtus pœnitentię, quæ potens sit, & culpas, & cōmeritas abradere pœnas. Hoc colliges ex verbo domini, Omnem palmitem ferentem fructum purgabit. Si ergo sunt purgandi palmites fructuosi, habent maculam quam purgent, non criminalem, quia fructuosi sunt, igitur venialem & in plurimum pœnas habent purgandas. ¶Quocirca errant toto cœlo hæretici huius æui, inficiantes satisfactoria opera, quæ dominus apertè docet modo esse necessaria, ad purgandos palmites fructuosos: vnde & plus fructū reportabunt, quippe satisfactio est opus meritorium. Pœnalitates igitur, quas iusti æquo animo ferunt, pœnas debitas pro solutis peccatis purgāt, vel secundum totum, vel secundum partem, id quod scire solius Dei est. Et per hæc verba dominus hortatur apostolos, vt ferant tentationes imminentes ac vt semper maneāt in fide, & amore Christi. *Ego sum vitis & vos palmites: & qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multū, quia sine me nihil potestis facere.*

Satisfactio Christo approbatur, & ideo noui hęretici reprobantur.

facere. Repetit primam quam proposuerat sententiam, vt eandem tenacius infigat in cordibus apostolorum. Nam sæpius repetita tenacius hærent. Et apostoli id temporis cum essent mæstitia correpti, & distraheret eos mortis dominicę imminẽtis, & proprię timor indigebãt huiusmodi repetitione. At verò non repetit vocẽ, vera, vt primo dixerat, Ego sum vitis vera, sed ait, Ego sum vitis. Neque repetit, Et pater meus agricola est, quia repetens se esse vitem, in hac sentẽtia priores comprehendebantur. *Qui manet*, Simile est q̃ supra dixerat capit. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo, vnde præfertur, vt Christus maneat in nobis per dilectionem suam, necesse esse, vt prius nos maneamus in eo diligendo eum. Verum vt dicebam dilectio prima, ex qua Deum diligimus est à Deo, quia ipse prior dilexit nos, & charitatẽ ipse in nobis infundit gratię. Cæterum postquam ex sua gratia iam diligimus Deum ex charitate, vt Deus in nobis augeat dilectionẽ priorem, oportet vt nos prius diligamus, hoc est, ex merito nostræ dilectionis promereamur q̃ Deus augeat in nobis largitam charitatem. Et hoc est quod modo significat Dominus: quasi dixisset apertius, Si perseueratis me diligendo, perseuerabo vos diligendo. Quanuis enim perseuerantia sit diuinum donum, at verò quod perseueremus vsque in finem, nulli contingit sine meritis: quippe merita si tollas perseuerantia in bono nulla erit. *Quia sine*. Non est sermo de auxilio generali, quod impenditur omnibus creaturis, vt suas absoluant functiones: sed sermo est, de auxilio gratuito supernaturali, quod docet esse necessarium ad omnia merita. Quandoquidem de fructu supernaturali palmitum est sermo, non de fructu naturali secũdum naturam liberi arbitrij eden do. De huiusmodi enim inquit, Sine me nihil potestis facere. Nã sermones sunt intelligendi secundum subiectam materiam: materia autem præsens, est defructibus supernaturalibus, qui nõ possunt edi, nisi à palmitibus manentibus in vite, ideſt, à fidelibus, qui sunt in Christi charitate. Hoc autem loco se ostendit esse agricolam, & non solum vitem, vt supra se ostenderat. Nam si nihil possunt facere fideles sine Christo, igitur quando se purgant à culpis, à Christo purgantur: vitis autem non purgat palmites, sed agricola. Tametsi non in omnibus cõquadrat similitudo: quippe Christus quatenus homo vitis est, & sub hac ratione purgat fideles meritoriè, sicut purgat quatenus Deus effectiuè. Est nanque Christus vitis mystica, & ideo excolit rationes vitium materialium: quo circa etiam, vt vitis purgat suos palmites. Pelagianum dogma ex hoc loco confunditur: docebat enim liberum arbitrium sibi sufficere ad meritum. Quod autem sibi non sufficiat, locus iste ostendit: de qua re alibi disertior habitus est à me sermo. Sunt qui exponant locum hunc affirmatiuè, Sine me id quod est nihil potestis facere, hoc est, peccatum vt supra Ioan. 1. Sine ipso factum est nihil Augustinus exponebat. Verum negatiuum habet sensum, & non affirmatiuũ. *Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignẽ mittent, & ardent*. Docuerat palmites nõ posse esse fructus feraces, nisi ab ipsa vite hanc feracitatem hauriant. Quod si sint in vite ferunt fructum multum si autem in vite non sint nullum possunt ferre fructum, quia euulsi à vite emoriũtur, & exiccantur. Quocirca homines nihil meriti, siue multum siue paucum edere possunt, nisi sint Christo incorporati per fidem, & charitatem. Ideoque dixit, *Sine me nihil potestis facere*, ideſt, nihil meriti, vel magni, vel exigui proferre potestis orbati fide, & dilectione mea. Nunc verò ostendit, non solum hoc malo affici palmites, qui nõ sunt in hac vite, quod scilicet redduntur infrugiferi, sed etiam alio malo afficiuntur, in supplicium mali prioris, nempe quod emittentur foras, & arescent, & colligent eos, & in ignem mittent eos, & ardebunt. Et ibi quinque mala, quæ patientur palmites isti infructuosi.

¶ Primum quidem quod eijcientur foras. Hoc est fructuosi palmites, qui sunt serui boni, & fideles intrabunt in gaudium Domini sui: isti vero infructuosi palmites qui sunt mali serui, eijcientur foras istud gaudium, vt ille eiectus est extra nuptiale palatium, qui ingressus est ad nuptias non habens vestem nuptialem.

Timor mortis distrahebat apostolos, ideo Dominus repetebat verba sua.

Perseuerãtia est Dei donum, at nulli cõceditur si orbatus est meritis.

Christus vt agricola expurgat culpas nostras effectiuè, vt vitis easdem purgat meritoriè.

Palmites qui non sunt in vite quinque malis afficiũtur.

lem. Et angeli exibunt in die iudicij, & separabunt malos de medio iustorum, & eligent bonos in vasa sua, malos autem foras eijcient. Et demum foras eijcere est expellere palmites infructuosos, à beatorum consortio.

Matth. 13. Luc. 13. & 14 Apoc. 22.

¶Et familiaris est hæc locutio diuinis literis, ad significandum hanc pœnam in iustorum. Vnde Psalmus. 1. contulit impios ob hanc causam, pulueri, quē proijcit ventus à facie terræ. Et in hac pœna cæteræ dicendæ includuntur: quia hæc est eiectio, & expulsio ab omnis boni participio, & illatio omnis mali, quæ est sempiterna damnatio.

¶Secundum malum est, arescet, Græcè aruit, vsurpatur, vt sæpe alias, tēpus pro tempore. Vtique arescere est, virorem amittere, & significat damnatos palmites esse destitutos ab omni virore diuinę gratiæ, & prorsus donis, quibus ante fruebantur, & virtutibus esse orbatos. Quippe qui sunt omnino à Deo destituti, sine reparationis aliqua spe: vnde neque fidem, neque spem habent, sed solū characterem baptismalem habent, huiusmodi peccatores fideles, qui cū finali impœnitentia diem clauserunt extremum. De huiusmodi enim Dominus præsentem habet sermonem, qui soli palmites sunt, nam infideles non sunt palmites. Sicut & parabola de sagena fideles spectat solum, quæ ex omni genere piscium impletur ita iustorum, vt iniustorum, & parabola decem virginū, & aliq hoc genus. Siquidem Dominus fidelium maximam habet rationem, & non infidelium, quia qui non credit iam iudicatus est. Erat autem necesse fideles identidem admonere ad salutē sibi conciliandam ęternam non sufficere eis esse in vite per fidem, aut esse in sagena ecclesiæ per baptismum de numero virginū aut esse per synceritatem fidei, sed per charitatē oportere Deo fructificare, vel oleum charitatis continere. Propterea Dominus ad fideles dirigit hos, & alios hoc genus sermones. At tanta est peruersitas hæreticorum huius ęui, vt neque sic admoniti desinant à sua asserenda perfidia. Et cōtra manifestos Domini sermones obluctari non verentur asserendo fidem sufficere saluti parandæ ęternæ, destitutam ab operibus. Arescent igitur perpetua ariditate huiuscemodi palmites, & nunquam amplius reuirescent. Nihil enim boni operari aut velle, aut exercere possunt, vt nos in. 4. Senten. ad finem elucidauimus.

Hæretici nouelli refellūtur.

¶Tertium malum est, Et colligent eos. Vtique dæmones colligent hos palmites aridos, deducentque eos in caminum ignis sempiterni. Vbi vides dæmonum esse colligere animas damnatas, & eas præcipitare in barathrum sempiternū, vt etiam sanctorum angelorum est palmites fructuosos deducere in aulam regiam cœlestem, vt de anima Lazari pauperis habetur Lucæ. 16. Vnde & Matth. 13. Colligent de regno eius omnia scandala. Dęmonum igitur est hoc officium, hæc scandala regni, ideſt ecclesiæ, palmites que omnes infructuosos à morte ipsorum colligere, & secum adducere, quia etiam fuit scandalo sanctis angelis: & quanuis non fuerit palmes huius vitis, at fuit infructuosa Dei creatura, ideo amat infructuosos palmites.

Dæmones colligunt animas prauas velut in fasciculos & sancti animas sanctas.

¶Quartum malum, Et in ignem mittēt eos, Matth. 25. Ite maledicti in ignē æternum. ¶Quintum est, & ardebunt. Nunquam cessabunt ardere in igne. Quandoquidem ardent nunc animæ istorum, dū ab igne illis fit violentia, & in eo ęterno incarcerantur. Assumptis autem corporibus, ardebunt etiā sensibiliter. Qua autem ratione id futurum sit in. 4. Sententiarum fuse diximus. Græca lectio habet, Eijciētur foras, sicut palmes, & aruit. Et congregāt eos, & in ignē conijcient, & ardent. Quanuis enim de palmite in singulari facta sit mentio, mutatur numerus in pluralem, quia ingens erit multitudo damnandorum: ideo declarata qualitate palmitis in singulari, continuo mutat numerū in pluralem, vt damnatorum palmitum multitudinem explicet. Laurentius aliter retur fuisse transferendum, scilicet, Si quis in me nō manet, eiectus est foras vt sarmentum, & exaruit, & colligunt ea, & in ignem iaciunt, & ardent. Nam quod Grecis est τὸ κλημα noster interpres transtulit in palmitē, & Laurentius interpretatus est per sarmentum, vt & Augustinus aliquando legit, vt iam meminimus.

ENAR-

ENARRATIO. II. In caput decimumquintum.

¶ *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque voluerit is petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est pater meus vt fructum multum afferatis, & efficiamini mei discipuli.*

OStenderat Dominus esse necessariũ apostolis manere in Christo per fidem, & dilectionẽ, consequenterq; omnibus fidelibus, idem esse necessarium subdenotauit, cum vt fructum afferant meritorium, tum vt euadant ęterna supplicia. Ostendit modo, non solum esse necessarium manere in Christo, ad prædicta, sed etiam hæc mansio in Christo, illustrissima alia donatur prærogatiua, scilicet, impetrandi quod petunt huiusmodi manentes. Quod si dixeris, quid si petunt nefaria? Vtiq; qui hęc petunt non prorsus manent in vite, quia petere nefaria, nefas est: qui autem nefas operantur, non manent in vite. Quanuis enim diximus fideles peccatores esse in vite sunt sanè vt infructuosi & aridi palmites, quia deest illis vitalis humor charitatis. Quocirca etsi secundum fidem sunt in vite, non penitus sunt in vite: quia nõ hærent, non copulantur per charitatem viti. Et ideo Dominus modo ait, Si manseritis in me per fidem, scilicet: sed quia non sat est fides adiecit, Et verba mea in vobis manserint scilicet, exequẽdo mea mandata. ¶ Rectè igitur, qui petierit à Deo secundum mãsionis in Christo exigentiam, ideſt, ea petit quę mansioni huiusmodi non detrahunt, hic impetrabit petita: quia petit ea quæ mansio in Christo exigit petenda, & nihil petit contra huius mansionis dignitatem. De re hac proximo capitulo quædã meminimus, & plura in declamatione de oratione ad Esai. *In hoc clarificatus est*. Monuerat aliquando Christus apostolos, vt peterent Dominũ messis, vt mitteret operarios, in messem, quia messis quidẽ multa, operarij autẽ pauci. Hoc idem & huic connexa insinuat modo petenda dicens hoc cedere in gloriam patris, si ipsi multũ fructum afferant ex sua prędicatione, plurimos trahendo ad fidẽ Christianã colendã, id quod per preces erat obtinẽdum: id quod apostolos fedulo feciſſe actorũ historia narrat. Gloria igitur Dei patris, est plurimos habere adoptiuos filios, q̃ apostoli ex verbo euangelico Deo generabant. Attulerunt igitur fructũ multũ, quia erant operarij inconfusibiles, & ardẽter operabantur, colendo vineã Domini. *Et efficiamini*, apostoli iam erant, discipuli Domini: verũ quia semper ex opere, & verbo profitebãtur esse se discipulos Domini, hanc professionẽ disciplinę Christianę, quã perpetua faciebãt apostoli, significat dũ ait, Et efficiamini mei discipuli. *Sicut dilexit pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Dudũ dixerat, Si mãseritis in me, & verba mea in vobis mãserint, &c. modo hoc idẽ aperti⁹ ediſſerit, quid sit manere in ipso & verba eius manere in manẽte in ipso. Est autẽ manere in Christo, manere in dilectione Christi. Et quia nemo potest diligere Christũ, nisi credat Christũ, quia nihil volitũ quin præcognitũ, ideo qui manet in dilectione Christi, is ipse necessario manebit in fide Christi. Ad hãc autẽ dilectionẽ Christo exhibẽdã allicit apostolos dicens, Sicut dilexit me pater, & ego diligo vos. Quod si vos diligo magna dilectione, & vos ipsi eandẽ mihi tenemini dilectionẽ exhibere: quia si piget amare nõ pigeat redamare. Aduerbiũ, sicut, nõ denotat perfectã similitudinẽ, sed solũ quandã correspõdẽtiã amoris ad amorẽ, summi ad summũ seruata vtriusque ratione: quia apostoli summè diligẽtes Christũ, non tantũ dilexerunt quantũ Christus. ¶ Sed ait aliquis, Cur dixit, Sicut per me dilexit, nũquid nõ diligebat tunc. Vtiq; diligebat: sed ęternitatẽ dilectionis paternę subnotare volebat dicens, Sicut dilexit me pater, subaudi, ab ęterno, ego dilexi vos etiã ab ęterno: at accepta ex tẽpore carne humana, ex tẽpore diligo vos. Pater autem dilexit & diligit Christum dilectione infinita, & infinitè, non tamen Christus diligit apostolos, infinitè, etsi diligit eos dilectione infinita, vt omnes alios electos. Repetit autem, quod nunquam non repetit, dilectionem esse seruare mãdata eius, vt supra expositũ est. *Hæc locutus sum vobis vt gaudium meum in*

Diligentes Christũ si ea petuntque di lectio Christi poscit petenda impetrabunt.

Lucæ. 10.

Christus diligitur à patre dilectione infinita & infinitè.

vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hæc solatoria verba habui ad vos, vt ne mærore deijciamini, neque ex multa tristitia absorbeamini, sed potius excitemini ad gaudia habenda. Quia si manetis in mea dilectione gaudium meum in vobis erit. Gaudium enim meum est, quia beatitudine diuinæ visionis perfruor, etsi enim vobis appaream extra viator, vt vos estis, sum tamen intrinsecus beatus. Si autem vos manetis in dilectione mea eritis quoque beati, clarè videntes diuinitatem, quam ego video. Et gaudium hoc summum, ex hac visione dissultans, quod est in me, hoc idem deriuabitur in mentes vestras: & gaudium, quod cœpistis habere, quia discipuli mei estis, & quia vos elegi ad apostolatum ex omni carne, tum cum beati eritis adimplebitur, Modo sane mundus gaudebit, vos autem tristabimini. Verum si manseritis in mea dilectione, certos vos facio, tristitiam vestram vertendam in gaudium. Gaudium igitur meum est, vt vos maneatis in mea dilectione, vt vos donem beatitudine, qua fruor: vt inde gaudium vestrum, quod spe conceptum habetis, de præmio hoc æterno adimpleatur. Ego sane cum sim filius præceptâ patris mei seruo. Vos ergo cum sitis serui debetis eadem seruare, & manere in dilectione diuina. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Præcepta euangelica omnia sunt præcepta Christi. Verum præceptum dilectionis vocat ex singulari causa præceptum suum: quia ex hoc pendent cætera præcepta. Non opus est replicare modo circa hæc verba, quæ diximus copioso sermone ad capitul. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ponat quis pro amicis suis.* Ex hoc verbo continuo se offert scrupus. Et quid, dicet aliquis, non est maior dilectio, si quis ponat animam suam, pro inimicis suis? Vtique dixerim maior. Verum Dominus loquitur, de dilectione, quam vsus obtinet humanus, siue moribus humanis non aduersatur, videlicet, quod amicus moriatur pro amico suo: etsi hoc vix accidit. Nam pro iusto, vix quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori ad Roman. 5. Et legimus rarissimos hoc fecisse. Et pro republica quosdam mortem obiuisse chronographi tradunt. At vero pro inimicis suis, quod quis moriatur, annalia non referunt. Quia igitur hoc non accidit in humanis casibus, vel si vnquam accidisset esset quam rarissimum, vt reputaretur monstrum, in humanis moribus, idcirco Dominus de huiusmodi dilectione, quæ non extat apud homines, non fecit mentionem, sed de contingenti magis dilectione, quæ est ad amicos. Vnde de hac ait, eam esse maximam, ex qua homo moritur propter amicum suum. Inde volens insinuare, si hæc est maxima amicitia pro amicis mortem subire, multo maior est mea dilectio, ex qua mortem subeo propter peccatores, qui sunt inimici mei, vt eos reddam mihi amicos. Mortuus est igitur Dominus pro inimicis suis ad Roman. 5. Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impijs mortuus est. Et ibidem, Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Et item, Commendat autem Deus charitatem suam in nobis quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Quare re vera hęc summa est commendatio dilectionis Christi erga homines, quia cum essemus inimici ex peccato protoplastorum, & ex nostris, quæ adiecimus delictis, Christus pro nobis, inimicis suis vitam suam humanam, in cruce Deo immolauit, & per mortem suam, ex inimicis, nos fecit suos amicos.

¶ Est igitur argumentum Christi, si maximum est mori pro amicis, quantum erit mori pro inimicis, id quod ego contuli generi humano? Quia ergo dixerat hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c. ideſt, hoc præceptum est summa, & epilogus omnium præceptorũ, diligere proximos, vt ego vos dilexi, subiecit symbolum certissimæ dilectionis, quale sit, scilicet, si quis moriatur pro salute fratris spiritualis, vt cap. 10. &. 13. expositum. *Vos amici mei eritis, si feceritis omnia quæ ego præcipio vobis.*

Summam

Gaudiũ quod ex spe infidelibus incipit de præmio æterno in patria adimpletur.

Quod amicus propter bonum amici mortẽ subeat non est aduersarium moribus humanis.

Mõstrum esset in moribus humanis si quis propter inimicũ suum mortẽ oppetat.

Summam probationem dilectionis nostræ erga se Christus collocat in obseruantia præceptorum omnium, vt supra est declaratum. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Græcè, iam nō dico. Apostolus inquit, fideles noui testamenti filios esse Dei, secundum adoptionem vero fideles veteris testamenti accepisse testatur spiritum seruitutis in timore ad Roma. 8. ad Gala. 4. Vnde hæc est gratia noui testamenti, quæ generat Deo filios quia generat eos liberos. Hæc autem seruilis conditio prioris testamēti, quod generabat filios seruos. Hoc est, in nouo testamento ex baptismo soluuntur omnia peccata, & patet statim aditus ad hæreditatem summi patris. Et quia fidelibus Christi continuo patet hæreditas æterna, idcirco filij & liberi à seruitute peccati appellātur à Paulo. Quod si filij, igitur non serui. Veteres autem fideles, quia fores cœlestes non habebant patefactas, ideò adhuc laborabant ex peccati seruitute, etsi alioqui Deo erant grati: sed peccatum totius naturæ nondum erat expiatum, hacq; seruitute detinebantur, quo circa dicuntur serui. Fidelibus igitur noui testamenti arcana, quæ erant obuelata sub priori testamento, sunt reserata per Christum. Quare Christus apostolos ob hanc causam vocat amicos, & consequenter omnes fideles noui testamenti. Cæterum hæc amicitia non tollit naturalem seruitutem, ex qua omnis creatura Deo subijcitur. Quia si sumus amici, sumus ex gratia Dei, nos vocantis ad bonorum suorū supernaturalium participationē, at gratia non detrahit naturæ iura, ex quibus Deo subditur omnis creatura testante psalmo, Quoniam omnia seruiunt tibi. Vnde fideles omnes se vocāt merito ob hanc causam Dei seruos, vt Paulo est familiaris hic sermo. At dicet aliquis, Quid est quod ait, se omnia nota fecisse apostolis, cum supra dixerit, Multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo? Adhæc si omnia nota fecit, quorsum mittet Spiritum sanctum, qui doceat, & suggerat? Vtique nota fecerat Dominus omnia apostolis, quæ audiuit à patre, quæ, scilicet, pro illo tempore erāt apostolis scitu necessaria. Post modum verò alia docuit pro temporis opportunitate. Et demum alia si nō per se, saltem per Spiritum sanctum multa nota fecit apostolis, & alijs fidelibus. Neque tamen putes ex hoc verbo, apostolos sciuisse omnia, quæ sciebat Christus, quia summa erit fallentia, quanuis omnia quæ sciebat Christus à patre acceperat, quod est audire ex patre. Sed solum sermo est habendus de omnibus opportunis scitu ad salutem apostolorum, & fidelium sibi commissorum esse notificata apostolis. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Signum certum dilectionis ad alium, est ei benefacere. Siquidem amicitia consistit in beneuolentia mutua: at hæc beneuolentia demonstratur ex communicatione bonorum. Dominus ergo modo hoc docere intendit, se dilexisse apostolos suos, & quia prior dilexit eos, inde collectum vult, apostolos teneri ad diligendum Dominum. Quocirca inquit, *Non vos me elegistis.* Summi beneficij est hoc, quod Deus eligat homines ad vitam ęternam: & hac electione sunt donati apostoli. *Gaudete inquit, quia nomina vestra sunt scripta in libro vitæ.* Neque hac sola electione sunt donati, quæ fuit ęterna electio sed etiam alia temporali, quippe electi sunt à Domino, vt essent sui legati, & portarent nomen eius coram Iudæis, & gentibus vniuersi orbis. Et hoc est, quod subdit, *Et posui vos, &c.* Idest, vos constitui prædicatores mei euangelij, vt ex vestra prædicatione orbis, qui me ignorat, discat me esse Deum verum & hominem, & sic discentes conquirant vitam æternam, qui fructus erit vestræ prædicationis ęternus. Propterea dixi supra, palmites infructuosos, esse mittendos in ignem, vt vos admonerem, vt fitis palmites fructuosi, nō temporanei fructus, sed ęterni, qui est comparatio vitæ ęternæ. *Vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.* Et quia vestrę vires non sunt pares tanto fructui reportādo, ideo indigetis precari assiduè patrē meum, vt vires vestras augeat, & conatus secundet: vt gētes cōuertātur ad fidē ex vestra prædicatione. At vestras preces futuras esse efficaces, si per me patrē

Fideles sunt filij Dei per adoptionem ideo illis reuelata sunt Dei mysteria.

Fideles sunt amici Dei ex gratia & serui Dei ex natura.

petatis, certi estote ex meo verbo, quia ego vos ad hoc constitui munus exhibendum: ideò vobis omnia necessaria, ad complendum tantum opus suppeditabo. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Nihil efficietis horum quæ vobis dixi nisi inuicem diligatis: quia qui fratrẽ nõ diligit in tenebris est, ideò quod sem per moneo, idem refrico modo, vt dilectionem mutuam studiosissimè curetis. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Soluit Christus tacitam ob iectionem. Forsan enim apostoli obijce rent Domino. Vtique diligemus diligẽ tes, at inimicos quomodo diligemus? Soluit Dominus dicens, Etiam inimicos debetis diligere, instar mei: siquidem si vos oderint homines, me prius oderũt, nihilominus ego odiẽtes me dilexi, quia pro illis institui mori: idem igitur vos præstate Græcè εμε πρωτον υμων, idest me qui sum primus vestrum: aut me prius quam vos. Nam sermo Græcus an ceps est ad vtrunque sensum, quãquam posterior magis probatur, vt πρωτον sit aduerbium. *Si de mundo fuissetis, mũdus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo propterea odit vos mundus.* Sapiẽs scripsit omne animal diligere quod est simile sibi. Qua propter carnales, & mundani diligunt carnales alios & mundanos, vnde & infideles alios amant infideles. Apostoli ergo odio habebantur à carnalibus & mundanis, & infidelibus, quia ipsi spirituales erãt, & fideles erãt, & cœlestes viri erãt. Et hoc est q Dominus ait, si de mundo fuissetis, idest, si mundani essetis, & mũdana amaretis mundus, hoc est, mũdani homines, vos diligerent. Nunc autem cũ illis sitis contrarij ex diametro cũ mundanis suis affectibus pugnantes, nõ possunt mundani homines vos amare, sed potius vt suos aduersarios odio habebunt. Eratis autẽ vos etiã mundani, vt & ipsi, amãtes mundana, vt & ipsi: at verò ex mea electione spreuistis mundana, quia vos de mũdanis hominibus, quales erãt cęteri, feci cœlestes, & supra mundanos, quales nõ sunt cęteri. At fortasis dicet aliquis, qualiter intelligemus illud Iosuevltimi, Vos mihi testes estis, quod hodie elegistis me, igitur homo eligit Deũ. At Christus ait, Non vos elegistis me. At respondetur hanc electionẽ esse liberi arbitrij, quæ sponte eligit seruire Deo, sed nõ est electio, de qua modo est sermo. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est seruus maior Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meũ seruauerunt, & vestrũ seruabunt.* Quod aduersarius vester sit mundus, non est quod vos remoretur, siquidem meminisse oportebit mei iam habiti apud vos sermonis, Matth. 10. Nõ esse seruũ maiorẽ, hoc est, meliorẽ Domino suo. Quocirca si ego Dominus vester sum, nã vos vocatis me magister, & Dominus, & bene dicitis sum etenim, ideo si mihi aduersarius fuit mũdus: quippe principes Iudęorũ scribarũ, & pharisęorũ phalanges, ex vno ore mihi cõtradixerunt, & calũniati sunt, & verba & opera, si idẽ ergo vos sustinueritis à mũdanis hominibus non est cur miremini. Cęterũ glossa interlexit, per seruare sermonem hoc loco, idest, calũniari. Luc. 14. ipsi obseruabãt eũ. Aut intelligit secũdo de vera obseruatione, vt sit sensus, aliqui qui sermonẽ custodierũt meũ, isti custodient vestrũ. Priorem sensum probat Cyrillus: refert enim verba ad contẽptũ sermonis. Aduerte, vt quos dudũ dixerat amicos, vocat nunc seruos, quia serui sumus ex natura Deo subditi. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me.* Odiũ, quod gerent apud vos, erit propter euãgeliũ, quod prædicabitis in gloriã meã, cui inuidentes, & conantes obscurare illius claritatẽ, vos vexabunt, & torquebunt, vt cessetis ab euulgando nomine meo, & nomine patris mei: latebit enim eos tãtũ arcanũ. At verò post quã à vobis fuerit promulgatũ, hęc ignorãtia erit noxia illis, quia sponte ignorabunt, q est antidotũ ad æternã parandã salutẽ. ¶ Sed quid est quod ait, Nesciunt eũ, qui misit me, nã Iudęi Deũ sciebant? Sciebãt sanè, sed nõ quatenus erat Christi pater, vnde. 1. Corin. 15. ignorantiam Dei habent vsque adhuc, & contestatur idẽ psalmus. Nescierunt, inquit, neq; intellexerũt, in tenebris ambulãt, & concinit Esai. 8. Errauerũt, & prębrietate nescierũt. Et idẽ Esai. 6. & scriptura scatet testimonijs huius generis. Quod autem hęc ignorãtia fuerit prauę dispositionis, & ideo valde pernicioſa, & quę Iudæos non

Iudęorum ignorantia de Christo est prauę dispositionis.

non excusauit à summo peccato infidelitatis, sequentia declarabunt. *Si non venissem & locutus fuissem eis peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Græcè prætextum. Ignorantia tunc inculpata est, quando homo præstat quod suum est vt sciat, quæ scire debet, si adhuc ignorantia teneatur, nõ est cur culpetur huiusmodi ignorantia. Iudæi autem non solum nõ fecerunt quod tenebantur, vt non ignorarent Christũ, imo fecerunt omnia quæ potuerunt, vt eum ignorarent. Et habentes coram oculis suis coruscantem lucem veram, occluserunt ex inuidia mentis oculos, ne illuminarentur: ideo sunt valde culpabiles. ¶ Christus autem præstitit omnia, quæ eum decebat præstare, vt eos illuminaret. Nam si verba quæris, nunquam sic locut⁹ est homo, si facta, nullus collecti uè loquendo talia, & tanta, & tot, facta exhibuit miranda, qualia, quot, & quanta Christus. Et quo ad modum faciendi, se verè Deum esse monstrauit. Quędã, quidem, sola voluntate fecit, vt Ioan. 2. aquam illam in vinum nuptiale conuertit, alia verò solo verbo, nam solius verbi imperio, vt excitauit quatriduanum Lazarum, Ioan. 11. alia tactu vt cæcum illuminauit, Ioan. 9. & verbotenus peccata donabat dicens, Luc. 7. Remittuntur illi peccata multa quia dilexit multũ. Hoc autem erat miraculum internę actionis, vt præmissa exterioris operationis. ¶ Demum ipse Christus se declarauit esse filium Dei, & verbo & opere, cui & paterna vox Matth. 3. attestata est. Et Ioãnis vox est attestata Ioan. 1. Quare Iudæi excusari nequeunt, nihilq; coloris possunt obtendere, quod alleuiet suam perfidiã. ¶ Quid quod vel ipso experimento discunt, se scelus admisisse grande occidẽdo Christum. Quippe à morte eius dispersi sunt in nationibus, & prolixissimam ducunt captiuitatẽ, & abominales redditi sunt omnibus gentibus. Qualia non sunt passi eorum maiores ob grauissimum etiam idololatriæ peccatũ. Verũ etiam num velatos habent oculos mentis suæ, & vocibus suorum prophetarũ, quos quotidie legunt, clarissimè resonãtibus nostrum Christum esse quem ipsi expectabãt, ex sua rebellione repugnãt. *De peccato suo.* Subintelligit infidelitatis peccatũ, ideo ait, Peccatum non haberent, subaudiens peccatũ infidelitatis: q̃ sanè quia radix est vnde progerminantur varia peccata, ideo per antonomasiã peccatũ appellatur à Domino. Sed ais, qui ergo nõ audierunt Christũ, non peccant non credẽdo. Imo peccant, quia facile est iam omnibus credere: quippe in omnem terrã exiuit sonus eorũ. Si qui vero sunt, quibus hoc est impossibile euangelium audire, & per eos nõ stat, q̃ nõ audiant, non credendo nõ peccãt: de qua re supra egimus: isti enim negatiuè se habent ad fidẽ, non priuatiue. *Qui me odit, & patrem meum odit.* Iudæi putabant se amare Deũ, etiã si odio haberẽt Christũ, ideo Christus admonet eos ne fallantur. Nã qui odit Christum, & Deũ odit: quia Christus est ipse verus Deus. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorũ scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Non solum culpat Dominus Iudæos, de infidelitate sed etiam de odio indicans Psal. 24. & 68. Et vocat psalmum legem, vt supra est expositum. Et odium Dei maius crimẽ est quam infidelitas, quippe quod excellentiorem euellit virtutẽ, scilicet, charitatem. Nam quanuis omnia crimina pugnent cum diuina charitate, quippe quam à mente hominis depellunt, at verò odium Dei directè, & ex diametro pugnat cum charitate. Sicut inimicitia Dei cum amicitia Dei. Ideoque alia peccata non dicuntur odium Dei, nisi interpretatiuè. Multa differunt theologi, si dum vita ducitur hæc mortalis, tanta potest esse mentis humanæ calamitas, ex qua Deum possit directè odio habere. Controuersa est quæstio, quia Deus cum sit infinitæ bonitatis odibilis non est, odium enim habet in obiectum malum. Verum quia mens cæca potest Deum apprehendere sub ratione mali non simpliciter, sed sibi, videlicet, vt sibi nocet, affligendo, vel puniendo, ideo quibusdã arrisit fateri Deũ nõ sub ratione Dei, sed sub alijs rationibus odio posse haberi. Et locus hic hoc docet, & Psal. idem hoc clamat dicens, Superbia eorum qui te oderũt Domine, &c. Verũ locus hic dãnatos spectat, de quibus modo

Ignorãtia inculpata quæ est & culpata

Tot & tanta, & talia miracula nullus quot & quanta & qualia Christus fecit.

Pſal. 24. & 68

Odiũ Dei imperat omnia peccata.

Num Deus sit odibilis à creatura rationali.

Infidelitas Iudæorũ prorsus est inexcusabilis.

non instituitur sermo: sed de viatoribus. Neque tamẽ locus iste euãgelicus rẽ absoluit, quia promptũ est dicere, Iudæi odio habuerunt Christum formaliter, Deum autem odio habuerunt interpretatiuè: quia Christus est Deus, & qui odit Christum, virtualiter odit Deum. Cæterũ ventilatio huius dubij alibi obtinet aptiorem sedem. Fuit autem hoc cõtra Christum odium Dei patris odiũ: quia opera præclarissima Christi Beelzebub dæmoniorum principi Iudæi attribuebant. Matth. 12. Verum cũ Iudæi nõ cognouissent Christi patrẽ, vt Christi patrem, non odio habebant Christi patrem formaliter, sed solum interpretatiuè. Quia sicut nihil volitum, nisi prę cognitum, ita nihil odio habitum, nisi præcognitum. Quanuis S. Augustinus hoc idem hoc loco differit, num Iudæi ignorantes patrem Christi possent odio habere patrem, quia nemo odit quod nescit. Respondet tamen, non esse, necessariam ad amorem vel odium intuitiuam notitiam diligendi, aut odiendi obiecti, siquidem sæpe non visa amamus, aut odimus: sed sat est quod ea cognoscamus, vtcunque ex relatione aliorum vel lectione, &c. Quia igitur ex Christo sæpe audiebant patrem, hunc patrem, quem Christus proclamabat suum Iudæi odio habuerunt. Porro Ioan. 17. de Iudæis traditur, Non cognouerunt, patrem neque me &. 8. Non cognouerunt quia patrẽ eius dicebat Deum. Vnde videtur Iudæos non cognouisse, patrem Christi naturalem esse Deũ, ex sua praua dispositione: nihilominus odio habebant eum, quem dicebat Christus esse patrẽ suũ ignorando alioqui patrẽ eius esse Deũ. Quia si credidissent esse Deũ non odio habuissent formaliter. Quod si obieceris, Cur ergo ait, Et viderunt, & odio habuerunt? Si viderunt, igitur non ignorarunt. Cæterum non est habendus hic sermo, quod viderunt Iudæi patrẽ, sed quod viderunt Christi opera augustissima, ex quibus operibus debuisset in Iudæis conciliari Christi amor, at contra conciliatum est summum odiũ. Ideo que Dominus laudat non videntes, & credentes dicens, Beati qui non viderũt, & crediderunt: quippe Iudæi videntes, non crediderunt, sed odio habuerunt Christum, Glossa interline. exposuit, Oderunt me, & patrem meum nescientes. Hoc est, ex eo odio habuerunt me, quia nescierunt me esse Deum, & filium Dei naturalem. Etenim si sciuissent, nõ odio habuissent Paulo testante. 1. Cor. 2. Si Dominũ gloriæ cognouissent neutiquam crucifixissent, atque. 1. Cor. 15. ait de Iudæis, ignorantiam Dei habent vsque nunc. Vtique Iudæi Deum vnũ semper cognoscunt: verum, quia non cognoscunt Deum esse patrem Christi, & Christũ esse verum Deũ: ideo ait ignorantiam Dei modo habere Iudæos. Hæc autem ignorantia, quia est prauæ dispositionis, & nõ puræ negationis, ideo eos non excusat. *Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Spiritus paracletus testatus est per apostolos quos imbuit in die Pentecostes, Christũ esse verũ Deũ, & hominem verum. Et ideo in nomine Christi polliciti sunt salutem æternam orbi dicentes, Non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat homines salutem sibi parare, prę terquam in Christi nomine. Quod verò ait, Quem ego mittam vobis à patre, ideò ait, quia ipse à patre processit Deus de Deo, & inde ipse & pater spirant Spiritum sanctum. Quod ergo filius spiret Spiritum sanctũ habet à patre, & quod ipsum mittat visibili forma habet item à patre. Spiritus ergo interno testimonio Christum testatur esse Deum, & apostoli externo miraculorum testimonio testati sunt idem. Græcè spiritus veritatis. Tametsi πνευμα Græcè neutrum est: ideoque ambigua est lectio ad accusatiuum, & nominatiuum. Interpres noster in accusatiuo accepit. Græcè, nõ perhibetis, de præsenti, etsi Cyrillus per imperandi modum legit, scilicet, Perhibete. Et sensus vtroque modo integer. Perhibetis testimonium, quia vos testes estis. Perhibebitis postquam ascendero in cœlũ, & tunc perhibete testimoniũ. Sed quid, dicet aliquis, necesse est perhibere homines testimonium, si Deus ipse perhibet? Vtique perhibet, sed per homines perhibet: ideo perhibẽtibus apostolis Spiritus sanctꝰ per illos perhibebat, *Ab initio.*

Ad amandũ vel odiẽdum nõ est necessaria notitia intuitiua obiecti.

Collige

Collige apostolos ferè simul vocatos à Christo, etiam si non legatur quo tẽpore fuerint omnes vocati. Ab initio vocationis apostolicæ fuerunt cum Christo. Theophilactus verò legit etiam de futuro, iuxta lectionem nostram vulgatam, Vos, inquit, quoque testabimini, qui ab initio mecum estis, quanuis in textum transfert interpres eius, vos testes estis: sed vt dixi omnia consonãt. ¶ Sensus igitur horũ verborũ est, prædixi vobis, ꝙ Iudæi vos sunt persecuturi, & ꝙ sermonẽ vestrũ non sunt seruaturi, quia si meũ nõ seruarunt, si me persecuti sunt vobis non parcet etiã ipsorũ furor. Cęterũ contemnite eorũ vexationes, cõtemnite eorum contemptũ, & firmi estote, & perseuerate in prædicando euãgelio meo, cui Spiritus sanctus attestabitur, & vos idẽ simul contestabimini, siquidẽ si non tuleritis fructũ ex Iudęis, quẽ desideratis, reportabitis tamen magnũ ex gentibus fructũ. ¶ Distingue tamẽ hoc loco, procedere & mitti, siquidẽ processio significat naturalem emanationẽ Spiritus sancti à patre & filio, mitti verò denotat voluntariã missionẽ à patre & filio à dextra Spiritus sancti, ideo cũ ait, Quẽ ego mittam à patre, idest, volẽte patre, & ex diuinitate, quã habeo à patre, ego mittã visibiliter super vos. Dixit autẽ, Qui à patre procedit, & nõ dixit modo, quem mittet pater, sed quẽ ego mittã à patre. Nãque iam dixerat superiori sermone, Spiritus paracletus, quẽ mittet pater in nomine meo. Nunc verò vt demonstret se secundũ diuinitatẽ esse ęqualẽ patri, ait, quem ego mittã à patre. Et equidem sufficiens est testimonium diuinitatis Christi, quod ipse misit Spiritũ sanctũ. Nam pura creatura Sãctum spiritũ creatorem non potest mittere: & quanta vęcordia esset asserere creaturam mittere creatorẽ. ¶ Neque tamen quia mittitur, ideò Spiritus sanctus, minister est patris & filij, vt Macedonius arbitrabatur, & Eunomius. Siquidẽ si minister esset, nõ diceretur qui à patre procedit. Sanè omnes creaturæ à Deo procedunt: cur ergo singulariter de Spiritu paracleto Dominus ait, Qui à patre procedit, nisi ad denotandã singularẽ processionẽ Spiritus sancti, à patre? Et quia in ratione principij processionis huiusmodi filius non distinguitur à patre, si Spiritus sanctus à patre procedit necesse est, quod à filio procedat, vt etiã Cyrillus Græcus autor hoc loco concedit, etiam si supra dixerat Spiritum sanctum esse mentẽ filij cap. 14. Cęterũ theologi nõ hoc probant spiritum esse mentem filij, si ad eũ sensum sumatur, quo fatemur filium esse verbũ patris, vt nos in. 1. Senten. prefsius disseruimus. ¶ Omnes sanè angeli ad Heb. 1. sunt administratorij spiritus missi ad suamunia exequenda, ad quæ Deus destinauit illos: at vero iste spiritus, non est administratorius, sed autor & conditor administrãtium spirituum. Ideoque ad testimonium de Christo, hic mittitur ab ipso Christo, quia est spiritus veritatis: in angelis autem reperta est falsitas, Iob docente, in angelis reperit prauitatem cap. 4. Nam diabolus in veritate nõ stetit, & mẽdax est, & pater mendacij: sancti equidẽ angeli veraces sunt, at nõ sunt veraces, vt Spiritus sanctus. Nanq; Spiritus sanctus est ipsa veritas: vt est ipsum esse, & ipsum bonũ. At verò sancti angeli sunt veraces quatenus imbuti sunt hoc veritatis spiritu: quo quia orbãtur mali angeli, sunt spiritus mẽdaces, atque fallaces. Quia ergo Christus est veritas, hac ratione spiritus huius veritatis, testimoniũ perhibuit de hac veritate. Apostoli quoque, vt repleti hoc spiritu veritatis testati sunt Christũ veritatẽ esse, itẽque sancti angeli ob eãdẽ causam natiuitatis Dominicę, & resurrectionis, & ascensionis in cœlum testimonium perhibuerunt.

Processio & missio vt distinguantur.

Spiritus sanctus non est mens filij.

Spiritus veritatis perhibuit testimonium de veritate.

In ratione principij, vnde processio est Spiritus sancti non distinguũtur Pater & filius.

MORALIA.

¶ *Ego sum vitis vera, & vos palmites.*



EGIMVS in sacra Geneseos historia, quendam Ægyptium, quẽ in carcerẽ tradiderat Rex Pharao per quietem vidisse vitẽ quandam propaginibus tribus refertã, ex qua cum expressisset vinum Pharaoni, cuius pincerna fuerat, illud propinasse eidem, vt solebat bibendũ. Quod sane insomnium, cum retulisset Ioseph somniorũ interpreti, Ioseph somnianti pincernæ libertatem ex vite, quam per quietem viderat, & honoris pristini restaurationẽ pollicetur. Quod sanè insomniũ præter

Genes. 40.

Somniũ pincernæ de vite abscondit sacramẽtũ de vera vite.

alia, quæ condit ſacramenta, vnum ſolum exponemus, quod mox ſubdemus. Hæc nanque vitis, quæ erat ficta vitis, quia ex inſomnio viſa erat vitis, aliam vitem veram, de qua nobis præſens ſermo eſt habendus aptè adumbrabat.

¶ Chriſtus nanque eſt vitis hæc tribus propaginibus conſtans: quippe & diuinitate, & anima rationali, & humana carne ſubſiſtit. Nanque diuinitas filij, quadãtenus ratione, videlicet quia à patre eſt accepta, non incommodè propago dici poteſt patris: quatenus tamen eſt in filio. Quanuis enim diuinitas ſecundũ ſuam rationem abſolutam conſiderata nullius ſit propago, ſed ab ipſa vniuerſa propagantur, quippe quæ vniuerſorum eſt principium, at vero ſecundum relatiuam rationem, ideſt, quatenus in filio eſt, propago eſt patris. Quippe vt eſt in filio eſt ipſe filius: at filius teſtante Dionyſio libr. de diuinis nominibus, patris ſempiterna eſt propago, ſiue germen. Iſtæ autem propagines ſunt vna vitis, quia diuinitas, anima, & caro Chriſti, ſimul vt coniuncta, ſcilicet ſunt, ſunt vna perſona diuina, & humana, quę eſt filius Dei patris, & primogenitus virginis matris. Cæterum habet hæc vitis alias propagines myſticas, quæ non ſunt hæc ipſa vitis. Cæterum ab ipſa hac vite originem & vitam ducunt. Priores quidem propagines, tres ſolum erant, at iſtæ alię propagines ſunt innumerabiles. Omnes nanque iuſti, qui ab origine mundi fuerunt vſque modo, & qui modo ſunt, & omnes, qui poſt hac ſunt venturi iuſti, & electi à Deo, omnes ſunt propagines huius diuinæ, & veriſimæ vitis. Nõ dum erat hæc vitis, & iam habebat propagines, iam nutriebat ſuosque viuificabat palmites. Etenim Matth. 23. & qui præcedebant, & qui ſequebantur & acclamabant Domino, Hoſanna filio Dauid. Siquidem præcedentes Chriſti ſecundum carnem aduentum, ſalutem & iuſtificationem, ab hac vite pendere ſuã profitebantur, & qui ſequebantur, eandem profeſsionem celebrabant. Petrus nanque in ſolenni illa concione habita ad Hieroſolymitas, poſtquam ſpiritus Dei eum abundè imbuerat, clara voce reſonauit, Nõ eſſe hominibus aliud ſub cœlo datum nomẽ, in quo oporteat eos ſaluos fieri præter nomen Ieſu Chriſti. Et quidem non de præſentibus loquebatur dumtaxat, qui aderant ſuæ concioni, ſed generalem proclamauit ſentẽtiã: omnes nanque comprehendere voluit homines, verba commemorata proferens. Nam ſi aliquando hominibus contigiſſet ſalus, & non per fidem Ieſu Chriſti, vtique iam aliud eſſet hominibus datum, in quo poſſent ſe ſeruare à morte æterna, quod nõ eſſet nomen Ieſu Chriſti, Petro tamen reclamante, non eſſe ſaluti ęternæ parandæ aliud nomen niſi nomẽ Ieſu Chriſti. Quod ſi dixerit quiſpiam, Quanuis ad ſalutem ęternã comparandam, neceſſaria ſit fides Ieſu Chriſti, tamen ad iuſtificationem non ſemper fuit neceſſaria fides Ieſu Chriſti. Quippe in lege naturali patres priſci illi degentes, nullam Chriſti notitiam habuerunt: ideoque Chriſtum ignorabant inculpatè, quapropter non poterat ab eis exigi fides Chriſti, quem inculpatè neſciebant. Vnde & quibuſdam magnis autoribus hoc arriſit placitum. Nõ fuiſſe ante Chriſti aduentum fidem Chriſti neceſſariam ad ſalutem, nedum ad iuſtificationem, ſed quod qui præceſſerunt Domini aduentum, rectè cuſtodientes naturalis legis præcepta, vnũ Deumque colentes, citra aliam fidem, ſalutem conſequi potuiſſe. Hanc credidiſſe ſententiam reperio Chryſoſtomum humilia 37. in Matthæum, & profert exemplum de ſanctis illis & admirandis iuuenibus Machabęis, qui ſine Chriſti notitia, mirabiliter pro lege patria occubuerũt, & glorioſiſsimam martyrij palmam retulerũt. Qui dubio procul promeruerũt æternam vitam. Et rurſus idem teſtatur, in ſermone de Lazaro mendico. Et ante Chryſoſtomum Iuſtinus martyr in lib. quæſtionum à gentibus propoſitarum, quæ. 8. idem teſtatur dicens, Qui cum ratione vixerunt, etiam Chriſtiani ſunt, etiam ſi non nouiſſe Deum exiſtimati ſunt. Quales apud Græcos Socrates, & Heraclius, & alij ſimiles. Et Clemens libr. 5. & 6. ſtromatum eos ait, qui ante Chriſtum rectè vixerunt, eſſe iuſtos factos per legem, vel per philoſophiam, ſed defuiſſe eis tantum fidem in Chriſtum. Quare in inferno expectaſſe Chriſti & apoſtolorum aduentum, eorumq; ibi

Par. 1. cap. 2.

Omnes qui fuerunt iuſti ante Chriſti aduẽtum fuerunt palmites Chriſti.

Acto. 4.

ibi prædicatione esse conuersos, vt in Christum crederent, & sic demum seruatos esse.

¶Porro autem, vt rem hanc disseramus apertius Apostolus clamat ad Heb. 11. Sine fide esse impossibile placere Deo. Non ergo sola philosophia, quippe quæ non est fides, sed naturalis scientia poterit hominem facere gratum Deo, neque ipsum saluum facere.

¶Ad hæc cum per philosophiam assequamur Deum vnum esse, equidē Deū vnum esse cognoscere, etsi sit præambulum ad fidem, non tamen est fides, apud philosophos: quandoquidem ex visibilibus indagãtes philosophi assecuti sunt vnius diuinitatis notitiam. Quod ergo Paulus ait, Sine fide impossibile esse Deo placere, de supernaturali notitia Dei, quæ fides est propriè, audiendum est. Vnde dicens, Oportet accedentem ad Deum credere, quia est, & quod remunerator est, inquirentium se, vtique, non diluit quod dudum aiebam. Nanq; esse remuneratorem, est esse iudicem hominum, & pijs præmia ęterna, & impijs supplicia tribuere: hoc autem vt certo credamus, non sufficit philosophia. Philosophia enim, ex visibilibus vestigans inuisibilia, non habet vnde hoc colligat per demonstrationem, id quod est philosophica methodus. Imo plerique philosophorum, vt Protagoras, & alij obseruantes pios in hoc torqueri seculo, & impios prosperè habere, diuinam lęserunt prouidentiam fato, & casui huiusmodi successus humanos tribuentes. Vt ergo certissimè credamus Deum esse remuneratorem, aut demonstratione, nobis certitudo hæc paranda est, & hoc minimè fieri potest, aut fide, & hac via sola certus redditur homo quod sit Deus iudex factorum humanorum. Ergo iuxta apostolicum verbum, omnes iustificandos, necesse est fide, hoc est, notitia supernaturali quadam de diuinis donari.

¶Ad hæc iustificatio nulli, nisi ex pœnitentia contingit: at verò pœnitentia necessaria ad salutem, non est solum dolere, aut tristari de admisso peccato, sed dolere propter summè dilectum Deū. Sed nūquid philosophia hoc vnquã docuit? neutiquam. Neque enim Plato hoc sciuit, & philosophiæ monarcha Aristoteles hoc ignorauit: sed sola fides docet peccatum esse hac ratione purgandum. Rursus ad iustificationem necessarius est amor charitatis diuinæ, qui est amor supernaturalis: igitur necessaria est etiam Dei cognitio supernaturalis & hæc est fides. Qua propter cum omnes iusti, qui præcesserunt Domini aduentum, fuerint iustificati per pœnitentiam, & charitatem Dei, necesse est omnes huiusmodi fidem supernaturalem habuisse. Præterea quod Clemens ait, huiusmodi philosophos, qui in inferno erant fuisse conuersos ad fidem, ex Domini prædicatione, &c. non potest intelligi de his, quos infernus damnatorum excipit: nãque isti conuerti nequeunt. Igitur est intelligendus sermo hic, de inferno qui vocatur patrum limbus, aut de purgatorio. At vero in altero seculo nulla est noua conuersio. Quia vel hæc conuersio esset, vt iustificarentur nouè, & hoc non, quia à morte nulla est iustificatio: nanque qui iustus clausit diem extremum, semper manebit iustus, & qui iniustus, semper manebit iniustus. Vel hæc conuersio esset, vt deducerentur ad vitam æternam: at neq; hoc dicendum erit. Siquidem, cum beatitudo hominis, dependeat ab ipsius iustificatione, quia soli iusti beantur, vt iniusti damnantur, si ad iustificationem non est necessaria fides, neque ad beatitudinem consequendam.

¶Accedat eodem, quia vel isti, quos Clemens ait, quos limbus tenebat, conuersi ad fidem Christi sunt in limbo liberè, aut necessario. Si liberè, quia poterant non conuerti, igitur existentes in limbo aut purgatorio peccare possunt, quia poterant non credere: id quod falsum est, quippe iam sunt constituti in statu nouo extra viam. Si verò necessario crediderunt, qua ratione obsecro per actũ necessarium conferenda erat illis vita ęterna? Et in cumulum harum rationum, nouam cõcinnemus, hanc videlicet, Nũ isti viri pij, qui tempora Saluatoris præcesserunt, pro infantibus suis potiti sunt remedio salubri aliquo? an non? Quod si dixeris omnes horum infantes quos tum sustulit mors, damnatos fuisse, durissimi dogmatis esset ista assertio. Dominus enim cultorum suorum curã gerebat, non solum ipsorum, sed infantũ

Fides propria est quæ est notitia supernaturaliũ rerum & hęc est necessaria ad vitam æternam.

Clemẽs Alexãdrinus defenditur.

Deus nũquã reliquit in lege infantes piorum hominum sine remedio contra originale

suorum, non permittendo omnes illos dānatione innodari. Vt postmodum cu ram egit eorūdem, quando Abrahę iussit circuncisionis ritum, etiam ante legē Mosis latam. Vnde admodum rationi consonat, huiusmodi infantium Deum etiam curam egisse, sub ipsa naturę lege, igitur sciebant huiusmodi Dei cultores peccatum originale esse infectionem generalem hominum, etiam ab ipso humano conceptu. At verò hoc arcanum scire nequibant, nisi Deo reuelante: quippe originalis macula, est occultissima, & nō potest manifestari nisi per fidem. Vnde Grego. ob hoc affirmat, sub lege naturæ fidem parentum profuisse infantibus ad expiationem huiusmodi piaculi primitiui de consecra. dist. 4. cap. Quod autem apud nos. Quod vero ait, solam fidē profuisse paruulis id temporis, tu intelli ge de fide protestata per aliquē actū exteriorē. Nam sola fides in mente concepta paruulis non poterat prodesse. Nam profectus huius fidei, erat quia quodam modo induebat formam sacramenti, sed non poterat hanc induere si nō erat sensibile signum.

Parētū fides protestata aliquo actu exteriori, vel oratione vel sacrificio proficiebat paruulis.

Rationes probantes nulli vnquam contigisse iustificationē nisi ex fide Christi.

¶Et augētur ista, quia apostolus Ephes. 4. testatur vnum esse Deum, vnam fidē, vnumque baptisma. Si verò qui sub lege naturæ degebant, ex solo vnius Dei cultu, sine ampliori fide iustificarentur, cum nos iustificemur per fidem expressam Christi & eiusdem charitatem, nostra fides, & illorum fides non esset vna fides, vt manifestum est. Quia nostra supra naturalis, illorum verò erat naturalis, quia metas luminis natiui non excedebat. At diuersum est quod docet Paulus vnam fidem esse omnium fidelium. Quia quāuis fides Christiana multò explicatior sit, quam fuerit fides antiqua, cæterum esse explicatiorem, non diuersificat fidei substantiam. Nanque eadem est manus compressa, & explicata. Et hoc argumentum ex aliò subdendo amplius constituitur. Apostolus nanque inquit, Hebræis scribens. 5. Christum esse autorem salutis obtemperantibus sibi. Igitur nullus potest, aut potuit, aut poterit hac ęterna frui salute, nisi obtemperet Christo. Sed si nullam habuerūt sub lege naturæ prisci illi patres de Christo notitiam, siue implicitam, siue explicitam, vtique non potuerunt obtemperare Christo, quem prorsus ignorabant. At vero si implicitè credebant venturū esse hominem quendam, qui reseraret fores cœlestes, iam tum implicitam fidē sortiebantur, quæ cum pœnitentia operabatur remissionem peccatorum. Tunc enim Christus etsi nondum venerat operabatur instar causæ finalis, quæ concepta desideratur, & ex desiderio mouet ad consecutionem eius. Nunc vero operatur, vt causa efficiens, quia iam exiistit.

Vna fides antiqua & moderna.

¶Et quidē adhuc ista vehementius etiā suadentur, si contemplamur, etiā ab origine peccati, continuo, insinuari Christum futurum peccati remedium. Peccantibus enim Adam, & Eua continuo à peccati perpetratione, pandit Deus remedium dicens, Inimicitias ponam, inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum. At non vides vt iam pādebatur antidotum peccati futurum per mulierem Christi matrem? Vel si legis, Ipsum conteret caput tuum quendam hominem progenitum ex muliere contriturum Satanicam docet potestatem. Et istud erat credere implicitè Christum. Et quid, nonne legimus sub lege naturę viros fuisse iustos, & Deo placentes, vt fuit Enoc, Noe, Melchisedech, Sem, &c? Nōne isti à Deo erāt edocti de agēdis ad vitam æternam? Igitur spiritus Dei eos instruxit de fide mediatoris Christi. Quod si Noe fuit à Domino instructus de modo componendi celeberrimam illam arcam, ad salutem sui & suorum corporalem de fide Iesu Christi quid ni instrueret & ipse suos filios, & seriatim per nepotes tradebatur hæc fides?

Ab origine morbi est insinuatum antidotum.

Gen. 3.

¶Semper igitur mediator Dominus noster Iesus fuit, & antequam veniret in orbem erat meditator noster, quia per fidē in ipsum venturum homo se disponebat ad iustificationem, & pœnitendo de erratis suis iustificabatur. Postquam autem venit in mundum est etiam mediator, quia sanguinem fudit suum, vt patefaceret sancta illa cœlestia, non manu facta.

Christus semper fuit mediator hominum & Dei.

¶Et equidē, cum diabolus sit caput omnis iniquitatis, quippe omnes iniqui sunt mēbra eius, cur non dicemus Christum semper fuisse caput omnium iusto rū? cur non dicemus omnes iustos fuisse, & esse,

& esse, & fore palmites huius vitis? Et Augustinus hæc omnia firmat dicens, in epistola ad Optatum. 157. Proinde, inquit, cum omnes iusti, siue ante incarnationem, siue post incarnationē Christi, nec vixerint nec viuant nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo. Profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri nos, ex illo tēpore, ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanū. O mirabilem, & planè stupendam vitē: nondum extabat, & iam germinabat, nondū erat & iā palmitibus decoris erat exornata. Si viuificabat suos palmites antequā fuisset, an non viuificabit multo amplius modo, postquam præsens adest, quæ olim anxia spe, desiderabatur? ¶Primam vitem plantauit Patriarcha ille Noe, & ignoratum vitis fructum gustans inebriatus est. At verò vitem hanc sublimem, & electissimam, planta uit Deus omnipotens in vtero. B. virginis Mariæ per Spiritum sanctum. Non plantatur enim hæc vitis ab homine, sed ab ipso Deo, quando verbum caro factū est. Geminam habet naturam vitis hæc & diuinam, & humanam, vt magis mireris præexcelsæ huius vitis naturam.

Noe primus plātat vitem.

¶Vinifera est vitis hæc, non siluestris: & vinum huius vitis est vinum quod lætificat humanas mentes lętitia sempiterna. Ex alio vino materiali, inebriari prohibet apostolus, at ex hoc vino inebriari iubemur, quoniam qui ex hoc vino inebriatur, Spiritu sancto inebriatur.

¶Siluestris vitis labruscas parit, acidos fructus: at verò hæc vitis non siluestris sed viuifica est, & vinum quod fert omnem superat dulcedinem, nam sanguis eius est, sanguis vuæ meracissimus. Pessimi cultores huius vitis fuerunt Iudæi, qui cum debuissent hanc vitem summo colere cultu, quia fructus huius vitis est vita sempiterna, eradicauerunt tamen eam de terra viuentium, occidētes Christum. At verò non prouoto eis successit huiusmodi eradicatio vitis, nanque post eradicationem, multo glorioſior, & fructuosior ex sepulchro, vbi condita fuerat vitis hæc reuiuiscit. Transplantatur tandem in cœlestia regna in die Ascensionis suæ super astra. Porrò autem ibidem transplantata, in terra illa viuentiū pulcherrimos gerit ibi palmites, neque solum ibi, sed & in terra nostra palmitibus refertissima est, imo quod mireris amplius, & subtus terram palmitibus fa cunda est. Est nanque vitis hæc ampliſsima, vnde feracissima est palmitū. Ideo in cœlo, beatis ornatur palmitibus, & in terra, scilicet, in ecclesia militāte palmites multos habet, & denique in purgatorio. In inferno vero nullos habet palmites. Plerique sane ibi sunt, qui fuerunt olim palmites huius vitis, cæterum per finalem impœnitentiam aruerunt, & ab scissi sunt ab hac vite, & in fasciculos redacti, deiecti sunt ad flammas illas tartareas, vt ibi ardeant, & ex ardore nō consumentur, quia semper ardebunt. Quia verò in igne purgatorio sunt collocati, sunt sane palmites huius vitis, vitæque humorem ab hac vite retinent, quia in charitate Dei, & ecclesiæ decesserunt ab hac vita. Cæterum, quia eorum pœnitentia non fuit sufficiens, vt peccatorū suorum iam donatorum, reliquias absumeret, vnde cum huiusmodi peccatorū scorijs ex hoc migrarunt seculo, ideo ibi dem purgātur ab igne, donec tanquam aurum in fornace excoquantur, & puri, & nitidi in abaco cœlesti coram Deo reponantur.

Christus habet palmites suos in cœlo & in terra & subtus terrā.

Beati & qui sunt in purgatorio nō possunt mereri bene aut male mereri.

¶Porro palmites isti, iam non fructificant, quia tēpus fructificationis, est præsens vita, quę sola apta est meritis vel bonis vel malis. Abstergunt sane scorias peccatorum, quas hinc migrātes secum detulerunt: at hæc absterſio, non est meritoria vitæ ęternæ: ideoque nō possunt ibidem fructificare, vt neque possunt peccare. Palmites autem, qui in terram cœlestem sunt transplantati ex hoc seculo, isti sunt beati palmites, in quibus vitis hæc vitæ ęternæ humorem deriuat. Isti sunt qui arescere nequeunt, & qui manēt in Christo & Christus in eis, per nexum ęternæ beatitudinis. Non equidem fructificant, quia iam sunt extra statum fructificādi: cæterum fruuntur suis fructibus, hoc est meritis, quæ tametsi erant trāsitoria, at manebat iste fructus, quia beata vita erat rependendus. Isti palmites iam non vniuntur ex fide cum sua vite sed per claram visionem, & perfectam diuinitatis fruitionem. Non arescere

scere igitur neque posse arugine affici commune est istis palmitibus, quos vel purgatorius purgat ignis, vel beata vita tenet, vt non fructificare. Cæterum beati palmites iam fruuntur ex suis fructibus, qui verò purgantur adhuc nõ fruuntur, sed purgantur vt fruantur. In vita hac fluxa purgantur palmites, vt fructũ abundãtiorem referant, vt Dominus ait. At vero post hanc vitam non purgãtur palmites, vt copiosiorem reportent fructum, sed vt ex reportatis in vita fructibus, frui liceat in regno Dei. Erant palmites alij huius vitis, qui necdum beatitudine potiuntur ęterna, sed adhuc vitã hanc temporalem degunt. Et isti sunt fideles viantes ad ęternam patriam. Isti palmites sunt, quorum est fructus facere manendo in vite. Hos palmites purgat Deus vel pœnitentiæ dono, vel laboribus alijs, & pressuris, quibus seculum hoc transitorium abundat. Nanque labores huius seculi, si ęquo ferantur animo propter Deum, vim habent purgatiuam peccatorũ: vt definit Concilium Triden. sessio. 14. Verumtamen nunc vitis hæc quosdam habet palmites non fructificantes, etsi habet alios frugiferos. Vt enim vitibus accidit habere hæc duo palmitum genera, quia sæpe viti hærent, quidam palmites aridi, vniti quidem viti, at aridi, vt & in humano corpore, nonnunquam sunt quædam membra emortua, ita quoq; quidam sunt fideles vniti Christo per fidem, sterilem tamen & infœcundam: alij vero sunt copulati Christo, per fidem fœcundam, quippe qui charitate Dei sunt Christo copulati.

Palmites in hac purgantur vita vt fructum affe rantcopiosiorem in altera purgantur vt fructu fruantur.

Labores & ęrumnæ huius temporis vim habent purgatoriã.

Soli ergo iusti sunt membra Christi viua, & palmites feraces: at verò fideles iusti, etiã sunt Christi palmites tametsi steriles palmites. Id quod lectio euangelica satis insinuat, dicens, omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet, &c. Igitur antequam tollatur palmes hic infrugiferus, palmes vitis est.

¶ Vanum igitur est dogma hæreticorũ dicentium, per quodlibet peccatum fidẽ amitti. Etenim si peccatum quodlibet fidem expellit, igitur per quodlibet peccatũ homo auellitur à vite, & per quodlibet non est in vite. Quomodo ergo verum erit, quod Dominus ait, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum? Hæc nanque palmitis ablatio à vite, vt ex contextu euangelico liquet, non est alia quã damnatio æterna: qua tamen nullus hominum, dum viuit torquetur. Hinc etiam non est obscurum intelligere, quã insanus fuerit Vvicleff, docens solos electos esse Christi mẽbra, quippe fideles omnes sunt Christi palmites, nisi quod quidã aridi sunt, alij verò virentes. Neque tamen ariditas palmitum viti est tribuenda, vt sępe cõtingit in vite materiali: ex qua arescente, & palmites arescunt. At verò Christus nunquam aruit, neque arescere poterit. In ipso enim est gratiæ plenitudo, & ex eius plenitudine omnes palmites hauriunt virorem. Quod si qui non hauriunt, vitis non est vitium, sed palmitũ.

Hæreticorũ neotericorum dogma refellitur.

Vvicleff insanus.

¶ Hæc est vitis illa, de qua vetustum extat oraculum, Gen. 49. Ligãs ad vineam pullum suum, & ad vitem ò fili mi asinã suam. Etenim per asinã quæ est animal rude, & laboris patientissimum populũ illum Hebræũ subaudimus, rudẽ sanè, quia spirituali intelligẽtia legis non erat præditus, fuit quoque laboris patientissimus populus ille, quippe qui portauerunt pondus diei, & ęstus: & onus legale tulerunt, quod erat grauissimũ onus, Acto. 17. Pullus autem, qui iugum non erat expertus, neque onus legis tulerat, populus est gentilicus, legis Mosaycæ ignarus. Huic autem viti, idest, Christo, alligatur asina hæc, alligaturque pullus iste, siquidem Hebræos, & gentes sibi colligauit Christus per fidem & sacramenta. Sunt enim sacramenta veluti vincula quædam quibus Christo homo quilibet ligatur. Et per sacramenta vitis hæc suum instillat vitalem gratiæ liquorem in palmites suos. Baptismus autem est primum ad hanc vitem ligamen, prima cum vite hac cõiunctio. Tunc enim efficimur ceu noui Christi palmites, nouumque gratiæ fructum ferimus. Ante baptismum enim in re vel voto susceptum nullus est Christi palmes. Quanuis enim catechumenus iam credat in Christum, & ex voto sit Christi palmes, cæterum non est Christi palmes nisi per baptismum in voto quo mediante ligatur ad vitem per fidem & charitatẽ. Ex aqua igitur baptismali Christus sibi producit

Sacramenta Christianæ ecclesiæ sunt ligamina quibus ligantur fideles Christo.

ducit palmites hoſce, & ibidem plantantur, & complantantur Chriſto ad Roman. 6. ¶ Iam vero vt ad ſuum remeet oratio principium, pincerna Regis Pharaonis ex vite, quam per quietem viderat præſagium ſuæ libertatis accepit, & reſtituendi honoris prædicente Ioſeph. Nos vero ex vite vera quæ eſt Chriſtus, quam per fidem veram accepimus, docente vero Ioſeph Chriſto, accepimus libertatem à peccato, & promiſſum ęternæ vitæ. A vite nanque iſta, palmites conciliant ſibi Dei gratiam, vnde reſultat à peccato libertas: quanuis interim ſit homo ex ſtatu ſeruus, vt ſunt ſerui emptitij: quibus tamen ſeruitus ciuilis nocet nihil, ſi huius vitis ſunt palmites. Palmites enim iſti ſpiritu Dei fruuntur, quem ſibi impartit vitis, & vbi eſt ſpiritus Dei ibi eſt libertas, â maligni ſpiritus ſeruitute. Aliam nanque ſeruitutem ciuilem, non tollit diuinus ſpiritus: quādoquidem ſpiritu Dei ita benè frui poſſunt qui ſerui ſunt, ſicut & qui liberi ſunt. Vnde apoſtolus in. 2. Corin. 5. In Domino Ieſu, neque ſeruus, neque liber, &c. Ex vite igitur hac donantur palmites libertate ſpirituali, nihil enim eſt damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, Rom. 8. modo ſint palmites frugiferi. ¶ Ad hæc ex vite hac pollicetur nobis Deus vitam æternam, vbi reſtaurabitur dignitas humanæ naturæ per peccatum primi hominis admodum leſa. Fuit autem leſio quod cum homo in honore eſſet factus eſt ſimilis iumentis inſipientibus. Eſt autem reſtauratio, quod ſimus ſimiles iumentis inſipientibus, ſi manemus in hac vite, erimus ęquales angelis Dei. Solus igitur eſt vera vitis: diabolus autē eſt falſa vitis, & palmites, quos habet ſunt omnes peccatores amantes mendacium, & veritatem relinquentes. Et quia diabolus eſt falſa vitis, ideo eſt ſterilis vitis, & palmites, quos habet, ariſunt, & ſteriles, quia non poſſunt edere fructus vitales, ſed potius mortales. Omnes infideles, omnes hæretici, chiſmatici omnes, apoſtatæ omnes qui à fide apoſtatarunt ſunt palmites huius vitis. Nam omnis nequitia à diabolo deriuatur: quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sapien. 1. Quinimo fideles peccatores etſi ex fide, quam profitentur ſint palmites vitis veræ, ex admiſſo, & nō purgato peccato ſunt palmites falſæ vitis. Quidam dixerunt ſe eſſe vites, vt fuit Iudas Galileus, & Theodas, at verò erant falſæ vites quia pſeudo Chriſti, & non verus erant Chriſtus. Antichriſtus ſimiliter ſe profitebitur eſſe vitem, at erit falſa vitis, & ideo Deus interficiet eum ſpiritu oris ſui: ſolus qua propter Chriſtus eſt vera vitis. Eſt enim ipſe veritas, ideo nulla in eo falſitas: eſt vita, ideo nihil mortalitatis habet: eſt via, ideo nihil habet deuij: eſt item vera vitis, quia nihil habet ſterilitatis, ſed miræ eſt vitalis, & ęternæ fœcunditatis. Et vt rem hanc paucis expediam, ab hac vite prodierūt omnes apoſtoli, martyres, cōfeſſores omnes, virgines, omniū deniq; ſanctorum beati cætus.

Ex vite vera palmites multa præclara conquirunt.

ENARRATIO. I. In caput decimumſextum.

¶ Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos, ſed venit hora vt omnis, qui interficit vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.

PRædixerat cap. proximo neceſſarium eſſe apoſtolis manere in vite, & fructum in vite ferre, & palmites purgandos eſſe ex moleſtijs, & laboribus, vt plus fructus afferant, nunc ſubdit, Hæc locutus ſum vobis, vt non offendamini: ſcandalizari enim eſt ad lapidē lędi eſt. Ergo ſenſus ne deficiatis in laboribus quos paſſuri eſtis, propter euangelij mei diuulgationem. At verò obijcies, & quid nonne apoſtoli ſcandalizati ſunt ſub ea nocte, ſub qua Dominus hæc, quæ diximus apoſtolis loquebatur? Etenim ait, Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta. Et rei probauit euentus, quia omnes relicto eo fugerunt. Verum Dominus non hæc aiebat propter noctem illam, ſed propter tempus venturum, in quo apoſtoli multis erant affligendi calamitatibus propter Chriſti euangeliū. Et ad hoc tempus ſpectans ait. Ne offendamini. Non eſt autem offenſa ſiue ſcandalum, quando non eſt ruina. Pati igitur labores propter euangelium, non erat

ſcan-

scandalum apostolorum, sed si ex passione deponerent animum, & ab euangelica destitissent prædicatione, iã tunc ruerent, quia peccatum admitterent & tunc demum scandalizarentur. Prædicit autem futura, quæ apostolis impendebant mala, quia tela præuisa minus feriunt, quam repentina. Et mala quæ ingruunt homini securo, atrocius ingruũt, quam quæ præmeditatis accidunt. Propterea Dominus venturas suis calamitates prænuntiat, vt iam armentur ad illas ęquo animo ferendas. *Absque*, hoc est alienos vos facient à templo, & sacris, & communione sua: & tanquam ethnicos vos eijcient à sua societate. Hoc idem legimus patrasse Iudęos Ioan. 12. & 9. Neque solum vos excommunicabunt, verum aliud longe stultius isto, in vos machinabuntur, videlicet, quod sibi persuadebunt esse Dei cultum vos à vita abradere, quasi verò essetis Deo aduersarij, & diuinitatis hostes.

¶ Et huius rei exemplo nobis sunt Stephanus, & Paulus, quos existimauerũt Iudæi esse aduersarios Dei & legis, Act. 7. 22. 23. 24. Obseruabis autem Dominum in docendis suis discipulis processisse à facilioribus ad difficiliora, qui processus methodicus est. Etenim in exordio apostolicæ vocationis, non eos terruit mortis, & suppliciorum memoria, vt modo, sed potius blando sermone eos ad se allexit, veluti lacte eos potans, & non solido cibo. At verò postquam eos iam instruxerat & suis verbis, & suis miraculis & robustiores eos reddiderat, iã armat eos ad pericula subeunda mortis, propter euangelium. Ideoque nunc Dominus, quando mors eius instabat, multa commemorat mala ventura suis apostolis, ad quæ viriliter ferenda, eos animat suæ mortis exemplo, & doctrinæ suæ verbis, supra capite. 15. commemoratis. *Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Patrem non nouerunt Iudæi, & Christum, & eius consubstantialem filium etiam non nouerunt Iudæi, quia si cognouissent nunquam regem gloriæ crucifixissent. Verum, vt supra admonebam, hæc ignorantia Iudaica, cuius Petrus meminit dicens, Nunc scio fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri, Acto. 3. nõ fuit inculpata, sed maximæ culpæ. Siquidem ex Christi verbis, & operibus potuissent ipsi discere, Christum esse Messiam ab illis expectatum. Quanuis ergo nesciebant esse scelus ingens, quod admittebant Dominum crucifigendo testante ipso Domino, Pater ignosce, inquit illis quia nesciunt quod faciunt: cæterum hæc ignorantia non fuit inuincibilis, sed vitio illis danda, vt cap. 15. Dominus demonstrauit, ex duplici causa, cum ex doctrina. Si non veniissem ait, & locutus eis non fuissem, peccatum nõ haberent, tum ex operibus, Si opera non feciissem, quæ nullus alius fecit peccatũ non haberent, &c. *Non nouerunt*, Deum patrem, vt patrem Christi nescierunt Iudæi & Christum vt eius filium: nã Christum ex vultu bene agnoscebant Iudęi. *Sed hæc locutus vobis, vt cum venerit hora eorũ reminiscamini.* Hora vsurpatur hoc loco pro tempore. Dominus ergo prædicebat mala, apostolis ventura in mundo, vt ne crederent apostoli horum euẽtum fugisse Dominum, imo intelligerent potius Christo nota fuisse omnia, quæ sibi, & suis apostolis ventura erant. Et ideo cum mala paterentur ęquo animo illa ferrent, quippe memorantes Dominum prædixisse illa passuros fore, ea leuius ferrent, quippe diuini erat consilij vt illa ferrent. *Quia ego dixi vobis.* Oportet vos tunc memorari me prędixisse vobis quę tunc patiemini. Et cum possem vos ab omnibus huiusmodi calamitatibus liberes facere, & immunes, nolui, sed ipsis vos subieci: quia iam prædixi vobis, non esse meliorem discipulũ Magistro suo, neque seruum pręstantiorem Domino. Si ergo sponte me subieci seculi miserijs at asperitates impiorum hominum ego patienter tuli in bonum vestrum, nihil miremini, si vos patiamini propter me ad gloriam tamen vestram. *Hæc autem vobis ab initio nõ dixi, quia vobiscum eram.* Obijciet aliquis, imo ab initio hæc dicta sunt à Domino, siquidẽ Matth. 10. Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporũ: estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut cõlumbæ. Cauete autẽ ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & synagogis suis flagellabunt vos, &c. Idemque commemoratur Lucę. 10. & Mar. 6. Cur ergo Dominus ait nunc.

Hæc

Christi methodus in docẽdis apostolis. 1. Cor. 13.

1. Corin. 2.

Ignorãtia Iudaica culpabilis valde.

Collisio apparens diluitur.

Hæc autem ab initio vobis non dixi? Vtique iam Dominus prædixerat apostolis q̃ erant persequendi, & odio habendi ab hominibus propter nomen eius. Non ergo quod ait modo, Hæc ab initio non dixi, ad sola proxima verba est referendum, sed ad omnia, quæ hactenus dixerat, ad consolandum discipulos, & animandum eos: scilicet, Ego sum vitis vera, & vos palmites, &c. Vel forte est intelligendus locus, Hæc ab initio non dixi, scilicet, quia non tam speciatim dixerat, apostolos esse interficiẽdos, & quod interfectores, eorum putabunt eximiũ se oblaturos ex morte eorum sacrificiũ ad placandum iram Dei: hæc enim Dominus tam particulari sermone non dixerat. Alij exponunt aliter, hæc ab initio non dixi consolatorio modo, vt nunc dico, sed solum prophetico modo. *Quia vobiscum eram.* Ideſt non descendi ad hęc particularia mala exponenda, quia vobiscum eram, & nondum erat tempus hęc prædicendi vobis, ne deterreremini, & abijceretis apostolicam disciplinã, nunc vero quia iã imminet hora mortis meæ, & tempus vestrum, in quo hæc, quę dico passuri estis, ideo vt tenacius vobis hęreant, & hæc, quę dixi firmius recolatis, ideo nunc dico vobis. *Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat quo vadis.* Obiectio prompta est, quia supra cap. 13. Petrus rogitat Dominum, Domine quo vadis, & cap. 14. Thomas ait, Nescimus quo vadis, cur ergo modo ait, & nemo vestrum interrogat, Quo vadis? Chrysostomus intellexit Domini verbum, *Nemo ex vobis, &c.* Ideſt tanta tristitia estis repleti, vt me dicente esse recessurum à vobis, nullus vestrũ mihi quicquam loquatur, sed omnes ex tristitia in genti siletis. Augustinus aliò retulit verba Domini. Etenim quia cap. 13. Petro dixerat, Quo ego vado, modo non poteris me sequi, modo exponit se iturum in cœlestem patriam, & tunc nullum ex apostolis interrogaturum Domine quo vadis? Quippe tam manifestus fuit ascensus Domini in cœlum, vt apostoli videntes Christum ascendentem in cœlũ non interrogarent, quo vadis, quia manifesta oculis, non exigunt interrogationem. Vel aliter dicito, sensum hunc esse, Et nunc ego vado ad patrem, quę res dignissima erat, vt sicut dudum interrogastis quo abibam, & modo interrogare tis, iterum. Nam amor erga me quẽ vos profitemini, hoc poscit semel atque iterum à me exquirere, quo vado, vt si forte esset vobis copia eò eundi. Verum hoc silentium vobis indulgetur, quia ex meo sermone prædicente vobis vestras futuras tribulationes, scilicet, & quod alieni futuri estis à synagogis, & quod vestri interfectores ex vestra interfectione sibi gratulabuntur, tanquam ij, qui Deo maximum exhibuerunt cultũ mœstitia repleuit corda vestra.

Collisio apparens soluitur.

¶ Obserua q̃ ex duplici nomine erant tristissimi apostoli, & quia mors illis prę nuntiabatur à Domino, quam credebant certissimè illis infligendam, quia Dominum esse veracissimum iudicabant. Et quia aduertebant iam fallacem de mundana sibi prouentura concepisse opinione. Quippe existimabant, se magnates in seculo esse futuros ex Christi sequela. Vnde illi duo fratres suborarunt matrem suam, vt peterent dextram & sinistram in regno Christi: quod credebant futurum esse temporale. Cum ergo prosperato ab eis regno, flagella, persecutionis, & mortem illis aduerterent prænũtiari à Domino, occasio erat superabundatioris tristitiæ. *Sed quia hæc locutus sum vobis tristitia impleuit cor vestrum.* Perspicua est litera ex præhabitis. *Sed veritatem ego dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eũ ad vos.* Priorem consolationem inculcat iterum, recessum suum esse maximi solatij, quia ex recessu hoc, spiritus consolator, erat venturus in discipulos, & eos consolaturus & edocturus.

¶ Obserua tamen, Dominum primo dixisse Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Dein dixit, Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, nunc vero si abiero mittam eum ad vos. Igitur Spiritus sanctus missus est à patre in nomine Christi, quia propter Christi merita donatus est apostolis paracletus. Et rursum missus est à Christo, non vt homo est, sed vt Deus. At verò misit filius Spiritum sanctũ ex patre, videlicet, propter diuinitatem, quam habet à patre misit Spiritum sanctum.

Trifariam loquitur Christus de Spiritu sancto mittendo.

ctum. Non propter humanitatem, quã habet ex matre. Quoniam etiam si qui misit Spiritum sanctum est homo Christus, non tamen quatenus est homo misit eum, sed quatenus est Deus. Quippe mittitur solum persona, quæ procedit, ab ea vnde procedit. At Spiritus sanctus non procedit à Christo, vt est homo, sed vt est Deus, vt in. 1. Sententiarum luculentius demonstrauimus. Memineris hanc missionem fuisse visibilem descensum Spiritus sancti in apostolos. Quippe apostoli ante hanc visibilem missionem, iam erant donati Spiritu sancto, quia iam erant mundi à peccato, Ioã. 13. Cæterum nondum potiti erant plenitudine Spiritus sancti, de qua modo est ratio. Sed dicet aliquis, Cur expediebat abesse Christũ vt Spiritus sanctus adesset, de hac re consulito calcem capitis. *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem quia non crediderunt in me, de iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me, de iudicio vero, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Locus hic est admodum difficilis expositu, quantum ad. 2. & 3. quæ Christus apertè vt. 1. non exposuit. Vnum in primis ceu confessum supponendum est, quod est Spiritum sanctum missum fuisse in apostolos, & per apostolos reprehendisse mundanos homines, tam Iudæos, quam Gentiles. Et nõ solum Spiritum sanctum, per apostolos hoc fecisse, sed & Christum. Paulo. 2. Cor. 13. testante, An experimentũ quæritis eius qui loquitur in me Christi? Et apostolorum prædicatio ad hoc spectabat, vt satis liquet ex epistolis apostolicis. De peccato igitur arguerunt apostoli mundum, idest, omnes mundanos homines. Et fere maxima pars orbis mũdani homines sunt, qui terrena sapiunt, & non cœlestia. Tales sunt omnes infideles, & fidelium bona pars it post concupiscentias suas, & nisi frænarẽtur Dei lege & spiritu, irent perditum, vt cæteri alij. Quia sensus & cogitatio hominis ab adolescentia sua prona sunt ad malum, Gen. 3. & hæc inclinatio est vehementissima. Per peccatum autem, vt supra dictum est, infidelitas est subaudienda priuatiua. Et hoc ipsum dignatus est Dominus clarè exponere. De peccato, inquit, qui non crediderunt in me, vel quia non credunt in me vt Græcanica habet lectio. Vnde Augusti. de verbis Domini, Hoc enim, ait, peccatum quasi solum præcæteris posuit, quia hoc manente cætera detinentur, & hoc discedente cætera dimittuntur. Neque tamen iam hinc colligat Lutheranus solam fidem ad iustificationem, quia Augustinus testatur, hoc discedente cætera dimittuntur. Non enim vel somniauit Augustinus docere, vnde subdit, sed multum interest vtrum quisquam credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum. Nam ipsum credere Christum, & dæmones credunt: ille vero credit in Christum, qui sperat in Christum, & diligit Christum. Quando ergo Augustinus ait, Hoc discedente cætera dimittũtur, non est sensus, quod adueniẽte fide, continuo homo fit iustus, sed quod id temporis iam sit in via ad iustificationẽ: quippe sine fide impossibile est placere Deo. ¶Reprehendet igitur, ait, Spiritus sanctus per vocem, & facta apostolica mundum de infidelitate, Hoc est, ostendet esse peccatores & impios eos qui nõ credunt in me. Quippe tot & tantis signis demõstrabunt apostoli me esse filium Dei, & doctrinam meam fuisse veracem, & necessariam ad salutem ęternã parandam, quod omnes non credentes relinquẽtur tanquam impij, & inexcusabiles. *Quia non credunt in me.* Non solum non credentes Iudæos & gentes ostẽdet Spiritus sanctus esse reprehensibiles ex infidelitate, quia verbo Dei, & signis nõ credebant: sed etiam Christus reprehendit admodum Iudæos, de infidelitate, vt 14. cap. ostendimus. Ait enim si non venissem, &c. & si opera non fecissem & reliqua. Et rursus, propterea in peccato vestro moriemini. Cæterum quia tunc forsan obtenderent Iudæi se non posse credere esse Deum, hominem mortalẽ, ideo Spiritus sanctus, postquam Dominus gloriosus triumphator ascendit in cœlum submota est excusatio omnis, nullusque relinquitur infidelibus ad suã infidelitatem colorandam prætextus: ideoque prorsus sunt inexcusabiles. Vnde Saraceni Iudæi, Indi, & aliæ nationes, quę hucusq; infidelitate cæcutiunt, ob hoc crimẽ graues dabunt pœnas. Diximus

Apostoli fuerunt ministri Spiritus sancti, & Christi prædicando euangelium.

Lutherani argumentũ solutur.

Sola fides nõ iustificat.

Infideles nõ possunt excusare suã infidelitatem.

Infidelitas ne gatiua & priuatiua.

ximus autem esse quandam infidelitatem negatiuam, scilicet, non credere, aliam priuatiuam videlicet, discredere, & de hac loquitur Dominus, vt iam dissertum est in enarrationibus ad capit. 14. Sequitur, *De iustitia verò*, quod exposuit Chrysostom. & suus rapsodus Theophilact. ideſt, ostendet Spiritus sanctus, me quem Iudæi condemnarunt, tanquam iniustum & peccatorem, fuisse innoxium & iustissimum, siquidem ad patrem vado, ideſt, ex morte ascensurus sum ad patrem: qui autem ascendit ad vitam beatam fruendam non est iniustus, neque mortuus est ob sua delicta. Pater enim non beatificat iniustos, sed iustos. Igitur ob hoc arguet Iudæos tanquam iniustos, quia non cognouerunt Christum esse iustum. *Et non videbitis me*. Ideſt, transibo ad vitam glorioſam in cœlum: ideo post pusillum non ero familiaris vobis vt eram, quia ero inuisibilis. Augustin. vero exposuit aliter lib. de verbis dom. *Arguet de iustitia*. Arguetur inquit de peccato, in eis, qui non credunt in Christum, & de iustitia in eis, qui resurgunt in membris Christi. Hoc intelliges, quia comparatione iustorum fidelium infideles videntur iniusti, & valde reprehensibiles. Nam fidelium comparatio, est infidelium vituperatio. De iudicio autem, qui princeps huius mundi iam iudicatus est, ideſt, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in hoc mundo, quem diligunt. Hoc autem ipso, quod foris missus est, iam iudicatus est. Et de hoc iudicio mundus arguitur: quia frustra de mundo queritur, qui non vult credere in Christum. Quem iudicatum & foras missum, & propter exercitationem extrinsecus expugnare permissum, non solum viri, sed etiam mulieres & pueri, & puellæ martyres vicerunt. Et ad istam rationem exposuit etiam Cyrillus. At aliter declarat diabolum esse iudicatum, in homi. ad Ioan. ideſt, iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus est. Et de hoc iudicio mundus arguitur, quia cum suo principe iudicatur: quem superbum, atque impium imitatur. Et subdit, Credant itaque homines in Christum ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur. Transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitia eorum, quod iustificatos non imitantur. Caueant futurum iudicium ne cum mundi principe iudicentur, quem iudicandum imitantur.

Diabolus ob duas causas iudicatus à Domino dicitur.

¶Aut forte aliunde capiemus huius loci expositionem, videlicet, ex apostolo docente Christum mortuum esse propter delicta nostra, & surrexisse propter nostram iustificationem. Mors igitur & resurrectio Domini & ascensio parauerunt nobis sufficientem â peccatis nostris iustificationem. Arguet igitur Spiritus sanctus mundum, & merito, quia cum paratam habuisset iustificationem à suis delictis, illam spreuerunt. *Quia ad patrem*. Hoc est hæc iustificatio hominum est, quod morior, & per mortem transeo ad patris gloriam, vnde hominibus proueniet & iustificatio per mortem meam, & glorificatio per glorificationem meam. *De iudicio autem*. Hoc fuit Dei iudicium, vt secerneret principem lucis à principe tenebrarum. Vt enim in principio diuisit Deus lucem à tenebris, sic in nouissimis temporibus diuisit lucem quæ illuminat inuisibiliter omnes mentes hominum, à tenebris offuscantibus omnes humanas mentes. Fuit autem hæc diuisio, hæcque fuit separatio, quod Christum, principis lucis, & lucem ipsam exaltauit Deus pater ex mortis humilitate, diabolum verò principem tenebrarum deiecit ex superbia sua, & fastu quo tumebat, quia coli & adorari se cernebat, ab hominibus. Deus autem demonstrauit hunc diabolum, quem decepti mortales adorabant, non esse verum principem, sed esse tyrannum, & adorari ab hominibus non ex dignitate sua quippequi Deus non est, sed ex deceptione humana. Christum vero despectum ab hominibus, & non adoratum, esse non adoratum, non ex Christi indignitate, quippe Deus est dignissimus alioqui, qui adoretur, sed ex deceptione

Ad Rom. 4.

diabolica. Ideo diluit Spiritus sanctus hanc humanam fraudem ex multis demonstrans Christum esse verum Deum & dominum, & diabolum esse tyrannum & impostorem.

¶Arguitur igitur mundus de hoc iudicio, ideſt, reprehenditur, quia non se subiecerunt mundani & impij huic diuino iudicio. Quippe post verisimam ostensionem, ex qua ostenditur quod diabolus erat impostor, & non princeps verus, Quoniam demolita sunt omnia idola à fidelibus, & veteres versutiæ diabolicæ sunt retectæ, nihilominus tamen adhuc mundani perseuerant in sua perfidia, vt malint hęrere diabolo tyranno, & impostori quam Christo vero principi, & veracissimo magistro. *Quia princeps.* Tenebrarum princeps iam iudicatus est, iam diaboli nequitia, & astutia diaboli patefacta est, postquam per euangelicam prædicationem diuisa est lux à tenebris & veritas Dei à mendacio diaboli separata. Aut tandem dixerim, mundus de peccato arguitur infidelitatis quod habet, & arguitur de iustitia Dei, quæ est Christus, quam non habet, & de iudicio finali, quod subibit: quia peccato succumbens, iustitiam & sanctificationem non admisit. *Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non poteſtis portare modò.* Dixerat superius, Iam non multa loquar vobiscum, cur igitur ait modo, Adhuc habeo multa vobis dicere? Verum nihil controuersiæ est, vt superius ostendamus nunc enim solum ait, debuissem vobis dicere multa præter ea quę hactenus sum prosecutus, verum non estis capaces. Etenim tristitia, quæ vos afficit, vos reddit minus capaces audiendi mei sermonis, ideo que Spiritus sanctus vos docebit. *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semet ipso, sed quæcunque audiet loquetur: & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Non poterant portare, quæ Christus agens cum discipulis erat dicturus. Ideo Spiritum sanctum docet venturum in apostolos, & redditurum eos capaces diuinorum mysteriorum.

¶Supra autem dixerat, Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis, nunc autem solum ait, Docebit vos omnem veritatem, subaudi, & declarabit, quæ vos docui, & docebit omnia alia, quæ vobis ad pascendam, & dirigendam ecclesiam meam erunt necessaria. Non enim Spiritus sanctus simpliciter omnia apostolos docuit, siquidem neque docuit mathematicas, vel physicas disciplinas, sed solum ea, quæ spectabant ad regimen & moderationem ecclesiæ, cui moderandæ præerant apostoli ex Christi authoritate. Etenim post aduentum Spiritus sancti apostoli didicerunt legem veterem non esse obligatoriam, sed cassatam esse per mortem & sanguinem Christi, quæ tamen prius non cognoscebant. Et quod gratia Dei esset effundenda in gentes, quod prius apostolos latebat, & quod Iudæi essent explodendi â regno Dei, & gentes suffecturas esse eorum locum, & reliqua hoc genus. Quæ quanuis Dominus non siluerat, siquidem cum dixerat, Ioannis. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, gentium vocationem facile præsignabat. Et cum dicebat, Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs, Matth. 21. Iudæos esse abigendos à regno Dei, & gentes asciscendas insinuabat, & ita de alijs mysterijs censeto. Cæterum, quia Dominus ænigmaticè sæpe loquebatur apostoli non apertam referebant diuinorum mysteriorum intelligentiam, & Dominus non referabat quia nondum erat tempus illa referandi, ne maiorem conciperent aduersarij inuidiã, & ne apostoli scandalizarentur ex imperitia. Huiusmodi igitur, & alia hoc genus ab Spiritu sancto docet propalanda. Neque solum hæc, imo & quæ ventura fuissent esse docturum Spiritum sanctum. Vnde. 1. Timot. 3. Paulus inquit spiritus manifestè, ideſt, non per ænigmata sed clare prænuntiat, quod in nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, &c. Itaque donati sunt apostoli spiritu prophetico, vt discerent, quę ventura erant fidelibus mala, vt illa præniden tes fugam illorũ admonerent. Verũ Dominus

Spiritus sanctus docuit particularia apostolos, quæ erant necessaria administrandę vniuersali ecclesiæ.

Spiritus sanctus fecit apostolos esse prophetas.

minus aiebat omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Si ergo omnia fecit nota, quæ à patre audierat, apostolis, quid est quod est necesse Spiritum sanctum docere apostolos omnem veritatem? Respondetur, Christum notam fecisse omnem veritatem apostolis, & Spiritum sanctum itidem, siquidem Christus fecit notam omnem veritatem fidei, quam necesse erat scire apostolos. Docuit nanque plenè fidei omnia sacramenta Christus apostolos suos. Itidem ventura illis prædixit, vt patet Matthæi. 10. & Lucæ. 13. & Marci. 6. & alias, modoque apud Ioannem. Cæterum Spiritus sanctus superueniens apostolis, quæ Dominus docuerat ipse confirmauit, eadem docens fidei sacramenta, sed aliaetiam multa, quæ erant gubernationi ecclesiasticæ necessaria reseruit. Vnde Acto. 15. traditur, Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, &c. Itaque quia multa erant accessura in ecclesia Dei dubia, & negotia post quam Dominus se supra sidera collocarat fuit necessarium Spiritus sancti nouum magisterium. Vnde discerent apostoli, illa resoluere dubia, & negotia decidere. Et quia defunctis apostolis, & discipulis Domini multa quoque resultarunt dubia & negotia in vniuersali ecclesia ex importunitate hæreticorum, ecclesiæ catholicæ insultantium, ideo hoc magisterium Spiritus sancti nunquam deserit catholicam ecclesiam, sed semper illi adest: quando opportunitas se dederit. Etenim si Spiritus sanctus apostolis fuit donatus non solum gratia ipsorum, sed in gratiam vniuersalis ecclesiæ fuit donatus tantus illis doctor. Si ergo semper extat Christi ecclesia, vtique dum ipsa extiterit, quando eguerit hoc magisterio nunquam illo orbabitur. *Quia de meo accipiet*. Ne opinarentur apostoli ex verbis ante dictis Domini Spiritum sanctum esse Christo doctiorem, ideo subiecit omnem doctrinam Spiritus sancti esse acceptam à se ipso. Ideo ait, *De meo accipiet*. Sunt autem in Christo duo, & diuinitas, & humanitas. Spiritus autem cum sit Deus, non accepit ab humanitate Christi, quæ est creatura, imo humanitas Christi, ab Spiritu sancto accepit. Macedonius autem, & Eunomius, qui blasphemant dicentes Spiritum sanctum esse Christi ministrum, interpretabuntur, Spiritum sanctum accepisse doctrinam à Christi humanitate. Verum quomodo accipiet Spiritus sanctus ab humanitate Christi doctrinam, cum humanitas Christi fuerit concepta ab Spiritu sancto, & ab eo erudita, Esai. testante. 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, &c? Ergo Spiritus sanctus accepit à Christo quatenus est Deus. At hæc acceptio non fuit sicut per instructionem, vt prophetæ instruuntur ab Spiritu sancto, sed per processionem à filio. Vt ergo Christus demonstraret apostolis suam, & Spiritus sancti diuinitatem ait, de meo accipiet, idest ex processione, qua procedit à me habet quod sit Deus, vnde & doctor vester erit. Procedit enim à me Deo ipse Deus. Iam autem supradixerat Spiritum sanctum procedere à patre, nunc ostendit à se quoque procedere. Vt ergo Christus ex processione æterna habet quod sit Deus de Deo, ita Spiritus sanctus idem habet ex patre & filio. Nunc vero non meminit processionis à patre, cuius iam supra fecerat mentionem: sed solum processionis à se ipso filio. Et vt dixerat de se ipso, Quæ audiui à patre loquor, ita modo inquit, quod Spiritus sanctus docturus sit apostolos ab ipso habet: siquidem Spiritus sanctus habet suum esse diuinum & suum sapere diuinum à patre & filio. Quocirca, quæ docet à patre & filio habet. Cur vero dixerit, De meo accipiet, & non accepit, siquidem ab æterno habet Spiritus sanctus & esse, & sapere à patre & filio? Verumtamen sicut filius & est genitus, & generatur, & generabitur, quia æterna generatio omnes temporis differentias præcedit, & continet. Et quanuis semper sit præsens, quia nunquam labitur: cæterum, quia temporum differentias omnes simul continet, etenim verum est, quod fuit generatio æterna, & quæ fuit eadem

Spiritus sanctus non accipit doctrinam à Christo vt prophetæ ab Spiritu sancto.

Spiritus sanctus fidē Christi in apostolis confirmauit & alia docuit particularia.

Ecclesia catholica nunquam orbabitur magisterio Spiritus sancti, quando illo eguerit.

dem est nunc, & erit sempiterno. Ita etiam emanatio seu processio spiritus sancti, æterna cum sit, est sanè verum, de meo accepit, & accipit, & accipiet. Quanuis Dominus nunc volens significare doctrinę effectum, quem pol licetur apostolis ab Spiritu sancto, illis euenturum, dixit, de meo accipiet, ideſt, de meo vos docebit. Hic locus satis vrget contra Græcanicum placitum. Probat enim processionem à filio. Quamquam Græci conantur eludere locum interpretantes, de meo accipiet, quia diuinitas filij est patris vt de accipiendo, vel procedendo ex patris substantia, accipit ex substantia filij. In quem sanè modum, & alium deludunt, Insufflauit, & dixit, accipite Spiritum sanctum. Ait nanque Theophila. Christum sic insufflantem non insinuasse Spiritum Sanctum procedere ab ipso, quia donum erat, quod dabatur, non Spiritus sancti persona. Donum, scilicet, ad donanda peccata. Dona autem cum sint creaturæ à filio etiam procedunt. Verum hæc delusio deluditur: etenim Latini non ignorant tunc dedisse donum Spiritus sancti Christum: verum cur dedit insufflando Spiritum vel flatum, cum potuisset sine flatu simplici verbo dicere, accipite Spiritum sanctum, cum autem non solum fuit contentus rem explicare verbo, sed insufflationem adiecit, videtur omnino, eò adiecisse, quo ex facto insufflandi demonstraret cum verbo Spiritum sanctum à se procedere. Sed vera est declaratio prioris loci ideoque est probanda. Verum Dominus non hoc volebat solum quod Theophilactus, & alij Græci existimant. *De meo accipiet*, Ideſt de substantia patris mei quæ mea est, quia ait. Omnia quæcunque habet pater mea sunt. Non tamen solum volebat insinuare Dominus, hæc dicens Spiritum sanctum à patre procedere, cum hoc iam expressè dixerat dicens, Spiritus, qui â patre procedit, quem mittet pater in nomine meo, ideo non erat necesse tantum nunc hanc Spiritus sancti à patre processionem insinuare, quam verbo capit. 15. clarè expressserat. Quocirca videtur verba hæc Domini, *De meo accipiet*, etiam processionem Spiritus sancti à se ipso filio significare vt supra diximus, vt sit sensus, *Omnia quæ habet pater mea sunt*. Cum ergo pater sit principium, vnde procedit Spiritus sanctus, & ego sum principium eiusdem processionis.

¶ Itaque per hæc verba non solum significatur vnitas substantiæ diuinæ patris & filij, sed etiam vnitas in ratione principij productionis Spiritus sancti. Quia sub vtraque ratione sunt vnum omnia. Igitur quæ habet pater sunt filij, nisi vbi obuiat relationis oppositio. Paternitas enim patris est & non est formaliter filij. Neque sis adeò rudis, vt putes, Spiritum sanctum accipere partē ex substantia filij, quia ait, De meo accipiet. Etenim diuina substantia indiuisibilis est, & indiuiduè communicatur à patre filio, & à patre & filio Spiritui sancto. *Et annunciabit vobis.* Hæc annuntiatio non fuit vocalis, sed fuit intelligibilis annuntiatio. Siquidem afflatu interno inspirauit apostolis quæ erant necessaria scitu ad fidem Christi, & ad moderandam vniuersalem ecclesiam, fuit sanè visibilis missio paracleti in apostolos, in linguis igneis, & in spiritu vehementi. Cæterum annuntiatio, & doctrina ex qua docuit apostolos fuit intra penetralia apostolici pectoris: quam tamen ipsi vulgarunt prædicatione sua orbi. *Omnia quæ habet pater mea sunt.* Propterea dixi, quia de meo accipiet, *& annuntiabit vobis. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem.* Hoc est post pusillum temporis non videbitis me, quia mox sum capiendus à Iudæis, & morti tradendus, & vos fugietis, & ideo non videbitis me. At vero post triduum statim resurgam â mortuis, & tunc ego me monstrabo vobis: & videbitis me: quadraginta enim diebus apparebo vobis, solidans vos in resurrectionis meæ fide: quia expletis illis diebus coram vobis ascendam ad patrem, vnde exiui. *Vado.* Ideſt, in proximo est vt vadam. *Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem?*

trem? Dicebat ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit igitur, quia volebant eum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter vos quia dixi, modicum, & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Discipulorum aperit Ioannes ruditatem ad intelligendum ænigmatica hæc verba Domini, quam & aliàs passi sunt, quia nondum referata erant illis secreta omnia cœlestia, quæ Christus per Spiritum sanctum suo tempore erat docturus. Neque enim voluit de repente Christus discipulos ad culmen scientiæ diuinarum promouere rerum, sed sensim illos promouit: ideoque modo tenentur ex ignorantia verborum Christi, quæ tamen non erant admodum difficilia intellectu ex verbis prioribus, ex quibus docuerat eos, proximum se esse morti, quam subiturus erat ipsa eadem nocte, qua hæc proferebat: itemque meminerat suæ resurrectionis. Porro quia apostoli tristitia erant affecti, ipsa tristitia distrahebat apostolicas mentes, ne plurimum obseruarent, & conferrent verba quæ audierant Domini: ideo Dominus vt callens eorum mentes dubium apostolicum soluit subdens, *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Non aperit manifesto sermone quid voluerint verba præfata, Modicum, &c. Sed quadam periphrasi vtens sermonis, rem insinuat. Non enim ait, Dixi modico tempore me videbitis, &c. quia mox sum moriturus, & sepeliendus, & triduo non me videbitis, at vero continuo resurgam, & vobis rediuiuus apparebo. Non inquam patenter soluit, sed potius latenter, dicens, Amen, &c. Ex quibus verbis significat, quod sub Domini morte, apostoli erant lamentaturi Domini mortem, & quod non solum lamentis exterioribus erant Domini mortem prosecuturi, sed etiam & tristitia erant afficiendi. At verò mundus, idest, mundani homines Iudæi, & gentes, erant gauisuri ex morte Domini, putantes se iam concupitam absoluisse, & quod obsequium exhibuerint Deo occidendo Dominũ, vt ex verbis eorum satis colligitur, Vah qui destruis templum Dei & in triduo reædificas, Alios saluos fecit, & cætera hoc genus, Matth. 26. mundus contra Christum protulit verba cum in cruce penderet. Cæterum consolatur statim Dominus apostolicas lamentationes subdens, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium, id quod accidit in die triumphalis resurrectionis. Noluit patenter dicere interficient me Iudæi hinc ad pusillum temporis, ne vehementius consternaret discipulorum animos, alioqui iam ex tristitia consternatos: ideoque ænigmaticis verbis suam significat mortem, dicens, Modicum & non videbitis me. Et rursus nõ apertis omnino ænigmatica edisserit verba, verum proponit similitudinem, vt apostolorum temperet mœrorem, dicens, *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Et vos quidem nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Mulier paritura, quando instat partus hora, acerbis agitur cruciatibus, & doloribus torquetur vehementibus. Cæterum postquam ex partu prolem reportat, ex prole ceu ex laboris mercede gaudet. Ita vos existimate horam mortis acerbissimæ meæ esse veluti partus horam. At verò postquam veluti renascens ad vitam immortalem resurgam priores non erunt in memoria lachrymæ, in nouum gaudium, at in solitam exultationem commutatę. Obserua Dominum ex hac similitudine insinuare mortem suam esse instar partus, & resurrectionem esse instar regenerationis. Quo nomine ipse eam appellauit, Matth. 2. dicens, In regeneratione cum sederit filius hominis: Regenerationem vocans, ipsam finalem resurrectionem, vt alibi à me fusius est disertum. *Iterum videbo vos.* Significat statum nouum resurrectionis suæ cum ait, *iterum videbo vos.* Quasi dixisset, iterum videbo vos, non ex corpore, vt modo mortali, sed ex corpore vt tunc glorioso videbo vos. *Et gaudebit cor vestrum*, idest, erit gaudium vestrum intimum, & nõ superficiale gau-

dium. *Nemo tollet.* Græcè, tollit, vsurpatur, vt sæpe aliàs tempus pro tempore. Gaudium dixit futurum esse intimum, & cordiale gaudium, nunc ait esse perpetuum. Etenim Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, neque mors illi vltra dominabitur. Quocirca gaudium ex resurrectione Christi, à nemine poterat perturbari: neque auferri: quia resurrectio Christi, non erat, vt resurrectio Lazari ad nouam spectans mortem sed vitam æternam habens. Ideoque cum nullus sit timor subeundæ mortis, gaudium quod concipietis cum me rediuiuum aspexeritis, nemo poterit tollere à vobis. Modica igitur est tristitia, quæ vos modo ex morte mea perturbabit, at maxima erit lætitia, quæ vos perfundet ex resurrectione mea: sicut mulieri parturienti transitorius est & velociter transiens dolor, quem enixa puerum sustinet, at magnum reportat, ex nato gaudium. Vnde gaudij venturi magnitudo recompensat præsentis anxietatis tormentum.

¶ In quem propemodum vos mœrorem præsentem magnitudine sperati gaudij temperate. Dicet aliquis, Hæc Domini similitudo, quid insinuat audiendum per mulierem. Vtique similitudines non ex omni latere conuenire debent: satis est, si conueniant secundum institutum, ad quod declarandum proponuntur. Ideoque nihil est opus facto laborare quid velit Dominus per mulierem parturientem, quia hoc non seruit instituto, sed solum, tristitia ex partu, & lætitia ex homine nato. *In illo die non interrogabitis quicquam.* Supra interrogauit Petrus, Domine quo vadis? Et Thomas, Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Et paulo ante volebant interrogare, Quid esset quod aiebat, Modicum & iam non videbitis me, &c. Quod ergo ait modo tale est, In illo die quando post resurrectionem meam ego vobis per Spiritum sanctum referauero arcana cœlestia, non me interrogabitis, quicquam, quia aperiam vobis omnem veritatem, & ideo nihil dubitabitis interrogandum. Quod si quid acciderit dubij, non me interrogabitis, quia absens ero à vobis sublatus in cœlum. At vero Spiritus sanctus docebit vos, dubiorum veritatem. Sed dicet aliquis, Petrus Dominum interrogat post resurrectionẽ, Domine hic autem quid? Infra penultimo cap. & cap. 1. Acto. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Sunt qui exponant has interrogationes esse à Domino repulsas: verum si repulsę sunt, sunt nihilominus interrogationes. Alij dicunt, verbum Domini esse exponendum de interrogationibus irrationabilibus & indiscretis, quales fuerunt multæ, quas proponebant apostoli Domino ante resurrectionem, vt fuit illa Philippi, Domine ostende nobis patrem, &c. Augustinus verò, quem sequitur glossa interline. ad vitam beatam retulit, siquidem in cœlesti regno non erit locus interrogandi quicquam, quando clarè beati omnia intuebuntur, quæ sibi sunt necessaria. Verum si intelligamus, vt prius intelligebam nihil dubij restat, videlicet, In illa die postquam subtractus fuero à conspectu vestro, iam nihil me interrogabitis. Erit tamen vobis doctor Spiritus sanctus, vt neminem sit necesse interrogare. Theophilactus post Chrysosto. duplicem lectionem ostendit huius textus, alia est aut sicut legit vulgata aut, Nihil me rogabitis, ideſt, non orabitis me, vel obsecrabitis. Et exponit, nihil me obsecrabitis, ideſt, non rogabitis me esse mediatorem vestrum, quia vobis satis erit obsecrare in nomine meo. Cæterum hæc videtur violenta expositio. Quare probanda lectio vulgata. Me non interrogabitis. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Hæc supra iam exposuimus, Dominus autem eadem repetit quæ iam dixerat capitul. 14. & 15. addens modo, vt gaudium vestrum plenum sit, plenitudo autem gaudij, solum speranda est obtineri, in cœlestibus regnis. Nanque dum vita hæc delabitur mortalis nullum plenum est gaudium. Cæterum est plenum nunc gaudiũ sanctis Dei quadãtenus ratione si fructum spiritualẽ viderint ex sua ope

Collisio apparens scripturæ soluitur.

ra

ra prouenire circa homines. Apostolis ergo hac sola ratione gaudium erat plenum, tantisperdum hic agebant, dum videbant verbum Dei crescere, & multiplicari circa gentes. Ideoq; apostolus Paulus, gentes, quas ipse suo labore conuertebat ad Christi fidem, vocat gaudium & coronam suam, Phil. 4. Iubet ergo Dominus apostolis, vt petant patrē in nomine suo: id quod olim erat inconsueta petitio. Et certos eos facit se assecuturos petita, quando in nomine suo petierint. Insinuat autem petēdum, vt fructificent in mundo prædicando Christi fidem, vt supra. 15. insinuarat. *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis, venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de patre, & annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrē de vobis, ipse enim pater amat vos quia vos me amastis: & quia credidistis quia à Deo exiui. Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem.* Multa Dominus in parabolis obscure fuerat locutus, & nunc proposuerat itē parabolam de muliere parturiente. Et quanuis quasdam parabolas disseruerit, vt parabolam de semine, cæterum alias non disserebat. Ideo ait modo, Hæc in prouerbijs seu parœmijs, siue prouerbijs locutus sum vobis: idest, obscurè, & non apertè. Quippe supra dixerat, multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Ideo Dominus non clarè omnia disserit. Quod modo ait, se non rogaturum patrem pro apostolis, intelligendum est, vt illis infundat fidem & charitatem, quia istis donis iam potiti fuerant apostoli. Verū quantum ad perseuerantiam donorum infusorum, & Dominus postquam ascendit in cœlum etiam rogauit pro apostolis, & quantum ad alia quæ spectabant fructum apostolicæ prædicationis. At verò etiam si non dicat se rogaturum, cæterum iam rogauerat patrem pro infusione horum donorum; vnde ait, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et supradixerat, Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit nobis. Verū aliter rogat modo postquam in cœlis residet, & aliter, cum in terris agebat. Siquidem agens apud mortales rogabat patrem prostratus, & fundens vocales & mentales preces, ad Hebræos. 5. Nunc vero rogat, ex opere, siquidem ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & sua sola residentia in cœlo oratio est pro nobis. Vel si hæc expositio non absoluit adhuc locum hunc, dicito aliter. Non dico modo quod ego rogabo patrem pro vobis, vt ante hac dicebam me rogaturum, quasi vero mea intercessio sit necessaria, vt pater vos amet: imò ad hoc quod vos pater amet, satis est si vos me amatis. Rogabo igitur pro alijs vobis donandis muneribus: at vero non est opus vt rogem patrem vt vos amet, quia iam amat, quia vos me amatis. Et si iam amat, non est opus precibus, vt vos amet.

¶ Et quidem hoc erat maximè consolationis apostolicæ, scire ex Christi ore patrem propensum esse ad amorem apostolorum, ob hoc solum quia amabant Christum. Et hoc animabat plurimum in modum apostolos, vt patrem pro vniuersis sibi necessarijs precarentur, quem sciebant sibi ipsis valde propitium: hoc solo nomine quia Christum amabant: & stabiles item reddebat eos in amore Christi, ex quo aduertebant esse conciliatos patri. *Pater amat vos, quia vos me amatis.* Hæsitat Augustinus, cum prius nos amet Deus, quam Deum amemus quia ipse prior dilexit nos testante Ioanne, cur ait, patrem amare apostolos, quia apostoli amabant patrem. Et rursus augebis dubium, amor Dei ex quo diligit creaturas est æternus amor, qui igitur fieri potest, vt amoris diuini sit causa amor creaturæ temporalis? Respondebis amorem Dei qui Deus est non pendere ex amore nostro, vt neque ipse pendet Deus, neque pendere potest. At vero amoris officia diuini, hæc possunt habere causam. Quod enim Deus auxilijs suis nos foueat, & consolationibus animet ad ferendas æquo animo seculi calamitates, officia sunt diuini amoris: & hæc ex nobis sæpe habent causam, vt vitæ æternæ collatio merita nostra habet causam. Et de huiusmodi officijs amoris intelligenda veniunt Domini verba. Nanque ex familiari locutione officia amoris dicuntur amor, vt officia

Collisio scripturæ apparēs diluitur.

misericordię, dicuntur misericordia siue charitas. *Et credidistis.* Apostoli igitur crediderunt Dominum â Deo exisse etiam ante quam Dominus resurgeret à mortuis. Est autem exitus vel processio ęterna à patre, vel processio temporalis ex matre. Nam hęc etiam fuit processio à patre. Vnde canit ecclesia, cum exortus fuerit Sol de cœlo, videbitis Regem regum procedentem à patre tanquam sponsum procedentem de thalamo suo. Nanque procedendo à matre non destitit procedere à patre. Credebant igitur apostoli Christum non ex humana, sed potius ex diuina authoritate prædicasse euangelium, & fecisse miracula, & denique à Deo venisse in orbem magistrum, vt etiam Nicodemus credebat Ioan. 4. Scimus quia à Deo venisti magister. Venit igitur in mundum quando verbum caro factum est, & habitauit apud homines. Et tunc quando sermonem hunc habebat cum apostolis in nocte passionis suæ relinquebat mundum, quia iam iam moriturus erat die sequenti. *Dicunt ei discipuli. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo existi.* Augustinus credit quod apostoli fallebantur hæc dicentes. Etenim Dominus pollicetur se palam, & sine prouerbijs esse locuturum post resurrectionē suā, & non modo proximè ante passionem suam: ideo ait, apostolos non intellexisse Domini sermonem dicentem hæc, In prouerbijs locutus sum. Cui astipulatur glossa interlinealis in hæc verba, Palam loqui ęstimant, cum dictorum eius nequeant, comprehendere mysteria. Cyrillo vero, & alijs aliud placuit, q̄ apostoli rectè dixerunt, Ecce nunc palam loqueris, & prouerbiū nullum dicis. Quippe clarius agebat modo Christus, de processione sua à patre secundum ęternam vel temporalem processionem, & de aduentu eius in mundum, quam prius locutus fuerat. Duo enim distinxit Dominus & exitum à patre, quando verbum caro factum est, & aduentum in mundum quando natus est ex Maria virgine vt doceat exitum à patre esse processionem ęternam, vel incarnationem eius, & aduentum in mundum esse tempora lem ex Maria natiuitatem. Et quia hęc duo distinguebat modo Dominus, ideo apostoli dicebant, Ecce palam loqueris, vel quia nō loquebatur obscurè, vt prius dicens, Modicum & iam non videbitis me, &c. Et, mulier dum parit tristitiam habet. Etenim clarius nunc agit dicens, Exiui à patre, & veni in mundum, iterū relinquo mundum & vado ad patrem. Quibus verbis veluti quēdam diuinum circulum descripsisse ostendit, Siquidē, principium sui exitus fuit à patre, & medium fuit mundus, & finis exitus fuit ipse pater. Nanque ex patre venit in mūdum, ex mundo rursus regressus est in patrem. Est autem duplex prouerbij seu paroemiæ genus: aliud simplex, & hoc est sententia, quæ in ore omniū versatur clare, docens de agendis, vel de fugiendis. Quale est illud, obsequium amicos, veritas odium parit. Aliud vero est, quod aliud significat, quam verba præferunt: qualia sunt multa Latinis. Et de huiusmodi prouerbijs subobscuris intelige verbum Christi, Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Nisi quod Christi prouerbia, sunt certissimę veritatis, at vero nostra aliquando fallunt. *Venit hora.* Græcè veniet tempus. Interpreti autem consuetudo est, vsurpare tempus pro tēpore, & horam pro tempore. Etiam si Theophilactus facilè iudicat, se legisse hora, tametsi interpres Theo. transtulerit tempus, & non hora. Verum is ipse interpres mox Theophilactum transtulit. *Sed venit hora.* Hæc autem hora siue tempus fuit post resurrectionem Domini, quando apostolis aperuit sensum, vt intelligerent scripturas. Et tunc citra ęnigmata, & prouerbia manifestè per 40. dies annunciauit, de patre & regno eius. Theophilactus censet ante hoc tempus apostolos non intellexisse Christū esse filium Dei consubstantialem, sed solum Deum esse patrem Christi, vt angelorum, & hominum, sed post resurrectionem apertum ēst illis hoc arcanum Christum, scilicet, esse filium Dei consubstantialem. Quippe modo palam annunciauit de patre.

¶ Porrò Theophilacto obstat Matth. 16. Vbi Petrus profitetur Christum esse filium Dei viui: & Dominus non commendasset adeò Petri confessionē, vt commen-

Officiū amoris amor vocatur.

Dupler prouerbij genus

commendauit nisi Petrus intellexisset esse Christum filium Dei viui consubstantialem. Dicito tamen, quod quanuis Petrus credidisset Christum esse consubstantialem patri, at vero & ipse, & cæteri apostoli multo apertius cognouerũt Beatæ Triadis mysterium, quam prius cognouerant, ante Domini resurrectionem, propter causam commemoratã, videlicet, quia plenius eos iam instruxerat Christus, quia capaciores id temporis fuerant, quam prius. *Nam rogabo patrẽ de vobis*, hoc est pro vobis. Beneuolentiã patris erga apostolos Christus aperit modo, dicens patrem esse iam adeò beneuolum, atque propitium apostolis, vt etiam si Christus non interueniret pro ipsis apud patrem, nihilominus apostoli impetrarent, quę à patre peterent. At dicet aliquis, Quî hæc duo conueniunt, & quod iubentur petere apostoli in nomine Christi, quidquid petierint, & quod non rogante Christo impetrabunt? Verum aliud est quod oporteat petere in nomine Christi, aliud est quod oporteat Christum exprimere orationẽ ad interueniendum pro apostolis. Quod igitur modo ait est, etiam si ego non formem expressam orationem, ad patrem pro vobis poteritis impetrare, quæ est beneuolentia patris ad vos. Cæterum non negat, quin sit semper orãdum sub nomine suo. Sensus igitur est, tanti facit pater, quod me ametis, quod hic solus vester amor, sit oratio coram patre, etiã me nihil petẽte expresse pro vobis, qua si dixerit in virtute hocidem patrem peto, quod amor vester quem erga me, habetis petit. Vnde Hilarius. 6. de Trinitate, Caret etiam apud patrem intercessionis necessitas perfecta de filio fides: quæ quod à Deo exierit credit, atque amat. Et per se ipsam iam, & audiri meretur, & amari, natum ex Deo filiũ missumque confessa.

Apostoli post resurrectionem Domini capaciores fuerũt ad percipiendũ mysteria fidei.

1. Ioan. 2.

¶ At verò quî intelligemus locum Ioãnis in catholica epistola docentis, Aduocatum habemus apud Deum patrem Iesum Christum: ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, &c? Et Paulus itidem docet Christum apparere vultui Dei, vt pro nobis intercedat: igitur si in cœlo existẽs Christus pro apostolis orabat tunc, & pro omnibus fidelibus nunc orat, ergo Christi oratio est necessaria. Quod si oratio Christi non est necessaria, sed sat est fides in Christum & amor, vt dudum Hilarius dixit obstrepent hæretici, se rectè dogmatizare contendentes non esse precandos sanctos. At verò Christus non hoc voluit intercessionem suam non esse necessariam. Quippe ipse manifestè docet oportere nos orare in nomine suo, at vero quando oramus sub nomine suo, tunc vtique ipse orat pro nobis. Nam quod per nomen interpositum Christi obtinemus per ipsum obtinemus. Accedit eodem quod ipse Dominus in carne degens mortali pro omnibus orauit perstabat enim orando, quin etiam orauit pro crucifixoribus in cruce pendens. Cæterum hoc est quod modo apostolis inquit, quia vos me amatis, ideo pater adeò vos amat, vt etiam si interim non orem pro vobis, expressam Deo fundens orationem, vt eripiat vos ab omni malo, ipse amor quo vigetis meus sufficiat vobis pro oratione. Forsitam enim apostoli quia videbant Christum vniuersa in patrem referre, desiderabant post Domini ab eis discessum vt sponderet orare pro illis patrem. Et quia forsan erant anxij super hoc, Christus liberat eos ab anxietate hac, dicens, amorem, quem habẽt in ipsum, esse valde obseruandum, quia hic amor conciliabit patris amorem, adeo vt hic teneat locum orationis. At vero obijciet quispiam, Quomodo ait, Et ego non dico vobis, quia rogabo patrem, &c. siquidem mox capite sequenti orat pro apostolis? Aduertendũ est igitur Christi orationẽ pro apostolis vel pro quibusuis alijs, aut est vt Deus infundat fidem, & amorem suum, in corda humana, donando eis pœnitentiam. Aut est, vt semel infusa charismata Deus conseruet, & augeat donãdo perseuerantiam. Et quidem fides & amor Dei, si se possent seruare semper in homine, citra donum perseuerantiæ, postquam infusa sunt, non egerent nouis precibus: quia ipsa sine intercessore digna sunt vita æterna, vt dudum docebat Hilarius: & si semper precibus, egẽt Christi, & meritis, vt nobis concilientur, si non sunt conciliata. At vero quia postquam donata sunt nobis, egent conseruatione, quam non possunt obtinere

Ad Heb. 9.

Lucæ. 6.

Christus est mediator vt Dei dona nobis infundantur & postquam infusa sunt perseuerent.

nisi mediante Christo qui est mediator, vt infundantur, & vt infusa perseuerẽt. *Nunc scimus.* Verba hæc videntur hominum, iam amplius respirantium ex tristitia, qua tenebantur hactenus. Etenim Dominus oppido consolatus fuerat eos, dicens, Pater amat vos, quia vos me amatis. Etenim nihil est quod soletur humanam mentem vehementius, quam certam esse quod à Deo omnipotente amatur. Nam ex Dei amore cuncta profluunt in omnes creaturas bona. Quid quod certi erunt apostoli Dominum, nõ de amore generali, quo Deus vniuersa quæ condidit amat, verba fecisse, quando aiebat, Pater amat vos, sed de amore quodã singularissimo intellexisse, quo qui donatur amore, nihil aliud poterit habere beatius, atque potentius.

¶ Quocirca apostoli ex verbis istis Domini facti alacriores, & animatiores, dicunt, Nunc scimus, quod scis omnia. At vero miratu dignum est, quod post longam Christi conuersationem cum apostolis, ex qua non semel sed sæpe intelle xerant, Christum penetrare arcana cordis, quia sæpe respondebat non verbis sed cogitationibus interrogantium, nũc affirment, nunc scimus, quod scis omnia. Quia dudum responderat inquisitioni apostolorum, quam inuicem disputabant. Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum, & non videbitis me, cum tamen ista inquisitio non erat reposita in archiuo mentis, sed publicitus inuicem eam agebant apostoli: & tamen antea cordis arcana cum Dominus patefaceret non dicunt, Nunc scimus, &c. Forte, quia absorbuerat eos tristitia ex mortis Dominicæ instantia, & propriæ vitę periculo, quod valdè formidabant: ideo priora mandauerant obliuioni, & solum præsentia laudant. *Et non est opus tibi, vt quis te interroget.* Ex consequentia sermonis videbatur apostolos dicturos. Et nõ est opus tibi, vt quemquam interroges, & non, vt quis te interroget. Quippe, qui omniscius est, non habet opus quẽpiam interrogandi, vt discat quæ ignorat, siquidem gnarus est omnium. Imo potius ab omniscio, oportet interrogare, quæ insipientes nesciunt, vt ab illo discant, quæ ignorãt. Verum apostoli hoc solum volebant, quod ex eo Dominus erat pectoris humani conscius, quia non erat opus illi ad apostolica vel alia docenda dubia: quod interrogaretur, ab aliquo quippe etiam non interrogatus, egregiè callebat, quæ vellent interro gare hæsitantes. *In hoc credimus.* Quia arcana reuelare pectoris, est diuinitatis solius hinc apostoli credunt Christum à Deo exisse, & numen habere, quia scit omnia. Cum alioqui multo maiora illis demonstrarat Christus. Sed vt diximus angustiæ, quibus tenebantur, ea in obliuionem miserant. *Dicit ei Iesus, modo creditis.* Si per interrogationem legatur, vt an notat Beda, sensus est, Quid ergo post tot miracula, quæ vidistis mea, nunc creditis? Tarda quidem est fides vestra. Aut si absolute legatur, approbatio est fidei apostolicæ. Quasi dixisset, modo creditis, & rectam habetis de me fidem. *Ecce venit hora, & iã venit, vt dispergamini vnusquisque in propria: & me solum relinquatis: & non sum solus, quia pater mecum est.* Græcè, Ecce instat tempus, & iam venit. Christus istis verbis insinuat fidem apostolorum mox defecturã sub eius morte. Dixerunt enim apostoli, In hoc credimus, quia à Deo existi. Vt ergo propriam ad uerterent infirmitatem, subiecit, ecce instat tempus, vt dispergamini vnusquisque in propria. Quasi dixisset, Vobis instat tribulatio grandis, quæ erit quasi coticula vestræ fidei, quia quilibet vestrũ, me relicturus est, & fugiet ad propria, Ex fuga sibi parans, contra mortis periculum remedium. Et relinquetis me solum: quanuis non solus sum, quia pater mecum est. Dixerat enim supra, Ego in patre, & pater in me est. Et hoc verbo se esse vnum cum patre substantialiter insinuat: dicens, non sum solus. Matth. 27. Mar. 15.

At dicet aliquis, Quomodo ergo verum est quod supra dixerat, Pater amat vos, quia vos me amatis, cum modo subdat, se relinquendum ab apostolis solum? Etenim si amassent, non reliquissent solum Dominum, sed socij fuissent Christi passionis.

Respondetur Dominum non attendisse ad id, quod mox futurum erat sub sua passione, nam sub passione Domini apostoli fugerunt, & nõ amarunt verè Christum, vt Petrus negans Christum est nobis testimonio. Cæterum ad id attendebat

bat quod futurũ erat post resurrectionẽ suam & ascensionem, quando discipuli ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Act.5. Voluit igitur dominus demonstrare apostolis dicentibus se credere in Christum non fuisse compotes adhuc perfectæ, & constantis fidei, quia sub passione sua erant relicturi dominũ: id quod non erat fidelis amicitiæ, amicum deserere in tribulatione. Namque amicitiæ veritas in tentatione dignoscitur eccle. 6. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.* Ideſt hæc omnia quæ ventura sunt vobis prænuntiaui, vt non deseratis amicitiam meam, sed cum vos arripuerint aduersa, quæ ego prædixi vobis, mihi fidem habeatis, & in meo amore persistatis. Est autem pacem habere in Christo, Christi amicitiam & fidem inuiolatam seruare. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite: ego vici mundum.* Ideſt, mundani homines siue Iudæi, siue barbari, vos affligent propter me: neque enim quia pater vos amat, ideo non affligemini à mundanis hominibus. Non enim patris amor, est, vt terrena pace, & abundantia temporalium bonorum vos donet, sed potius, est hic patris amor, quo vos amat, vt terrenis orbatos consolationibus, cœlestibus vos impleat. Porro, non succumbatis mundanis afflictionibus, ego sim semper vobis in exẽplar. Ego enim eisdem tribulationibus affectus, non succubui, sed vici omnes illas, & pedibus calcaui, vos itidem meo præsidio vincetis. Dicit, *Ego vici mundum.* Cũ nondum vicisset, quia nondum exaltatus fuerat à terra, nec dum resurrexerat victor ex funere, verum quia de proximo erant hæc ventura, ideo ait, Vici mundum.

MORALIA.

¶ *Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero Paracletus non veniet ad vos.*

MVLTA & illa quidem præclarissima Spiritus sancti munera dominus hactenus nos docuit, videlicet Spiritũ sanctum esse doctorem veritatis, esseque interpretem verborum Christi, esseque ipsius testem, & glorificatorem, esse reprehensorem mundanorum, esse paracletum, seu consolatorem apostolorum, Horum autem officiorum quædam spectant caput ecclesiæ Christum, alia eius membra, alia denique neque caput, neque membra, sed aduersarios capitis & membrorum. Sunt sanè duo officia Spiritus sancti, quæ ipsum Christum spectant, scilicet, & quod est testis Christi, ille, inquit, testimonium perhibebit de me, & quod glorificat seu manifestat Christi maiestatem, & gloriam. Ille ait, me clarificabit, quia de meo accipiet.

Spiritus sancti quædã officia circa caput alia circa membra, alia circa aduersarios capitis, & membrorũ.

¶ Erat autem opportunum, vt Spiritus sanctus, testimoniũ perhiberet de Christo. Si quidẽ pater testatus fuerat Christum dicens, Hic filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipsum audite. Item & ipse Christus verbo, & opere, testatus fuerat suam diuinitatem, diuinamque filiationem restabat testimonium Spiritus sancti. Tres enim sunt qui dãt testimonium in cælo pater, verbum, & Spiritus sanctus. Hoc autem testimonium Spiritus sancti duplex est, aliud quidem sensibile testimoniũ, quale fuit in die pentecostes, quando factus est de cælo sonus &c. Acto.2. Et quando super baptizatos à baptismo Spiritus sanctus descendebat sub forma visibili Acto.10. Hoc sanè testimonium erat sensibile, sensibus enim patebat forma illa visibilis, sub qua Spiritus sanctus descendebat tũc supra fideles credẽtes in Christum: vt, scilicet, testaretur fidem & sacramenta Christi, esse veram fidem veraque sacramenta. Est item aliud testimonium quod non sensibus sed menti patet: & hoc testimoniũ habuerunt apostoli, & alij discipuli domini, cuius meminit Paulus ad Roma.8. Siquidem descendens visibiliter super eos, item operabatur inuisibiliter in mentibus eorum testificans intus veritatem eorum, quæ visibiliter cernebant. De quo testimonio in præsentia nihil differemus, quia superius in moralibus quibusdam abunde de eo tractatum est. Sunt autem quatuor officia Spiritus sancti circa membra Christi, vt generatim loquamur: & quod docet eos, & quod explicat & refert arcana Christi, & quod viuificat fideles. Ille, inquit, vos docebit omnia:

Spiritus S. fidelium doctus suggestor viuificator testis Christi, & clarificator Christi, paracletus fidelium reprehensor mundanorum.

omnia: & ſuggeret omnia, quæcumq; dixero vobis, & Ioã. 6. ſpiritus eſt qui viuificat. Eſt igitur cõſummatus doctor, & fideliſsimus diuinæ doctrinæ ſuggeſtor, & vitaliſsimus viuificator, rurſus eſt paracletus, ideſt, cõſolator. Tria deniq; alia exercet officia circa mundanos homines quippe quos reprehendit de peccato reprehendit de iuſtitia, & de iudicio denique eoſdem reprehendit. Mundani nãque homines, peccatis onuſti, aduerſantur Spiritui ſancto. Propterea hos ſuos aduerſarios reprehẽdit de tribus, de peccato, de iuſtitia, & de iudicio, vt inter enarrandum cap. 17. expoſuimus. Maximum autem fuit teſtimonium diuinitatis Chriſti, quod ipſe mitteret Spiritũ ſanctum ſuper apoſtolos. Enimuero Deus à nullo poteſt mitti niſi à Deo. Cũ ergo Spiritus ſanctus Deus verus ſit, quia à Deo vero procedit, ſi hic mittitur neceſſe eſt, vt ab ipſo Deo mittatur. Cũ ergo Chriſtus ipſum miſerit, vtiq; Chriſtus verus Deus eſt. Fatuum enim eſſet affirmare, quod purus homo Deũ mitteret. Et ideo dominus aiebat, Ille me clarificabit quia de meo accipiet. Hęc autem fuit clarificatio, quia miſſus à filio, demõſtrauit filium, à quo mittebatur cum patre, eſſe verum Deum, vt ipſe pater. Fuit autem doctor apoſtolorum, & ſuggeſtor diuinæ ſcripturæ: quippe intus afflans, eos docebat omnem veritatem ſcitu neceſſariam, ad bonum apoſtolorum, & totius eccleſiæ. Nam is ipſe Spiritus ſanctus, qui conſtituebat ſuo intimo afflatu veteris inſtrumenti prophetas, is idem conſtituit apoſtolos doctores orbis terrarum, & declaratores diuinorum myſteriorum. In ſignumque huius vniuerſalis magiſterij deſcendit viſibiliter ſub forma ignearum linguarum, vt palam cunctis eſſet, Spiritum ſanctũ imbuiſſe eorum mentes cœleſti eruditione, & inſtruiſſe eorum linguas diuina inſtructione, vt poſſent, vniuerſitatem hominum euãgelĩ Chriſti docere.

Deus non poteſt mitti à puro homine.

Spiritus ſancti intimus afflatus prophetas inſtituit & apoſtolos fecit orbis doctores.

¶ Neque tibi tamẽ ſubeat cogitatio inanis, ſpiritum hæc facere, & non patrem neque filium. Etenim veritas fidei non hoc docet: ſed quod quæ docet Spiritus ſanctus, quæ explicat, quæ teſtatur, quæ viuificat, quæ conſolatur, quæ roborat, quæ reprehendit eadem ipſa patrem docere, atque filium actione indiuiſa, vt trium perſonarum, natura & poteſtas eſt vna. Cæterum ſcriptura hac vſa eſt diuina arte, quædam appropriare ſingulis perſonis attributa, ſeu appropriata, vt ex appropriatis diſtinctis, diſtinctionẽ realem perſonarum diſcamus.

Quod autem in admirationem haud dubium adducit illud eſt quod Dominus ait, expedientem eſſe apoſtolis receſſum eius, vt Spiritum ſanctum haberent in doctorem, & interpretem, & conſolatorem, ſiquidem Chriſti viſibilis preſentia non erat impedimento iſtis commemoratis officijs Spiritus ſancti. Quãdo quidem excellentior actio eſt viuificandi mentes, quam cætera, quæ recenſuimus. At vero Spiritus ſanctus viuificauit interius apoſtolos præſente Chriſto: cur ergo expediebat Chriſtum proficiſci in cælum, vt Spiritus ſanctus apoſtolos imbueret? Fuerunt vetuſti theologi, quorum meminit Albertus Magnus, cõm. ad Ioan. 16. quibus libuit, præſentiam Chriſti viſibilem aſſerere non fuiſſe impedimẽto aliquatenus Spiritus ſancti miſsioni viſibili. Siquidem Chriſti præſentia & amor viſibilis erat puriſsimus, & incontaminatus, ideo non poterat obſtare Spiritus ſancti viſioni. Suffragatur iſtis, quia in die reſurrectionis Chriſtus dedit Spiritum ſanctum ſub forma viſibili flatus, apoſtolis. Igitur nõ obſtabat collationi viſibili Spiritus ſancti, preſentia viſibilis Chriſti. Sicut enim viſibiliter ſub ſpecie flatus contulit apoſtolis Spiritum ſanctum, ita poterat & ſub ſpecie linguarum exhibere.

Placitum vetus theologorum.

¶ Ad hæc caro noſtra eſt, quæ pugnat cum Spiritu ſancto, & ſpiritus cum ea: at caro Chriſti concepta fuit ex Spiritu ſancto: ideo non eſt aduerſaria Spiritus ſancti, ſed illi quã maximè amiciſsima. Igitur Chriſti præſentia corporalis, nihil obſiſtebat Spiritus ſancti miſsioni.

Caro Chriſti nõ pugnabat contra Spiritum, quia cõcepta fuit de Spiritu ſancto.

¶ Quo circa horum fuit placitum expediuiſſe Chriſtum recedere in cælum, ante quam Spiritus ſanctus aduenire ſuper apoſtolos, non quia præſentia Chriſti, quicquam obſiſtebat Spiritus ſancti deſcenſui, ſed quia Spiritus ſancti miſsio illa ſuper apoſtolos, fuit maximum donũ, quod elargiebatur Chriſtus ſuis apoſtolis, & diſcipulis, qui tunc aderant in cæna-

cœnaculo. Et ad elargiendum hoc maximum donum, erat expediens Christum de cœlesti habitaculo illud donare. Itaque oportebat, vt tanta elargiretur munera, quanta nunquam fuêre elargita hominibus, vt Christus primum sederet in gloria Dei patris, in cœlesti throno exaltatus. Hocque videtur Ioannes voluisse cum. 4. ca. ait, non erat spiritus datus, quia Iesus non erat glorificatus. Porro autem huic placito videntur obniam ire sanctorum placita, quibus in sententia est, impedimento fuisse præsentiam corporalem Christi, tu intellige non Spiritui sancto, vt sanctificanti, vel vt viuificanti, sed vt perficienti, & implenti mẽtes apostolicas, vt essent, scilicet, doctores perfecti orbis terrarum. Ad hanc enim rationem oportebit intellige re communem sententiam tradentem, presentiam carnis Christi obsistere, quo minus Spiritus sanctus mitteretur ad apostolos. Est autẽ obseruandum, Christi institutum hoc fuisse apostolos suos per visibilia deducere sensim ad inuisibilia Dei sacramenta callenda. Quo circa per parabolas rerum sensibilium illos semper docuit, vt ex parabolis istis sensibilibus eos instrueret de arcanis intelligibilibus. Hoc autem fuit studium domino, ante resurrectionem suam, namque postquam surrexit à mortuis, non per ænigmata docebat apostolos sed palam locũtus est eis de regno Dei, vt cap. 16. ostensum est. ¶ A postoli autem post domini resurrectionem, gaudio maximo fruebantur videndo Christum immortalem, & gloriosum. Quippe in ipso habebant, quidquid volebant, ideò totum solatium apostolorum erat in Christo in quo certo credebant se habere pastorem potentissimum, & magistrum veracissimum & refugium securissimum. Quod si Christus non se subduxisset ab eorum conspectu latus in cælum, apostoli nunquam leuarent sua desideria ad inuisibilia cœlestiaque bona: neque desiderarent alium consolatorem siue paracletũ inuisibilem contenti paracleto visibili Christo. Quapropter non essent capaces plenitudinis Spiritus sancti, si quidẽ nunquam desiderassent obtinere maiora quam quę videbant. Nam ipsis sat videbatur Christi præsentia corporalis ad omnia bona sibi paranda. ¶ Christus verò aliud intendebat, scilicet, suorum erigere oculos ad cœlestia bona, cõtemplãda & animos suorum excitare ad eadem desideranda. Quamobrem se subduxit ab eorum, quos amabat conspectu, & peregrè proficiscitur in regionem longinquam, hoc est in cœlestem habitationẽ, vt apostoli amorem visibilis Christi, & in terris agẽtis, commutarẽt in amorem inuisibilis Christi, in cælo iam habitantis: & ita demum optarent cœlestia, & se redderent capaces plenitudinis Spiritus sancti, qui est inuisibilis consolator.

¶ Potuit, dicet aliquis, Deus etiam Christo persistente in terris, Spiritum sanctũ sub plenitudine mittere super apostolos vt Christo agente in cælis misit. Ego fateor Deum potuisse, si voluisset, sed noluit, quippe cuncta Dei sapientia disponit suauiter. Ad suauem dispositionem autem hoc pertinebat, vt Christus prius ascenderet in cælum, vt apostolorum raperentur desideria in cœlestem habitationem, vbi Christus regnabat cum patre & Spiritu sancto. Et ita rapti ex cœlestium bonorum desiderio, idonei afficerentur dono cœlesti, quod est Spiritus sanctus impleri.

Dominus instruxit apostolos ante suam resurrectionẽ vtens parabolis sed post resurrectionem sine velamẽto parabolico eos docuit.

Verisimè igitur dominus dixit, Expedit vobis, vt ego vadam: si non abiero paracletus non veniet ad vos. Multo nãque plura conciliarunt sibi bona apostoli ex profectu Christi in cælum, quam si bi parassent ex consistentia eiusdem in terris. Etenim ex consistentia Christi in terris solatium quoddam sibi visibile, & sensibus amicum parassent: at verò hoc perdentes solatium, habuerũt Spiritum sanctum, qui est bonum commune patris & filij, si quidem Spiritus sanctus ab vtroque procedit, & patre, & filio: hoc igitur bonum, effusum est super apostolos, in pignus diuini amoris. Dixerat enim dominus supra, Pater amat vos, quia vos me amatis. Pater igitur & filius in pignus amoris certissimum, suum amorem obiectiuum, vt vtar scholastica phrasi ab alto demittunt in apostolos: in signumque fœderis diuini, cum apostolis iniri à patre & filio, in symbolum denique pignoris diuinæ ad apostolos charitatis, vt habentes apostoli spiritum Dei patris, & Dei filij, qui est amor communis

Spiritus sanctus amor patris & filij.

munis vtriusque, amorem inuicem habe rent, & quod dominus frequentissime illis commendarat, vt se diligerent inuicem, ex dono amoris illis abundè effuso, dignoscerent esse sedulo implendum. Pater enim misit filium suum, in mundum vt inde commendaret suam apud homines charitatẽ, quod filiũ suum vnigenitum, illis in saluatorem mitteret. At verò pater, & filius mittunt Spiritũ sanctum, mittunt suum æternum amorem: vt sicut ex persona filij missa, Dei erga nos persuasam haberemus charitatẽ, ita ex persona Spiritus sancti missa, nostrã charitatem pro modulo nostro conaremur Deo rependere. ¶ Ad hæc non misit Spiritum sanctum suum, vt temporali solatio apostolos solaretur, sed vt æterno apud eos maneret, vt maneat, inquit, vobiscum in æternum, consolator enim hic æternus est, ideo æterna mentibus quas imbuit exhibet solatia.

Spiritus sanctus æternus consolator.

¶ Solatia autem temporalia momentanea sunt si æternis conferantur, vnde Iob. 20. gaudium hypocritæ est instar pũcti. Hipochrita is est qui fallit ex aspectu virtutis quam intrinsecus nõ habet. Mundana quoque gaudia semper fallũt suos sectatores. Quando enim creduntur amplius obtineri, tunc citius deserunt suos professores. Et qui illa amant, sunt item instar hipochritarum, quippe putant se habere veras opes vnaque solatia quæ alioqui sunt fallacissima: omnia nãque terrena, sunt sicut vapor ad modicum apparens. ¶ Quapropter Spiritus sanctus est verus solum consolator, & gaudia spiritus sunt vera gaudia, quia non sunt fallacia: ideoque vocatur à domino spiritus veritatis. Mundanus spiritus inflat hominem, spiritus diabolicus decipit hominem, spiritus carnalis inquinat hominem: at Spiritus sanctus hominem humiliat, hominem veracem facit, hominem ab omni inquinamento sanctificat. Quam ab causam dominus dixit. Quem mundus non potest accipere. Est autem mundus mundani homines. Sunt autem mundani homines, homines inflati sensu carnis suæ, homines seductores, introducentes sectas & errores aut circumuenientes in negocio fratres suos: homines item immundi, & inquinati, ex quouis crimine. Isti mundani, tantisperdum mundani sunt, non possunt potiri Spiritu sancto, siquidem Spiritus sanctus superbiam fugit, falsitatem odit, immũditiam spiritus abominatur. Idcirco mundanos homines abhorret. Mundus namque contrarius est Spiritui sancto, ideo necesse est, vt mundus odio habeat Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus odiat mundum. Contraria enim se mutuo odiunt & se inuicem expellunt. Quo circa quo quis se subduxerit amplius à mũdanis conuersationibus eò capacior efficitur consolationis Spiritus sancti. Quo etiam magis se subduxerit à visibilibus oblectamentis, eò magis Spiritus sancti solatijs fruetur. Enim verò si expediens fuit apostolis, quod solatium ex aspectu Christi visibili, subtraheretur ab illis, vt solatio Spiritus sancti inuisibili potirentur. Quid quod solatia rerum caducarum sint spernenda, vt Spiritus sancti delicijs fruamur? Hic ergo æternus verusque consolator, hocq; Spiritus sancti solamen, solum exhibetur Dei amicis non inimicis. Cætera sanè bona communia sunt etiam peccatoribus, vnde dixit vates ille hymnidicus Psal. 72. Ecce ipsi peccatores abundantes in seculo obtinuerunt diuitias, & in labore hominum non sunt & cum hominibus non flagellabuntur, at diuitias spiritus nesciunt huiusmodi. Animalis nãque homo non sapit quæ Dei sunt. Sunt sapientes quidẽ in generatione sua mundani: sapiunt enim non quæ Dei sunt, sed quæ mundi sunt. Imo testante domino prudentiores sunt filij huius seculi quam filij lucis Lucę. 16. Verum adiecit, in generatione sua. Hoc est ad mundana conquirenda sibi pluribus astutijs, & artibus vtuntur illi quã filij Dei ad conquirenda cœlestia bona: vnde Spiritus sanctus, non inhabitat diuites præpotentes, sed pauperes humiles. Neque tamen diuites horret, si pauperes sint spiritu. Non inhabitat hæreticos, quia ipse spiritus veritatis est, nõ peccatores, quia ipse spiritus mundus est, & incontaminatus quia Spiritus sanctus est.

Spiritus sanctus verus cõsolator.

Spiritus sanctus & mundus sunt contraria.

¶ Oportebit igitur humilitatẽ animi colere, veritatem fidei obseruare, sanctimoniam interiorem curare, si volumus tanto spiritu frui. Rursus hoc solamen Spiritus sancti, est internum solatium, non externum.

ternum. Est enim solamen spiritus & nõ carnis. Visibilia solatia delectant sensus carnis nostræ, at Spiritus sanctus nõ sensus delectat, sed animam: vnde dixit sapiens, secura mens quasi iuge conuiuium Prou. 15. Et Paulus dixit quasi tristes semper autem gaudentes. Vtiq; tristes sunt exterius sancti, quia mundana eos molestant, & affligunt: cæterum intus sunt gaudentes spe enim æternorum semper gaudent ad Roma. 12. Et tristia, quæ mundanos confundunt, & perturbãt, spirituales homines, erigunt ad maiorem cœlestium spem. Hac spe gaudebat ille, hocque spirituali gaudio frueba tur ille Eunuchus reginæ Candacis, quẽ postquã Philippus baptizarat ibat per viam suam gaudens. Et sancti apostoli hoc intimo gaudio perfusi, ibant gaudẽ tes à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati Acto. 8. Hoc est igitur, quod dominus insinuare voluit dicens, de paracleto mittendo vt in vobis sit, & apud vos maneat. Namque seculi bona sunt bona, quæ non sunt in nobis, sed extra nos. Non enim hominem interiorẽ perficiunt, sed potius labefactant, & inficiunt. At Spiritus sanctus intus manens interiorem hominem perficit, & reficit. Mentem namq; humanam renouat de die in diẽ. Renouat sanè secundum intellectum, nam hunc illustrat nouis illustra tionibus, & secundum affectum etiam, nam hunc quotidie renouat purgando eius vicia. Vnde cõgruè sub forma ignis missus est super apostolos Spiritus sanctus: & sub forma linguę: in lingua enim eruditio significabatur. Quippe Spiritus sanctus, instruxit interna instructione apostolos, vt ipsi essent doctores orbis: & ignis item illuminat & purificat sordes metallorum. Vnde Spiritus sanctus per doctrinam euãgelicam hæc quo que duo exhibuit & exhibet, nam illuminat mentes fidelium, & eorum excoquit sordes. Nos de Spiritu sancto multa tradidimus in declamationibus ad Esaiam, & in. 1. Sentent. libro, indidem hauriet qui volet.

Spiritus sanctus solatur hominem interiorẽ, quia est cõsolatio spiritus non carnis.

Spiritus sanctus illustrat mentẽ & purificat affectum.

Porrò solent tres rationes exhiberi, cur prius voluit dominus scandere cælos, quam Spiritus sancti plenitudinem impartiretur apostolis. Prima est, quia apostolis exhibendus erat Spiritus sanctus, vt eorum desiderium ferretur in cœlestem beatitudinem. Verum apostoli non possent efficaciter desiderare cœlestem gloriam, nisi primo crederent eam esse sibi possibilem, id quod crediderũt, quando viderunt dominum ascendentem in cælum.

Tres rationes cur expediebat Christum petere cælestia.

¶ Secunda ratio est, quia Spiritus sanctus est amor spiritualis, ideo erat necesse apostolos disponi spiritualiter, antequam Spiritus sanctus descenderet super illos. Cum ergo Christum amassent carnali amore, fuit expediens Christum se subtrahere ab eorum cõspectu, vt abla to amore carnali, imbuerẽtur amore spirituali. Tertia ratio quia Christus non quatenus homo, sed quatenus Deus, im partiuit Spiritum sanctum: ideo debuit prius declarari diuinitas Christi per ascensionem, quam mitteretur Spiritus sanctus. ¶ Porrò autem huiusce modi rationes inefficaces sunt: quippe apostoli ante ascensionem domini Spiritum sanctum habuerunt: quippe qui sanctificati erãt ab Spiritu sancto per sermonẽ Christi. Ioan. 13. Et si rationes istæ fuissent absoluentes quod intendunt, facile colligerent, apostolos non habuisse Spiritũ sanctum ante ascensionem domini. Quid quod apostoli Christum amabãt etiam amore spirituali, siquidem amabant ex charitate Dei, sed charitatis amor nõ est carnalis amor, etiã si demus nõnihil amoris carnalis habuisse, quatenus Christus eos protegebat visibiliter & alebat, &c.

Rationes Nicolai Lyrani soluuntur.

¶ Adhæc in die resurrectionis apostolis donatus est Spiritus sanctus. Accipite, inquit Ioan. 20. Spiritum sanctum.

Apostoli ante ascensionẽ domini cognouerunt eũ esse Deum.

¶ Accedit eodem, quia apostoli etiam ante ascensionem Christi credebant regnum cælorum esse sibi possibile. Audierant enim Christum clara voce resonantem, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, & cætera quæ ibi Matth. 5. traduntur, huic instituto seruientia. ¶ Rursus etiam credebant apostoli Christum esse Deum antequã ipsum aspicerent abeuntem in cælum. Si quidem post resurrectionem domini Thomas confitetur ipsum esse Deum dicens, Dominus meus & Deus meus, infra. 20. Et cap. 6. dominus dicebat apostolis in illa die, ideſt, sub resurrectione sua

sua palam esse locuturum de patre suo, ideſt, tũc palam esse manifestaturum se esse verum filium Dei.

Cur expediens fuit Christum se subducere in cælum.

¶Dicamus quapropter, Spiritum sanctum impartitum apostolis post ascensionem domini quia sic expediebat: expediebat autem primo ex diuina sapientia sic disponente, quæ est causa prima expedientiæ huius & aliarum. At verò à posteriore inuestigando vtique expediebat, quod domini corporalis præsentia subtraheretur in cælũ. Nã si præsens semper esset, vtique ægerrimè apostoli, diuellerentur à Christo ad prædicandũ, & multo difficilius se exponerent morti aduertentes ex morte sua nõ visuros amplius Christum, quem relinquebant in terris: quam tamen alacriter subierunt, scientes, à morte sua visuros Christum, quem viderant in cælum euntem. Ideoque post Christi ascẽsum in cælos, quid restabat nisi cælestia vehementer desiderare habitacula, vbi Christus regnabat, vt ibi essent cũ Christo, & hoc modo desiderando cælestia, facti sunt capaces plenitudinis Spiritus sancti, cuius prius non fuerant tam capaces. Et datus est illis vberrime in die pentecostes, vt fœcundaret eos magnificè. Quippe tunc constituti sunt apostoli patres Spirituales omnium fidelium, quos per euangelium essent Deo generaturi, testãte Paulo, Ego per euãgelium vos genui, quocirca quia erant generaturi innumerabilẽ Deo prolem, oportebat eximia Dei gratia fœcũdari, & Spiritus sancti dono vberrimè perfrui. Namque terra quo vberiore perfunditur rore cælesti, eo vberius fructificat. Spiritus quoque sancti gratia est instar roris spiritualis animæ nostræ fœcũ datiui. Et quanto maior est roris infusio tanto maior fructificatio. Vnde ecclesia hoc petit dicens, sancti Spiritus quæsumus domine corda nostra mundet infusio & sui roris intima asperſione fœcundet. Sua enim intima asperſione, ideſt operatione Spiritus sanctus mentes nostras fœcundat. Particulares autem fideles Spiritus sancti ros hic fœcundat, vt Deo fructificẽt ex meritorijs operibus. At vero apostolos & successores ros hic fœcundat, vt non solum sibi fructificarent, sed vt filios Deo generarent, & multiplicarent diuinam sobolem per euangeliũ, & sacramenta. Quamobrem apte antiqui Theologi vt Hirenæus Hieronymus, & Augustinus gratiam Spiritus sancti appellitarunt rorem. Etenim steriliis & arescens est terra sine cælesti rore, marcescunt omnia & sterilia sunt omnia, nisi cœlitus irrorentur. Ita quoque & mentes nostræ, nihil meriti, nihil cælestis fructus edere possunt, nisi Spiritus sancti intima asperſione irrorentur. Hic igitur veracissimus doctor, perfectissimus consolator, optimus mentium fœcundator, & peccatorum acerrimus reprehensor, est à nobis iugiter expetẽdus qui nobiscum maneat in æternum.

Irenæus lib. 3 aduersus hæreses. Hiero. epistola ad Paulinum & Aug. 1. 49. in lib. Iudicum, &c.

ENARRATIO I.
In cap. decimumseptimum.

¶*Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis in cælum dixit.*

HÆC oratio domini est hymnus ille, cuius meminere Matth. 22. & Mar. 14. dicentes. Et hymno dicto. Et si alij censeant nõ fuisse hanc orationem hymnum, sed gratiarũ quandam actionem quam Christus à cena Deo egit: at vero credit Theophi. Christum quando fecit hæc verba non orasse, sed colloquium habuisse cum patre. At vero Cyrillus orationem putat fuisse hæc verba. Et quidem verbum rogo quod hoc loco dominus repetit manifeste indicat nunc orasse dominum ni si quod verba quæ ad calcẽ, sunt magis colloquij quam orationis. Recte etiam dici potest hęc oratio hymnus quia Deũ orãdo laudat Christus dicẽs, Pater sancte, pater iuste &c. Et annotat Beda hũc hymnum cum alijs verbis quæ Ioannes 14. & 15. 16. commemorat, à domino dictum fuisse, post quam dixerat. Surgite eamus hinc, ea dixisse dominum stãdo. Quia antecedentia hæc, quæ dixit post ablutionem pedum apostolicorum sedendo, putat à domino dicta esse: cuius rei nos ampliorem supra fecimus mentionem. At continuo se offert scrupus in quem cespitabit non aduertens, cum dominus dixisset cap. proximo, Non dico vobis quod ego rogabo patrem pro vobis, quî ergo modo rogat. Verum

scrupus

scrupus hic, ibidem finit motus, & absolutus. Christus ergo, cum iam in promptu haberet mortem, vt amorem erga suos discipulos impendio ostenderet, patrem precatur pro illis. Et non solum orationem fundit pro illis, sed etiam pro omnibus electis.

¶ Primo quidem pro apostolis, qui erant fundamenta ecclesiæ, & patres primi fidelium, & seminaria fidei Christianæ. In quos, vt in columnas fidei inclinanda erat structura vniuersalis ecclesiæ.

¶ Dein vero orat pro electis omnibus. Orat autem vt suã charitatem erga omnes commemoratos ostendat: orando autem ostẽdit se vere esse hominem, siquidem quatenus Deus erat, non poterat orare. Oratio enim est inferioris ad superiorem, & infirmi ad potentiorẽ: Deus autem est omnium supremus, & omnipotens, ideò ipse est ab omnibus orandus: & ipse neminem orare potest, qui omnia per seipsum potest. Orat autem nunc stando, & subleuatis oculis in cælum. At paulo post orabit, positis genibus, Lucæ. 22. & procidens in terram. Matth. 26. & Marc. 14. Non quod ipse ad impetrandum egebat vel vocali oratione, vel huiusmodi varia corporis positione: verum vt nos doceret vocales preces nobis esse necessarias, & non solum mentales esse probandas, & nos quoque doceret, non solum mentem humiliare oportere coram Deo, sed & corpora, ideo positis genibus, & procidens orat.

Christus etiã vsus est cæremonia quadã pijssima dũ oraret.

¶ Iam vero stando orat, quia positio corporis ad orandum non semper vna, & eadem est necessaria, quia pro qualitate, & opportunitate temporis, si illa mutetur prudenter mutabitur. Dominus ergo stando orat modo, quia iam in profectu erat ad hortum Gethsemani, ideoque itineris instantia, aliam corporis posituram non permittebat.

¶ Orat autem subleuatis oculis in cælum, quippe preces nostræ ad Deum regnantem in cælis sunt dirigendæ. Et oculi carnis sunt leuandi, vt simul leuentur oculi mentis: vnde dominus iubens orare inquit, Sic orabitis patrem, Pater noster qui es in cælis. Oratio enim nostra glorificare debet Deum, & à gloria eius, & laudibus exordium facere. Ideo dominus nunc initium fecit suæ orationis, honorando patrem, dicens, Pater venit hora, &c. Hinc discant hæretici huius æui, quam petulanter insaniant, negantes ecclesiæ cæremonias, tanquam inutiles, & superuacuas. Siquidem dominus in orando cæremonias obseruauit iam stando & subleuando oculos in cælum, iam orando flexis genibus, & procidendo in terram. Hinc ecclesia aliquando iussit orandum stantes, vt extat decretum concilij Niceni hoc monens, vt diebus dominicis stando fundamus precem dominicam: aliquando vero flexis genibus ministri ecclesiæ orant. *Pater, Venit hora, clarifica filium tuum, Vt filius tuus clarificet te.* Ideſt, Pater in promptu est iam tempus non fatale, sed à te antequam secula conderentur definitum, vt mortem subeam pro genere humano. Hoc igitur à te peto, vt quia decreuisti mortem à me subeundam plenam esse probris, & ignominia hominum, vt tu demonstres hanc mortem meam non esse à me commeritam, sed me eam sustinere, vt impleam beneplacitum tuum, quod videlicet illam experiar ad expiationem totius generis humani. At, dicet aliquis, Christus egregiè sciebat, suam mortem esse glorificandam à patre, quorsum ergo orat, vt veniat, quod certissimè sciebat esse venturum. Hoc est argumentum hæreticorum negantium esse necessarias orationes. At isti non aduertunt, Deum cuncta disponere se facturum suauiter, hoc est, per causas medias. Disposuit equidem mortem Christi honorandam summo honore: at verò disposuit hanc honorationem, & clarificationem, seu glorificationem exhibendam morti Christi, per preces Christi, vt elegit plerosque ad vitam æternam illis conferendam suo tempore. Verum disposuit etiam suæ prædestinationis legitimam futuram executionem per causas medias, scilicet, per mortem, & preces Christi: & per merita electorum, &c. *Clarifica.* Multifariam est Christus à patre clarificatus, & sub natalibus suis, quando angeli clara voce resonant natum esse

Cæremoniæ ecclesiasticæ non sunt superuacuæ.

Deus quæ ab æterno facere disposuit per medias causas facere decreuit.

hominum ſaluatorem, & quando in templo ab Anna prophetiſſa & Simeone, idem proclamatur. Poſt hæc ſub baptiſmo Pater clarificat dicens, Hic eſt filius meus, & item ſub transfiguratione. Poſt modum Ioan. duodecimo. vox de cælo intonuit, dicens, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Ad hæc ſub morte clarificatus eſt Chriſtus à patre, ſiquidem miraculis grandibus oſtendit Deus, iniuriam ſummam irrogatam eſſe Chriſto ex morte iniuſtiſſima quam pertulit ipſe alioqui innocentiſsimus. Terra namque mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt, ſol obſcuratus, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, non ferentes domini ſui ignominiam. Et ſicut dixit Hilarius.3.de Trinita.clarificat pater filium, ſol de curſu operis defecit, & interitum ſuum cum eo reliqua elementa ſenſerunt. Ad onus domini in cruce pendentis terra tremuit: & eum qui mortuus erat intra ſe conteſtata eſt non capere. Proclamat Centurio. Verè filius Dei erat iſte. Prædictioni non conſentit effectus, & poſt pauca. Ergo poſt clarificationem eius, veritatem confeſsio ſecuta eſt. Nam verum Dei filium Centurio confitetur: ne quis credentium ambigeret, quod aliquis perſequentium non negaſſet. Porrò non ſolum mors Chriſti decorata eſt tot prodigijs, & perſequẽtium confeſsione, quia reuertebantur perſequentes percutientes pectora ſua; iam facinoris male perpetrati benè ſibi conſcij. Verum etiam clarificatus eſt Chriſtus in ſua reſurrectione: quia glorioſus triumphator aſcendit de ſepulchro. Nam ipſe ſe ipſum excitauit à mortuis. Vnde ipſe quatenus Deus ſe clarificauit hominem: tametſi patri tribuitur clarificatio: quia pater eſt principium in Sancta Triade, vt ſæpe diximus. At vero patre clarificante filium, filius ſe clarificat hominem, & Spiritus ſanctus eundem clarificabat: quoniam ex axiomate Theologico ppera Trinitatis ſunt ad extra indiuiſa.

Lucæ.2. Matth.3. Matth.17.

Matth.27.

Mors Chriſti clarificatur à patre.

Clarifica. Verbum hoc clarificare ſcripturis eſt familiare. Ioan. 12. 13. 17. Ad Galat.1. In me clarificabant Deum. & 2. ad Theſſalonicenſ.3. Sermo Dei currat & clarificetur. Et ad Hebræos.3. Non ſemetipſum clarificauit vt pontifex fieret & alias. Eſt autem clarificatio vſurpata pro glorificatione. Et δοξαζειν verbum Græcum glorificare ſignificat: vnde δόξη eſt gloria. Etenim clarificatio ſolum ſignificat manifeſtationem nominis, glorificatio autem, addit manifeſtationi laudem. Eſt enim gloria clara notitia cum laude: fieri autem poteſt clara eſſe notitiam alicuius ſine laude tamen, vt accidit hominibus quorum facinora ſunt apud omnes diuulgata. Vnde ſortiuntur manifeſtum nomen ſed inglorium, & illaudatum. Verum interpres, quia aduertebat huiuſmodi manifeſtationem illaudatam, non eſſe deputandam claritati, ſed potius obſcuritati, quia manifeſtatio facinoroſi, non eum clarum, ſed turpem eſſe oſtendit, ideo vſurpat clarificare pro glorificare. *Filium tuum.* Chriſtus ſingularem habet filiationem, & non communem, vt habent electi, qui appellantur filij Dei. Chriſtus enim eſt filius origine non adoptione, filius eſt natura, non gratia. *Vt filius.* Rependit Chriſtus clarificationem patri, quam ipſe acceperat à patre. Græcè, additur cõiunctio, vt, & clarificauit autem Chriſtus patrem ſuum, demonſtrans hominibus ſe eſſe verum filium Dei patris, & talem exhibens ſe mundo, qualem decebat eſſe filium tanti patris. Quod verò Paulus ait, nõ clarificauit ſeipſum vt pontifex fieret, ſignificat Chriſtum ex operibus ſuis intendiſſe gloriam æterni patris: & non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Ex verbis ſane Chriſti, & operibus glorificatus eſt Chriſtus. Verum hanc claritudinem ſuam, quam habuit quatenus homo, à patre aſſecutus eſt. Quod ſi dixeris, Imò Chriſtus ſe clarificauit. etenim in transfiguratione, ſe clarificauit, quippe reſplenduit vultus eius vt ſol, &c. dicito ſe clarificaſſe. Quatenus enim Deus erat, ſe clarificabat hominem. Verum quia ipſe, vt homo accipiebat à patre, & à ſe ipſo Deo clarificationem, ideo Paulus docet Chriſtum non ſe clarificaſſe ſubaudi quatenus homo erat, non ſe clarificabat, ſed accipiebat claritatem à ſeipſo, vt Deo, & quia erat vnus Deus cum patre, ab ipſo patre etiam

Clarificare & glorificare quomodo differant.

etiam clarificabatur. Verè igitur fuit clarificatus, quia à Deo fuit clarificatus. Nos vero falsò nos sępe clarificamus: quippe inaniter nos commẽdamus. At verò non qui seipsum cõmendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.

1.Cor. 10. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Si legantur hæc, per similitudinem, quam denotat, sicut difficilem habent intellectũ: nisi interpreteris hoc modo, Tu pater ita vere clarifica filium tuum, sicut vere illi dedisti potestatem ad seruãdum omnes homines. Cæterum Græcè, non legitur ὡς, sed καθὼς, quod causalitatem denotat, potius quam similitudinem. Vnde sensus erit manifestior hic, Clarifica filiũ tuum, eo quod ei dedisti potestatẽ ad redimendum genus humanũ. Itaq; Christus petit clarificationem suã à patre, & petitionis causam exponit eã esse, quia est constitutus à Deo patre redẽptor orbis. At hæc constitutio inanis fuisset, nisi omnibus notus esset Christus: sine notitia enim Christi nulli poterit contingere redemptio adepta hominibus per Christum. *Dedit potestatem.* Christo, vt homini data est potestas, super omnem carnẽ, ideſt, super totum hominum genus: quia ex parte totum significat, vt supra Ioan. 1. Verbum caro factum est, ideſt, est Deus homo factus. Et est phrasis vsitata valde in scriptura. Dominus vero, post resurrectionẽ ait, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Habuit quidem potestatẽ in cælo, quia reserauit fores eius sibi obtemperãtibus, & in terra, quia in terra Christus per sua sacramẽta gratiã infundens donat hominũ peccata. Habet rursus potestatem super omnes homines, quia est iudex viuorum, & mortuorũ. Potestatem habet itẽ omnis carnis, quia potest saluare, & saluabit per sanguinẽ suum, omnes sibi obtemperantes, & perpetuo supplicio affliget sibi repugnantes. Et non solum in venturos, & præsentes exercebit hanc potestatem sed in eos etiam, qui eius aduentum præcesserunt eandem habet potestatem vt fusè dissertum est in moralibus ad caput. 12.

Christus vt homo habet potestatem in cælo & in terra ex gratia vnionis.

¶ *Vt omne.* Dicet aliquis. Non omnibus dat Christus vitam æternã, cur ergo ait, vt omne quod dedisti ei, det eis vitã æternã? Respondetur Christum non venisse in primo aduentu ad iudicandũ mundũ, sed vt seruaretur mundus per ipsum. Cęterum quia dilexerũt homines mũdani tenebras magis quam lucẽ, ideò orbabũtur vita æterna, ad quam conciliandã hominibus venit Christus in orbẽ. Vt sol, quando nascitur, & orbi micat, nascitur, vt illustret omnes homines, qui verò solis conspectum fugiunt, si luce solis non perfunduntur, sibi imputẽt nõ soli. Aut si maximus quispiã medicus veniret in amplissimã ciuitatem & offerret medelã omnibus ciuibus, si quispiã nollet mederi nõ esset medici culpa, sed ęgrotantis: Ita in præsentia. Christus autẽ ex gratia vnionis habuit potestatẽ super omne genus humanum, ideo rectè ait, dedit ei, siquidem ex gratia hypostaticæ vnionis Christus quatenus homo habuit potestatem istã. Gratia porro hæc, nõ potuit cadere sub merito.

Christus vt homo ex gratia vnionis hypostaticæ habet potestatem omnis carnis.

¶ Suspicatur Erasmus hanc loquendi formam, esse desumptam ab Hebræis ideo putat sensum esse reddendum potius quam verba. Verum apte interpres edidit secundum verbum vt inuestigandi legitimum sensum, expositoribus per mitteretur facultas. *Vt omnes.* Ioan. 13. Sciens ait euãgelista, ꝙ omnia dedit ei pater in manus: & rursus, omne quod dat mihi pater ad me veniet. Quæ omnia & alia id genus intelligendum est Christo vt homini data gratis ex gratia vnionis. Ideo vtitur dominus verbo, dedit, & euãgelista, eodẽ verbo vtitur. Aduertẽdum autẽ, quod Christus quatenus Deus est, habet ex sua natura non ex gratia patris, sed potius ex naturali ex patre generatione donare hominibus vitam æternã. Est enim dominus gloriæ æqualis patri. At verò quatenus homo habet etiam potestatem donandi vitam æternam, non ex natura humanitatis, sed ex gratia vnionis hypostaticæ, ex qua verbum caro factum est. Et ex hac gratia est communicatio idiomatum. Vnde & ipse Christus homo etiam est dominus gloriæ, quia Deus est. Porrò quatenus homo si vim reduplicationis obseruas, non est dominus gloriæ, ideſt, ratione humanitatis suæ, non habet dominium in gloriam, sed quatenus Deus hoc ius dominij habet in gloriã, quia potest dare

Christus ex autoritate diuina est autor dans gloriã & ex suæ passionis merito est data eiusdem.

vitam æternam effectiuè, quibus dare ab æterno decreuit. Cæterũ ratione humanitatis habet Christus meritũ, vt ex merito suo donetur hominibus vita æterna cælestis. Itaque quod diuina autoritate Chr̃us potest, vt Deus, hoc potest Christus merito suo vt homo. Porro, Christi meritum fuit multiplex, & vitã æternã promeruit electis suis multifariã. Siquidem, omnia ieiunia, omnes preces Christi, & fatigationes, atq; sudores promerebãtur electis gratiã & gloriam finalem, at voluit præclarissimo etiã modo mereri moriens in cruce. Et cũ suffecisset vel guttã sanguinis fundere, ex minimo flagello, totum voluit tamen profundere vt ex omnibus passionibus, & precibus eius hominibus pararetur infinitus quidã thesaurus meritorum Christi. Ideoq; etiã si singulę Christi pęnalitates sat erãt redẽptioni humanæ, non tamen fuerunt superfluæ omnes collectiuè, imo necessarię: quia quod merebatur vno modo, voluit multis alijs promereri modis, vt infinitus resultaret thesaurus ex varijs, & multiplicibus meritis Christi congregatus. Quare disposuit mori pro hominibus, vt ita demum suã ad homines cõmẽ daret eximã charitatẽ. ad Roma. 5. Istud est quod theologi proclamant, omnia opera Christi sufficientis fuisse meriti, mortẽ vero efficacis. *Hæc est autem Vita æterna Vt cognoscant te solum Deum Verum, & quẽ misisti Iesum Christum.* Quia dixerat se esse datorẽ vitæ æternę, exponit modo, quid sit hæc vita æterna, & ait esse cognoscere Deum patrẽ, & Deum filium Iesum Christum, quẽ ipse pater misit in mũdũ. Vnde nõ est quærẽda vita æterna in sensibilibus bonis, sed in intelligibilibus. Et non in quibuslibet istis intelligibilibus bonis, sed in supernaturalibus bonis, nẽpe in cognitione Dei patris & Dei filij, & Spiritus sancti. Vnde Epicuræi, & Saraceni, qui in voluptatibus corporalibus vitam æternam sanxerunt esse, errant toto cælo. At philosophi qui in intelligibilibus bonis, vt in contemplatione naturali diuinorum eandem beatitudinẽ constituerunt, vt Aristo. 10. Ethicorum, etsi iam olfaciebant veritatẽ beatitudinis, at verò non collimarunt cum illa. Hæc autem cognitio Dei patris, & Dei filij, & Spiritus sancti ab vtroque procedentis Dei de Deo, est alia quidem viatica, alia verò comprehẽsiua. Viatica est, qua fruuntur fideles in hoc exilio agentes: comprehẽsiua est beatorum. Illa est initiũ vitæ æternæ, hæc vero cõsummatio.

Ex Christi passionibus & precibus congregatus est thesaurus spiritualis infinitus.

Vita æterna non est in sensibilibus bonis sed in intelligibilibꝰ supernaturalibus.

¶ At verò obstrepit forsan Lutheranus aliquis, iam hinc excitans tragędias contra ecclesiam, & gratulans sibi hunc locũ proferet, quo stabiliat suum dogma docens, solam fidem esse necessariã. Quippe dominus modo solũ meminit cognitionis patris & filij &c. & hanc ait esse vitam æternam. At verò hæc cognitio est fides, igitur fides sola ad vitam æternam parandam sat est. ¶ Porrò autem si fides est vita æterna beati non potiuntur vita æterna, quia deposuerũt fidem, ex clara visione. Et age, si per cognitionem dominus intellexit fidem solam, cur nõ dixit, Hæc est vita æterna, vt credant te solum Deum verũ &c. Sed ait, Vt cognoscant? ¶ Quo circa tu obserua, cognoscere in scriptura non solum actum intellectum, sed & approbationẽ voluntatis denotare. Ego inquit Ioan. 10. cognosco oues meas, & meæ cognoscũt me, hoc est, cognoscunt me credendo & amando, quas ego cognosco videndo, & approbando. Vnde dixit Ambrosius lib. de officijs. 2. cap. 2. Scriptura diuina vitam beatã posuit in cognitione diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Augustinus autẽ lib. de libero ar. 2. rem hãc cõsiderans, dixit, Ipse Christus & dictis, & factis ad credẽdũ hortatus est, quos ad salutẽ vocauit. Sed postea quam de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non dixit, Hæc est vita æterna, vt credãt, sed hæc est vita æterna, vt cognoscãt. Arrius item ex hoc loco suum fouebat commentum, Christũ asserens non esse verũ Deũ, quia Christus ait, patrẽ esse solum verum Deum. At vero Christus non solum dixit, vt cognoscãt te solum verum Deum, sed subiecit, & quem misisti Iesum Christum. Igitur vita ęterna est cognoscere patrẽ & cognocere Iesum Christum. Si autem Christus non esset verus Deus cognitio Christi non esset vita æterna: cognitio enim creaturæ quamlibet excellentis, non potest beatificare rationalem creaturam. Quippe finis vltimus creaturæ rationalis, non est alia creatura, sed creator ipse Deus. Quid quod

Lutheranus refellitur.

Cognoscere in scriptura & actum intellectus & amorem volũtatis denotat.

Nulla creatura potest beatificare mentẽ hominis.

quod excluſiuum hoc nomen ſolũ ſi addatur eſſentialibus diuinis, excludit non diuina ſed creata, vt Matth. 11. Nemo nouit patrem, niſi filius, &c. Excluduntur ergo dij falſi per hanc excluſiuam dictionem, & non verus Deus, qui eſt Chriſtus. Adhuc perſiſtis forte ſciſcitando, & cur ſolum meminit cognitionis patris, & filij, & nõ meminerit de cognitione Spiritus ſancti? Dicito quia pater & filius ſunt principium Spiritus ſancti, & quia ſupra meminerat Spiritus ſancti, nunc tacuit de eius cognitione, ſatis inſinuans ex verbis prioribus vitam æternã etiam eſſe etiam in cognitione ſpiritus, cum ſit Deus verus procedens à patre & filio. Quoniam ergo Spiritus ſanctus eſt amor vtriuſq; & patris & filij, ſi vita æterna eſt in cognitione patris, & filij, nõ poteſt excludi Spiritus ſanctus, qui eſt nexus & amor vtriuſque, ſubaudi non formalis, ſed obiectiuè, vt in 1. Senten. diſſeruimus *Ego te clarificaui ſuper terram: opus cõſummaui, quod dediſti mihi, vt faciã. Et nũc clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate, quam habui prius quam mundus fieret.* Auguſtinus prophetico modo cẽſuit hæc fuiſſe dicta à domino. Ego te clarificaui, pro clarificabo, opus cõſummaui, pro cõſummabo: ſi quidem ſermo eſt de opere redemptionis, quod nondũ conſummauerat Chriſtus. Et rurſus, quia dudum dixerat pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificetur: igitur nondum clarificauerat. Cæterum Chriſtus patrem clarificauit ante mortem ſuam, quia in omnibus verbis, & factis ſuis patrem ſuum glorificabat: tametſi perfecta clarificatio fuit poſt reſurrectionem, quando nõ in prouerbijs loquebatur, ſed palam annuntiauit apoſtolis myſteriũ beatę Triadis, itemq; quando miſit Spiritum ſanctum. Et quamuis non conſummauerat prorſus redemptionis opus, quando hęc dicebat. Cæterum quia euãgelium iam docuerat homines, & idẽ miraculis conſtituerat, & in prõptu erat iam mori pro hominibus, ideo dominus conſueto modo loquendi, dicit conſummatum, quod cõtinuo erat cõſummaturus certiſimè. Poſt aſcenſionẽ autẽ in cælum Chriſtus clarificauit patrẽ per diſcipulos ſuos apertè docentes Deũ patrem eſſe eiuſdẽ ſubſtantiæ cum Chriſto, vt Deo, & ab eo genitũ antequã ſecula conderentur. ¶ Reliqua autẽ verba Auguſtinus ſecũdũ prędeſtinationẽ intellexit, Clarifica, ſcilicet me pater, ea claritate, qua ab ęterno prędeſtinaſti me clarificandum. Etenim ad Roma. 1. prædeſtinatum eſſe Chriſtũ à patre traditur, vt eſſet filius Dei. At verò Irenæus lib. 4. contra hæreſes. c. 28. non de prædeſtinatione locũ hũc intellexit, ſed de claritate diuinitatis æterna. Vnde ait, Ante omnem cõditionem, glorificabat verbum patrẽ ſuum, manens in eo, & ipſe à patre glorificabatur. Quẽadmodum ipſe ait. Pater clarifica me, claritate quam habui apud te, antequam mundus fieret. Hæc ille. Obſeruabis vt Irenęum capias, claritatẽ filij hãc eſſe, ſcilicet, verbum ęterni patris. Hanc autem claritatẽ habuit ſemper antequam mũdus fieret & hanc habebat quatenus Deus quãdo hæc petebat: at petebat vt ſibi hæc claritas cõmunicaretur, videlicet, in fidẽ hominum nota eſſet ex tẽpore eius diuinitas, quæ nota erat patri ab æterno. Sẽſus igitur eſt manifeſtus, ſcilicet, oſtende pater me hominẽ eſſe verum Deũ, & diuinitatem tuã habere, quã habui apud te, antequã mundus fieret. Hilarius vero. 3. de Trinita. hunc locũ retulit ad gloriã reſurrectionis Chriſti in hæc verba. Vel orabat, vt id quod ex tẽpore erat, gloriã eius, qui ſine tẽpore eſt, claritatis acciperet, vt in Dei virtutẽ & ſpiritus, incorruptionẽ transformata carnis corruptio abſorberetur. *Super terrã.* Quia in cælo Deus eſt manifeſtus beatis, ideo nõ eget quod à quoquã clarificetur, qui per ſe eſt clariſsimus omnibus beatis. Antequã mundus fieret: Græcè, eſſet, etſi Irenęus nõ legit eſſet, ſed fieret, vt dudum indicabã. ¶ Fuge cõmẽtum friuolum Origeniſtarum animã delirantium Ieſu præceſsiſſe corpus eius, ideo claritatẽ habuiſſe apud Deum antequã mundus fieret. Nõ enim loquitur Chr̃us de anima, ſed de ſe ipſo, vt homo erat, vt iam diximus. Nãq; orat vt homo, & ſibi vt homini hãc claritatẽ petit. Et eſt hęreſis aſſeuerare animã dñi prędfuiſſe corpori, itẽq; de alijs animabus vt in concilio Calcedonẽſi præſcribitur. *Manifeſtaui nomen tuũ hominibus, quos dediſti mihi.* Elucidat quod paulo ante dixerat, clarificaui te ſuper terrã, quippe manifeſtum fecit nomen patris, quod

Spiritus ſanctus eſt nexus patris & filij.

reconditum erat. Cognoscebant sanè Iudæi Deum imò & gentes Deum esse patrem essentialiter omnium hominum ad Roma. 1. Et notus in Iudæa Deus, at nesciebant esse patrẽ personaliter Christi. Non autem manifestauit omnibus, sed apostolis, & discipulis, quos illi pater donauit, vt per hos diuulgaretur fides sanctæ Trinitatis in vniuerso mundo. Erant autem apostoli ante vocationem apostolicam, homines de mundo, vt cæteri: ideoque ignorantes mysteria Dei, vt cæteri, & peccatores, vt cæteri: ideo ait, *Quos dedisti mihi de mundo.* Hæsitat Augustinus de quibus hominibus hic sermo taxatur, nũ de solis apostolis? At hæc non erat magna manifestatio ad 11. 12. apostolos: si de omnibus credentibus at Christus non manifestauit omnibus. Ideo credit Augustinus præteritũ vsurpatum pro futuro: Manifestaui, pro manifestabo. Verũ manifestatio facta apostolis à Christo, virtualiter erat manifestatio facta omnibus hominibus, quia in omnem terram exiuit sonus eorum &c. *Tui erant & tu eos mihi dedisti.* Apostoli, vt cæteri homines erant Dei per creationẽ, at verò pater eos elegit ante mundi conditionem, vt ex tempore essent Christi apostoli. Et ab ipso Christo, vt Deo, itẽ sunt ęterno electi, vt essent sui apostoli, & discipuli: sed loquitur modo secundũ naturam assumptam: vnde supra dixerat: Nõ vos me elegistis sed ego elegivos *Et sermonem meum seruauerunt* Græce *sermonẽ tuum.* Aug. Beda, & Theo. & Cyrillus tuum legunt. Christus autem, doctrinã, & mãdata sua, iam sua esse testatur, iam patris mandata, vt supra ostensum est. Etenim cum vna eademq; doctrina sit, & quã filius docebat & quã pater per filium docebat. Et quod filius iubebat & pater per filium iubebat ideo omnia cõgruũt, siue legamus sermonem tuum, siue sermonem meum. *Nunc cognouerũt, quia omnia, quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi dedisti eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.* Refert Theophi. quosdã legere hunc locum. Nunc cognoui ἐγνωκα, & non vt legimus cognouerunt. Et absurdam credit & merito hãc lectionẽ. Etenim ex lectione hac, consequens esset, Christum hactenus fuisse ignorantẽ, quod omnia quæ habebant erant patris, id quod hæreticum esset asserere: ideo lectio probanda est, Nunc cognouerunt, Idest, apostoli mei hoc tempore credide runt me tibi per omnia esse concordem, & in nullo aduersarium. Quia testatus sum, meam doctrinam, & miracula à te esse. Vnde dixerat supra, Ego à me ipso non loquor. 14. & mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me Ioan. 7. patris Et non veni vt faciam voluntatem meã, sed eius, qui misit me patris, &c. Ioan. 5. & 6. Semper igitur fassus est Christus quod omnia, quæ habebat patris erant. Ideo subiecit hoc, apostoli & discipuli, quos non rapui, sed ex tuo dono accepi cognouerũt. Quia crediderũt, quod ego non me intrusi, neq; violẽter aut fraudulenter me inieci in Messiæ honorem, sed quod tu me misisti, & ex autoritate tua, & mandato tuo, sum Christus missus in orbem. Hęc oratio Christi, quia est secũdum naturam humanam, omnia ad eam sunt referenda. Siquidem Christi humanitas habuit omnia ex gratia vnionis hypostaticæ, quæ quia non potest cadere sub merito, ideò sæpe repetit verbũ, dedisti, vt supra dicebamus. ¶ Primo autẽ dixit cognouerũt verè, dein ait, crediderunt, sed non ait, verè: verum intelligendum est hoc loco etiam vere. Quippe verè cognoscere, est cognoscere per fidem, si quidem per creaturas nõ possumus verè cognoscere quæ fidei sunt, sed solũ per fidem, & qui per fidem cognoscit, ille vere cognoscit, & verè credendo, verè etiá credit: quia eius vera cognitio, non est aliud quã vera credulitas. ¶ At dicet aliquis, Vere credere est stabiliter credere, at apostoli relicto domino, fugerunt sub eius morte. Non ergo tũc vere credebãt: quamuis enim credebant, quia supra. 16 ipsi confessi sunt fidem dicentes, In hoc credimus, quia à Deo existi &c. at verò non stabilem tunc habuerũt fidẽ. Enim vero dñs eos carpit de incredulitate dicens, ò stulti & tardi corde ad credendũ. Et Thomæ ait, Infer digitum tuum, &c. & noli esse incredulus, sed fidelis. Quocirca quod dominus ait, nunc crediderunt, nõ est intelligendũ quod eo temporis articulo stabilem habuissent fidem: sed refertur secundum Augustinum ad tempus futurum aduentus Spiritus sancti

Vere credere bifariã accidit.

sancti, quando stabilem, & firmissimam habuerunt fidem. Nisi velis dicere vere credere bifariam contingere, aut ex parte obiecti, quia vera credit, aut ex parte modi, quia constanter credit. Apostoli igitur verè tunc credebant ex parte obiecti, non ex parte modi. Augustinus autem per verè credere, intellexit, perfectè credere, ideſt, stabiliter credere. Ideoque retulit verbum domini ad tempus futurum, vt alia quæ supra sunt commemorata. *A te exiui.* Referri potest, ad æternam processionem à patre, aut ad temporalem missionem, si ad tẽporalem missionem idem sunt hęc duo, exire à patre, & mitti à patre. Si ad æternam generationem referas, aliud est exire à patre, & aliud mitti, quia hoc temporale, illud est æternum. *Ego pro eis rogo non pro mundo rogo, sed pro illis, quos dedisti.* Postquam fidem apostolorum, & obedientiam ad sermones Christi, & patris commẽdauerat, subiecit orationem pro apostolis dicens. Ego pro eis rogo, & vt charitatem Christus suam erga suos apostolos magis commendabilem faceret subiecit, non pro mundo rogo. Mundus hoc loco capitur vt Ioan. 1. In mundo erat, & mũdus eum nõ cognouit: id est, mundani homines, qui terrena sapiũt, & nõ cęlestia quia sapientia eorũ animalis est. Pro istis ait, se non rogare patrem.

¶Sed quid, ait aliquis, nonne multi mũdani sunt conuersi ad fidem euangelij, vt constat de omnibus gentibus, quæ relinquentes idola amplexæ sunt euangelium. Et dominus pro crucifixoribus exoranit, qui mundani erant, & quotidie peccatores conuertuntur ad obedientiã mandatorum Dei. Et certum est hos omnes propter Christi preces cõuersos fuisse. Quid ergo est quod ait modo, non se rogare pro mundo. Vtique sunt mundani, qui negligentes mundum cęlestia sequuntur, qui ex mundanis fiunt cælestes, ex peccatoribus redduntur iusti: & pro istis precatus est Christus.

¶Sunt verò mundani alij, qui mundum amantes pluris faciunt mundana, quam cælestia, & in amore mũdanorum diem claudunt extremum, & pro istis non rogauit Christus. Quoniam si rogasset patrem rogationes Christi, quia erant vnigeniti dilecti à patre, omnes fuerunt efficaces: ideo conuerterentur ad Deum huiusmodi mũdani, si Christus pro illis rogaret. Sed ais. Cur ergo non rogauit pro istis si quidem vult omnes homines saluos fieri? Vtique, quia rogare est diuinæ misericordiæ, vt nõ rogare diuinæ est iustitię. Rogando igitur pro nonnullis mũdanis, vt mundum spernerent, misericordiam suam erga illos exercuit, & non rogando pro alijs mundanis, iustitiam suã explenit. Namq; digni sunt omnes homines, vt pro illis non rogetur à Christo quia omnes inimici concepti sumus Dei ideoq; indigni sumus Dei misericordia, & digni diuina ira. Quo circa, quorum vult miseretur, & quorũ non vult nõ miseretur, ad Rom. 9. Sed rogat pro vasis misericordiæ & non rogat pro vasis iræ. Vasa igitur misericordiæ sunt data à patre Christo. Patris erant hæc vasa misericordiæ, quia ab æterno sunt electi ante mũdi constitutionem, & dati sunt Christo, vt homini ex tempore, vt per sanguinẽ suum eos redimeret, & per sacramenta sua, eos introduceret in cælestem patriã. Est igitur Christus, per quẽ electio omnium sanctorum deducitur in suum effectum, cooperãtibus ipsis electis. Omnes igitur electi sunt Dei per electionem, & per creationem: sunt autem Christi per redemptionem. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Legimus Lucæ. 10. Patrem dixisse maiori natu filio, Fili omnia mea tua sunt: at verò, aliter quæ sunt Dei patris, sunt electorum, aliter Christi. Christus enim, vt Deus est, habet diuinitatẽ à patre: & omnia quę sunt patris essẽtialia habet, ex æterna generatione. Et pater habet omnia essentialia, quæ sunt filij, non ex emanatione à filio, quia pater à nullo emanat, sed est principium emanationis vniuersæ. At ex identitate naturę diuinæ, quæ est in S. Triade, necesse est quod essentialia omnia, quæ sunt in patre, sint in filio & sancto Spiritu, & quę in filio, & Spũ sancto, sint in patre. Beati autem non hoc modo habent quæ sunt Dei, sed solum ex Dei dono, quia facti sunt hęredes Dei, ad Rom. 8. Hęredes igitur cũ sint Dei, & cohæredes Christi, in Deo & in Christo vniuersa quę sunt Dei possident. Si autem Christus consideretur, vt homo, oẽs homines, qui sunt Dei per creationẽ, & si agatur de electis sunt

Cur Christus pro quibusdã rogat & pro alijs non rogat.

Dei per electionē, sunt etiā Christi per redemptionē. Vnde ait, Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & alias oues habeo, &c. Ioan. 10. Verum reprobi homines qui sunt Dei etiam per creationem, sunt etiam Christo subditi, secundum iudicium: quia vniuersos homines iudicaturus est Christus. Matth. 25. *Et clarificatus sum in eis.* Hoc est glorificatus sum per apostolos, & discipulos, quos dedisti mihi. Hæc verba referenda sunt ad futurum tempus, hoc est, Mox post ascensionem meam, glorificandus sum per eos. Nam continuo post acceptum Spiritum sanctum, apostoli euulgarunt gloriosissimè Christum, vt actorū historia demonstrat. Pater ergo clarificauit filium, & filius patrem, & apostoli filium, & patrem, & Spiritum sanctum. Prædicauerunt enim apostoli S. Triadis mysterium, & baptizabant in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, & sanguinem suum fuderunt pro Christo. *Et iam non sum in mundo, & hi in mūdo sunt, & ego ad te venio.* Ait se iam non esse in mūdo, quia erat in via proxima ad mortem crucis, & quod proximè est, vt fiat, reputatur factum. Vt viantes, cum sunt proximi vrbibus vel locis, in quos profi ciscuntur, aiunt se iam esse in vrbe, vel loco in quem tendunt. Quare dominus se dicit non esse in mundo, quia proximus erat dies, quo esset resuscitandus à mortuis. Et resuscitatus à mortuis iam non erat in mundo, quia immortalis erat, & mundus mortalium est. Neque iam erat visibilis, vt reliqui homines: neque vllo cibo aut potu egebat: & demū resuscitatus, prorsus erat cōprehensor & nullatenus viator. Verum apostolos relinquebat in mundo: ideo ait, Et hi, in mundo sunt. Hoc est, Ego relinquo mūdum, & hos meos quos mihi dedisti relinquo in mūdo, subdendos mundi pressuris, & persecutionibus. Quapropter quia in mundo relinquo eos non ad voluptates seculi vel honores, vel diuitias assequendas, sed iuctibus, & aduersitatibus experiendis mundanis eos expono, tu eos serua. Ego namq; ad te venio. Quia ad te iam proficiscor, vt fruar vita immortali & mortalitatem meæ carnis deponā. *Pater sancte serua eos in nomine tuo.* Dixerat, Hi in mundo sunt, ideſt, in mū do relinquo eos, ideo concinne subditur, pater sancte serua eos: serua eos, ne acti seculi procelis & tēpestatibus in profundum earum submergātur. Sed serua eos, vt vniuersa seculi mala sua patientia superent, & tua gratia omnem tyrānidem hominum proculcēt, vt ita demum euangelij mei gloria per illos cunctis hominibus claresca. Serua in nomine tuo, hoc est serua eos per nomen tuum, quia tu pater eorum es: per adoptionem enim isti sunt filij tui, serua eos, quia tu amas eos, quia ipsi me amarunt. Serua eos, siquidem eos dedisti mihi: non tamen vt perdantur dedisti, sed vt seruentur sempiterno. Tu es pater sancte, quia es tu fons totius sanctitatis, ideo serua eos sanctificando semper eos. *Vt sint vnum, sicut & nos.* Confunditur Sabellius credens, non esse Trinitatem realē personarum in Deo sed solum nominum esse Trinitatem? Si nominum est hæc Trinitas, cur ergo ait. *Sicut & nos.* Pronomen enim nos realem denotat pluralitatē patris, & filij. At huic etiam insultabat Arrius filium non esse eiusdem substantiæ diuinæ cum patre garriens, quippe solum videtur vnitas insinuari voluntatis: quandoquidem apostolis petit Christus non vnitatem naturæ, quam habebant ex natura, sed vnitatē voluntatis, videlicet animorum cōcordiam. Ergo cum ait, Sicut & nos, hanc solam concordiam cum patre videtur insinuare: cui respondetur imo vtramque significari, & naturæ, & animi. Namque sensus est. *Sicut & nos.* Ideſt sicut ego, & tu pater sumus vnum natura, & vnum voluntate sic apostolis meis, atque discipulis, iam ex se habentibus vnitatem naturæ, quia sunt homines dona, vt quam vnitatem habent ex natura, eandem vnitatem assequantur, ex animorum consensu. Neque est necessarium, aduerbium, sicut, per omnia, denotare similitudinem, sed sufficit, quo ad quædam eam denotare. Quia ergo dixerat, Serua eos in nomine tuo, & seruari nequeunt, nisi sint concordes, quia omne regnum in se diuisum desolabitur Matth. 12. ideo subiecit orationem, petentem concordem consensum apostolorum, discipulorumque vnitatem fidei & charitatis. Et hoc fuit studium in primis apostolorum, charitatis vnitatē tem

Sabellius & Arrius cōfunduntur.

per

per commendare fidelibus, & schismata vituperare. 1. Corin. 1. *Cum essem cum eis, ego seruabam eos.* Ideſt, cum viuebam vita mortali, ego verbo docens, & miraculis eos erudiens, ego seruabam eos, vt gallina congregat pullos sub alas suas. Matth. 23. *Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo.* Quid est seruabã eos in nomine tuo? ideſt ex tua authoritate: loquitur enim Christus modo, tanquam homo. Nanque tanquam Deus, ipse etiam seruabat apostolos sua authoritate, & non indigebat oratione ad patrẽ: quia seruante patre, seruabat filius, opera enim Trinitatis ad extra sunt communia. Dirigitur autem oratio ad patrem, & non ad Spiritum sanctum, quia pater, vt sæpe prædiximus, principium est in beata Trinitate. Cæterum etsi non meminerit modo Spiritus sancti, persona Spiritus sancti non excluditur, vt supra commemorabam. Et post resurrectionem Dominus apertè indicabit Spiritum sanctũ esse ęqualem patri & filio, dicens, Ite docete omnes gentes baptizantes in nomine patris, & filij & Spiritus sancti. Et cap. 17. docuerat diuinitatem Spiritus sancti, dicens, Quia de meo accipiet: quibus verbis simul etiam denotatur processio â filio. *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis: vt scriptura impleatur.* Supra. 13. hæc exposita dedimus, siquidem in psalmis. 40. & 108. & sæpè aliâs de Iuda multa prodita sunt. Hoc autem videtur insinuare Dominus, Tu pater hos custodi discipulos meos ne pereant, quia ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditus. Et quia custodia Christi eos custodierat, precatur vt custodia patris, eosdem seruet. Sed quid compertum erat Christo, patrem seruaturum apostolos, & discipulos, cur ergo tam solicite hoc obtinere à patre curat? Et quid, nonne dixerat paulo ante, Pater amat vos, quia vos me amatis, Si ergo amabat, seruaturus erat? ¶ Ad hæc supra. 10. Nemo rapiet eas de manu mea, si igitur Christi oues nemo rapiet de Christi præsidio, cur modo hoc idem erat?

Christi oratio cur ad patrem refertur & non ad Spiritum sanctum.

¶ Rursus non solum Iudas Scariotes, sed & multi alij discipuli perierunt, Ioan. 6. Multi audiẽtes verba Domini, caro mea verè est cibus, &c. Abierunt retrorsum.

¶ Dicito Christo compertissimum fuisse apostolos seruandos à patre: at etiam exploratissimum eidem erat seruandos intercedente eius oratione. Secundo dices verba illa esse intelligenda quantum erat ex parte ęternę electionis, nemo potest capere prædestinatos ad vitam ex manu Dei: at quantum est ex parte libere nostræ voluntatis, quæ flexibilis est, ad bonum, & malum rapi possunt prædestinati, vt in. 1. Sententiarum disseruimus. Tertio dices, modo sermonem haberi de apostolico collegio, & nemo ex illo collegio perijt, nisi solus Iscariotes ille. De aliorum verò numero discipulorum, alij etiam perierunt. Memineris verbulum, vt, nõ significare causam hoc & alijs plerisque locis, sed solum consequentiam. *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium impletum in se ipsis.* Ideſt in via iam sum, vt ad te vadam pater, quia iam iam sum moriturus & paulo post resurrecturus, ideoque ante mortem meam hæc loquor in mundo: hæc loquor modo circundatus carne mortali, & passibili, qualis est humana caro, quæ in mundo versatur. Hæc loquor mortalis, & mortalibus, discipulis meis, vt ipsi consolentur ex verbis meis, quæ planè summæ sunt consolationis, quando quidem ipsi aduertunt quanto amore in eos ferar: siquidem instante discessu meo, angor ex illorum cura, & solicito patrem meum meis precibus pro illorum firma fide & charitate, ne deficiant in laboribus, quos laturi sunt propter me: sed fixi, & immobiles perseuerent, vnde illis hoc erit internum solatium, quod solatur, si non corpora certe mentes eorum.

Prædestinati ex parte prædestinationis non possunt perire, at ex parte proprij arbitrij possunt.

¶ Tu considera ex hac Christi oratione, quam verisimè colligi hominis liberũ esse arbitrium. Quorsum enim orabat Christus pro apostolis, & tam anxia, seu solicita oratione, si nullum est liberum arbitrium? si solum esset titulare, vt nugatur Lutherus, quorsum Christus orat? *Gaudium meum.* Gaudium Christi, vt hominis erat, quod apostoli essent firmi, & stabiles in fide, & amore eius. Et ob hoc patrem sedulo precatur, vt eos seruet. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Sermo Christi, est

Liberum arbitrium contra inficiantes constituitur.

doctrina Christi: hanc autem doctrinam Christus docuit apostolos suos, & ipsi sectabantur euangelicam Christi doctrinam. At verò euangelica doctrina habet in hostes mũdum, quẽ despiciẽdum docet, & cum carnalibus desiderijs esse purgandum, admonet: & tandem diabolicas retegit technas. Et non solum hæc docet esse fugienda, sed aduersus hæc omnia, nos armat, vt ea vincamus. Necesse est igitur, non solum apostolos, sed alios euangelicos viros odio esse habendos, à mundanis hominibus. Verum hoc odio fuerunt in primis persecuti apostoli Domini, tanquam euangelicæ doctrinæ primarij doctores, ob hancque causam, Dominus velut eam allegans coram patre, petit quod pater seruet apostolos: quia cum odio habuerit eos mundus, necesse est quod mundus, caro, diabolus in eos excitent bella, & moueant arma sua. Quocirca ij, qui mundanis sunt destituti præsidijs propter Dei euangelium, & propter Dei asserendam veritatem, expedit vt cœlestibus foueantur auxilijs, siquidem iam nõ propriam, sed Dei agebant causam. Quod verò ait, *Non sunt de mundo*, videtur pugnare cum eo quod dudum dixerat, de mundo erant. At nulla est pugnantia, siquidem ante electionẽ apostolicam de mundo erant, vt cæteri, post vocationem vero non erant iam de mundo: quia ex Christi doctrina, iam nouerant mundum esse despiciendum. At dices, Quid ergo cum facta est dissensio inter eos, quis eorum videretur esse maior, Lucæ. 22. nonne mundana sapiebant? Et quando relicto Domino fugerunt? Dicito apostolos mundatos fuisse à Christo Ioan. 13. Iam vos mundi estis: ideo quia mundi erant ex Christi sermone iam non erant de mundo. At verò, quia paulatim fuerunt prouecti ad summum perfectionis culmen apostoli, ideo non continuo fuerunt perfecti ab apostolatu. Qua propter ante aductum Spiritus sancti, quanuis, quatenus erant iam mundi, non erant de mũdo, at vero quia adhuc docente Domino, qui lotus erat, non indigebat nisi lotione pedum, ideo pedes apostolici, siue affectiones quędã eorum mundanæ nondũ purgatę erant, secundum quas adhuc nonnihil mundi illis hærebat: tametsi quo ad pręcipua, scilicet, conscientiæ mundationem non erant de mundo.

Collisio apparens soluitur.

Apostoli nõ repente fuerunt promoti ad perfectionis culmen.

¶ Secundo dices, ex occasione vehementi, scilicet, ex mortis timore apostolos amisisse tempore breui, mundationem, scilicet, sub triduo mortis Christi: at verò breuiter fuerunt reparati ad Dei amicitiam. Quippe resurgens Christus eos confirmauit in fide, & in amore suo stabiliuit. Et missso Spiritu sancto cœlitus prorsus mundani non erant apostoli, sed viri cœlestes: & degentes in carne, carnem non sapiebant, & vitam agentes in hoc mundo, mundum nõ agnoscebant: quia angelicam vitam ducebant. Propterea ergo Dominus ait, apostolos nõ fuisse de mundo.

Apostoli post quam mundati sunt, etiam non nihil terrenę affectionis habuerũt.

¶ Verum similitudo subiecta non tenet quo ad omnia, scilicet, Sicut ego nõ sum de mundo, sicut neque prior similitudo, sicut & nos vnũ sumus. Enimuero Christus verè nunquam fuit de mundo, quia peccare non potuit: at verò apostoli peccare potuerunt, & peccauerunt. Christus fuit conceptus de Spiritu sancto, nõ intercedente virili opera, ideo fuit supra leges naturæ conceptus, & natus: at apostoli secundum naturæ leges, & concepti, & nati, natiuam habebant ad peccandum propensionem, vt cæteri homines habebant. Erat sanè Christus in mundo, at non de mundo, sed supra mundum, quia mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: apostoli verò erant de mundo, sed non supra mundum, sed sub mundo, vt cæteri homines: donec is, qui erat in mundo, & supra mũdum, eos fecit esse mundo superiores. *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Quià dixerat apostolos non esse de mundo, ne opinarentur apostoli, eos iam iam auferendos è mundo, subdit modo, non se rogare patrem, vt apostoli de medio tollantur, sed quod eripiantur à malo. Est autem eripi à malo hoc loco, eripi ab omni malo spirituali. Non enim Dominus rogabat patrem, vt apostoli non subderentur temporalibus malis, quibus maximè fuerunt affecti vsq; ad mortis tolerantiam pro Christo: sed oratio Domini hoc intendit, ne mala hæc temporalia apostolicas mentes labefactarent, neve alia mala spiritualia eos subuerterent.

Similitudines nõ quoad omnia sunt similitudines.

¶ In

¶In oratione quoq; dominica, hoc Dominus docet orandum, vt liberemur à malo, à corporali malo, videlicet, & maximè ab spirituali malo, quod est ne subdamur peccato. *De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.* Quasi dixisset apertius, Egent pater sancte discipuli mei tuo cœlesti præsidio, quia cum ipsi non sint consentientes mũdanis hominibus, imò illis prorsus contrarij, ideo aduersus mundanorum potentiam, & fraudẽ egent tuo cœlesti auxilio. Non enim sunt pugnaturi contra mundum exercitibus peditum, aut equorum, aut bellicorum armorum pompa instructi, sed solum muniti diuino tuo auxilio, & virtute suffulti. *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.* Petierat dudum, vt eriperentur à malo apostoli, nunc vero petit, vt confirmentur in bono, dicens, *Sanctifica eos.* Verbum autẽ hoc, sanctifico, multis abundat significationibus, quas supra commemorabam. Iam enim significat aliquid dedicare, & deo consecrare: vnde & templũ ob hoc sanctificatur, quando diuinis explendis dicatur mysterijs: item vestes & vasa, ob hoc sancta dicuntur, quibus in diuinis celebrandis officijs ministri ecclesiæ vtuntur. Rursus sanctificatur, quod firmũ statuitur, hoc enim tanquam immobile ducitur: vnde leges sanctæ dicuntur, & vrbium mœnia sancta antiquis dicebantur. Rursus sanctum est, quod mundũ est à labe peccati. Sensus igitur est, sanctifica eos, confirmando eos in sanctitate, per spiritum, quem illis daturus tu es in die pentecostes: aut sanctifica eos, idest, eos tibi conserua, & dedicatos tibi vnicè habe, veluti ministros tuos tibi soli deuotos: aut sanctifica eos seruando semper in omni iustitia & veritate fidei catholicæ: vel sanctifica eos tãta sanctitatis copia, vt ex sua abundantia, in alios deriuetur euangelicæ doctrinę puritas, atque sanctitas. *In veritate.* Veritas alia est doctrinæ, alia vitæ. Petit Dominus vtranque veritatem apostolis. *Sermo tuus.* Explicat quod dudum dixerat, In veritate, dicens, sermo tuus veritas est. Vnde patebat apostolos sanctificari in sermone Christi, idest, quod cõfirmarentur in fidei veritate, & in sinceritate charitatis Christianæ. *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mundum.* Nondum miserat Christus apostolos in mundum, non enim eos misit, nisi postquam surrexit à mortuis, quando dixit, Ite in vniuersum mundum & docete omnes gentes baptizantes eas, &c. Verum, vt supra diximus & Augustinus tradit, familiare est Domino, vti præteritis pro futuris: & hoc prophetis etiã est admodum familiare. Sensus igitur est, Ego misi eos, idest proximè sum missurus. Et dictio, sicut, non denotat in omnibus similitudinem: nanque Christus mittitur à patre, tanquã vnigenitus suus filius: at vero Christus misit apostolos, vt suos ministros, & seruos. Rursus Christus non est missus nisi in Iudæorum regionem, Matth 15. quam hic vocat mundum, quia pars erat mundi: verum apostoli missi sunt in omnes partes mundi: in omnem enim terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. Psal. 17. *Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Sanctificauit se ipsum Christus pro apostolis, pro eis se offerens Deo, hostiã immaculatã Deo: non tamen ex hoc putes Christum se obtulisse pro apostolis solum, imo pro omnibus se se obtulit. Quia mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Verum locus hic eandem subit intelligentiam, quam ille alius, videlicet, hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur. Primo equidem meminit apostolorum, dicens sanguinem suum fundendum pro apostolis, & dein dixit pro multis. Hoc est ergo se sanctificare pro apostolis, quod sanguinem fundere pro ipsis primo, dein pro alijs omnibus fidelibus. Sunt nanque gradus, in hac sanctificatione: quia quibusdam applicauit magis merita sui sanguinis Christus, quam alijs: nanque quos ad maxima obeunda vocabat, & eligebat munera, eos participes abundantioris meriti sui voluit esse, quam alios, qui non ad tanta munera erant vocandi, ad quanta apostoli fuere vocati. Quia autem Christus se obtulit pro eis fundendo sanguinem suum, ideo apostoli sunt sanctificati in veritate. Nam hæc est vera sanctificatio, quæ est per sanguinem Christi, qui emundat nos ab operibus mortuis, idest, à peccatis: id quod sanguis hircorum,

Multifariam vsurpatur verbum sanctificare.

rum, aut taurorũ, aut cinis vitulæ aſperſus præſtare nequibant, ad Hebr. 9.

ENARRATIO. II. In caput decimumſeptimum.

Non pro eis rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

HActenus rogarat, pro patribus, & principibus eccleſiæ catholicæ, cuius caput ipſe erat. Et quia Rom. 8. primitias ſpiritus, teſtante Paulo, apoſtoli erant obtenturi, idcirco priorem partem orationis Chriſti ſibi vendicarunt. Iam vero orationis ſuæ vires extendit ad omnes venturos fideles, qui erant credituri Chriſto propter apoſtolicam prædicationem. Quippe hac oratione voluit demonſtrare ſe omnium fidelium geſsiſſe tunc curam, rogando patrem pro eis. Et propter hanc Chriſti orationem eccleſia catholica, perſeuerabit vſque in finem, inuiolatam ſeruans Chriſti fidem, & eius charitatẽ, tametſi acta multis ſeculi tempeſtatibus, at ſemper victrix erit: quia hęc eſt victoria quę vincit mundum fides noſtra. 1. Ioan. 5. Sed vide quid orat. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te.* Non eſt ſimilitudo hæc quo ad omnia, vt neque quæ hactenus enarratæ ſunt. Enimuerò pater eſt in filio, & filius in patre vt diximus. 14. cap. quia eadem diuinitas quæ eſt in patre, eſt diuinitas in filio, & contra. At verò hęc mutua diuinitatis inexiſtentia, non eſt inter Chriſtum & ſuos fideles. Eſt autem mutua inexiſtentia Chriſti in eccleſia, & huius in Chriſto non naturæ, ſed mutui amoris viciſſitudo, videlicet, quod Chriſtus ſit ſemper in cordibus fidelium per fidem veram & charitatem non fictam, & quod fideles ſint in Chriſto, per eadem, per quæ ipſe eſt in fidelibus. Fideles enim ſunt corpus myſticum Chriſti, cuius Chriſtus eſt caput. Hoc ergo Chriſtus precatur, vt homo patrem, vt ipſe ſemper regnet in eccleſia ſua, & quod eccleſia ſua nuſquam ab eo ſeparetur. *Et ipſi in nobis vnum ſint.* In nobis, ait, *Vnum ſint.* Non ait, quod ſint ipſi, idem quod nos ſumus, ſed quod ſint in nobis vnum. Sunt autem fideles in Deo vnum, quia idem credunt, idem amant, quod Chriſtus iuſsit credendum & amandum. Schiſmatici, igitur & hęretici, quippequi, ſcindũt vnitatem fidei, non ſunt in Chriſto vnum: quoniam non ſeruant vnitatem catholicæ fidei. *Vt credat mundus quia tu me miſiſti.* Si ſeruatur fides vna infidelibus, & nulla ſit diuiſio doctrinæ: ſed omnes fideles idem ſapiant, quod Chriſtus & apoſtoli voluerunt fideles ſapere, ſi non ſint ſchiſmata, & hæreſes, erit maxima comprobatio veritatis fidei, pax ſcilicet, & vnitas fidelium. Ideo ait, vt credat mundus, ideſt, qui viuunt in mundo fideles: non enim vſurpatur modo pro mundanis repugnantibus fidei, ſed pro hominibus recipientibus fidem. Quibus hoc erit non mediocre argumentum, vt comprobent & ament fidem Chriſti, ſi omnes Chriſtiani idem ſapiant. Et quidem ruina eccleſię hinc ſemper habuit ortum ex ſchiſmate Chriſtianorũ. Neq; falſus ille Mahometus ſceleſtus homo, plurimos pertraxit ad ſuã ſectam niſi ex hac ſchiſmatis occaſione, quæ ſuo tempore vigebat. Simplices enim fideles, quorum eſt maxima eccleſiæ pars, ob hoc fixi ſunt in fide recepta, quia aduertunt idem omnes ſapere fideles, & ſapientes, & inſipientes. Etenim ipſi alia argumenta expendere neſciunt, & ſolo hoc argumento ſibi applaudunt, ſoloq; hoc vno ſunt in fide ſtabiles, quod vident omnes credere, quæ ipſi credunt, & ſe credere quæ ab alijs credi aduertunt. At verò ſi diuiſionem viderint doctrinæ, quia aliunde neſciunt ſe corroborare in fide, continuo flacceſcunt. Quamobrem apoſtolus inſtanter obſecratur ſuos Corinthios, vt id ipſum dicant, & ſapiant omnes, & ſchiſmata vitent in religionis negotio. Imo in omni negocio diuiſio ſchiſmatis, mala grandia minatur niſi ſopiatur: quia omne regnũ in ſe diuiſum deſolabitur Matth. 12. At vero peſsimum ſchiſma religionis eſt, quia hanc diuiſionem cętera omnia mala diſcordiarum, & bellorum conſequuntur, vt Germanica fidei diuiſio, nobis claro eſt teſtimonio: ſiquidem hæc peperit Germanis, & alijs nationibus innumeras cædes hominum, implacabiles rebelliones, & atroces diſſenſiones. *Et ego clari-*

Ruina eccleſiæ ex ſchiſmate accipit ortum.

Schiſmata in religionis negocio ſunt peſsima.

claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Christus quatenus Deus, habet claritatem cognitionis infinitam: quippe hanc accepit à patre ab ęterno, accipiens diuinitatem. Hanc autem claritatem non dedit apostolis suis. Erāt enim incapaces huius claritatis: non solum ipsi, sed & omnes angeli. Hanc rursus claritatem habuit Christus priusquam homo esset priusquam verbum caro fieret. Quod si rogites, nunquid hic homo demōstrato Christo habuit semper hanc claritatem, an eam cœpit habere, quando cœpit esse verbum caro? Sunt qui putant hunc hominem, demonstrato Christo, cœpisse esse. Stabiliunt dogma hoc ex Augusti. homili. ad Ioan. 105. dicente, Priùs inquit, quam mundus esset, nec nos oramus, neque ipse mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Nos rem hanc differuimus ad longum in. 3. Senten. ideo breuiloquio vtentes, dicimus hunc hominem, demonstrato Christo esse ęternum & nunquam cœpisse: siquidem hic homo supponit pro persona hac, quæ habet hanc humanitatem. Et hæc est Arriana hæresis affirmare, quod hæc persona, quæ habet hanc humanitatem cœpit esse: imo æterna est: quia verbum Dei est. Tametsi hæc humanitas cœpit esse, persona tamen habens hanc humanitatem non cœpit esse Augusti. intellige, non erat mediator vt homo. Est autem in Christo claritas cognitionis, quam habuit à Deo patre, vt homo, simul atque eius anima est infusa in beatissimum infantis corpusculum. Hęc autem cognitio fuit omnium rerum prę teritarum, præsentium, & futurarum. Hæc cognitio non est donata apostolis. Restat igitur, vt per claritatem hanc sub audiamus euangelicam doctrinam, quā Christus, vt homo à patre accepit, & â se ipso, vt Deus erat, & ab Spiritu sancto. Hanc autem doctrinam dedit apostolis suis, eos enim docuit euangelium suum: & iussit vt idem euangelium docerent orbem. Græcè, legimus, gloriam. Est autem gloria Christi gloria euangelij: quā ipse firmauit ore illud docens, & stabiliuit opere, miraculis attestans verbis suis. Hanc autem gloriam impartiuit Christus apostolis, siquidem prædicationem euangelij multis signis, & portentis constituerunt. Rursus sicut Christus, antequam publicitus euangelium prædicaret Spiritum sanctum habuit super ipsum descēdētem, Matt. 3. in specie colūbæ: ita & apostoli antequam præcones essent euangelij, imbuti fuerunt Spiritu sancto descendente super eos in die Pentecostes, Acto. 2. Quo fit, vt claritatem, quam habuit Christus, siue gloriam huiusmodi, communicauerit suis apostolis. Et sicut Helias olim dedit pallium suum discipulo suo Eliseo. 4. Reg. 2. ita quoque Dominus apostolicas mentes, sua induit spirituali claritate.

¶ Quod si obstrepuerit aliquis, fides euāgelica, dicens est admodum obscura, quî ergo vocat Christus doctrinam fidei claritatem? Vtique obscura est hæc doctrina nobis viatoribus, qui videmus diuina per speculum in ęnigmate. 1. Cor. 13. At verò beatis est longe clarissima. In origine igitur sua, est clara, quanuis in nos deriuata sit obscura. Aut dicito eam dici claram, non quia ipsa ex se clara est, sed propter maiestatem miraculorum, quibus fides nitet. Miracula enim clarissima fuerunt. *Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus quia tu me misisti: & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Ego in eis per fidem incontaminatam, & charitatem purissimam, & tu in me, per vnitatem diuinæ naturæ, & per vnitatē eiusdē voluntatis. Ideoq; me amātes te amabūt, & te amātes me amabunt: & amando me & te plures personas quidem amabunt, at vnum verum Deum amabunt. Vnde quod amabunt erit vnum: & ita erunt consummati & perfecti in amore vnius deitatis. Id quod aduertentes habitantes mundum, credent quod tu me misisti, & quod eos dilexisti, eos eligens ad tantum munus obeundum, quale est diuinam euulgare doctrinam, & euulgatam miraculis confirmare. Dilexit quoque Deus pater Christum, vt hominem, ad idem munus obeundum. Vnde etiam Christus à Paulo vocatur apostolus, in epist. ad Hebr. Verum multo sublimius est dilectus filius, quam apostoli. Quia Christus erat Dominus, & autor verbi quod prædicabat: apostoli ministri verbi dumtaxat: ideoque, dictio, sicut, similitudinem, nō

iden-

An hic homo demonstrato Christo cœpit habere claritatem à patre.

Anima Christi nouit clarè omnia ab instanti suæ conceptionis

Qualem claritatem Christus dederit suis discipulis.

identitatem, vt sæpe alibi, ita & modo significat. *Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Hoc item adiecit Christus suæ orationi, ad abundans solatium apostolorum. Quasi dixisset, Ne deijciamini, neque animum deponatis ò apostoli mei in tentationibus vestris putantes, meo iam aspectu non amplius esse fruituros. Imo hoc peto patrẽ, vt postquam ascendero cœlestia habitacula: ibi quoque sitis vos & permaneatis mecum, vt fidei vestræ, quam de me habetis reportetis dignam mercedẽ claræ visionis, videntes lumine glorię meã deitatem, & item videntes meam originem à patre, quam modo cernere non potestis. Et non solũ vobis erit hęc merces, sed omnibus meis, ministris Ioan. 12. *Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti: & notum feci eis, nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio qua dilexisti me, sit in eis.* Iudæi & gentes diuinitatem cognouerũt: at vero, cognouerunt eam, quo ad essentialia, non quo ad personalia. Sed Christus, qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis, Ioan. 1. siquidem patrem suum esse Deum, Christus manifestauit apostolis, & ante resurrectionem suam, & post resurrectionem suam, Ioã. 17. Apostoli autem fuerunt primi, quibus illuxit hoc arcanum gentibus docendum. Quia ergo post resurrectionem, adhuc clarius tantum arcanum reserauit apostolis suis, ideo dilectio apostolorum erga Christum fuit longe feruentior, quã prius fuerat, Quocirca ait, vt dilectio, qua me dilexisti, subaudi, ab ęterno sit in eis: idest, precor, vt sint compotes dilectionis ęternæ, ex qua me dilexisti. Fiũt autem compotes homines iusti huius dilectionis, quandoquidem Deus eis impartit munera suæ gratiæ. Fuit autem dilectus Christus quatenus homo ad vnitatem hypostaticam: & hac dilectione non sunt dilecti apostoli. Fuit etiam dilectus secũdum quod missus est à Deo, vt euangelizaret Dei verbum, & miraculis confirmaret: & hac dilectione fuerunt dilecti apostoli. Supra autem dixerat patrem sanctum, modo eundem vocat iustum. Sanctum sanè vt potè sanctificãtem, iustum verò, quia iustus Dominus, & iustitias dilexit. Erat iustum, vt pater exaudiret Christi preces. Aut vocat iustum, quia quod mundani homines, quos intellexit modo per mundum non cognouerint patrem, iustitiæ fuit diuinæ, quæ hoc supplicio peccatum eorum affecit. Iudæi enim hac ignorantia sunt affecti in pœnam suæ contumaciæ contra Christum: ideo excæcauit eos malitia eorum, & de cæcitate supra 12. Ioan. meminit.

Clara visio diuinitatis Christi est merces sanctorum.

¶Fuit autem diuinæ misericordię, quod apostoli cognouissent patrem, & quem misit Iesum Christum. Dices fortasis, Cur orat Dominus, Vbi sum ego, ibi sint mecum, siquidem Christus quando hæc aiebat, in terra agebat? at non hoc orabat, vt in terra agerẽt apostoli, sed in cœlo. ¶Scito verba Domini posse referri ad diuinitatẽ, & ad humanitatem seruatoris. Si ad diuinitatẽ, cum diuinitas sit vbique, difficilis efficitur sensus: nanque non petit Dominus, vt apostoli sint omnia implẽtes, vt Deus implet. At verò, quia tametsi Deus est vbique, at solũ in cœlo prædicatur esse: vnde illud, Pater noster qui es in cælis, ideo hoc orabat Dominus, vt apostoli essent vbi sua diuinitas ostendebatur aperta manifestatione. Si vero ad humanitatẽ referas, sensus est, Vbi sum ego, ideſt, paulo post sum futurus, quia non longe post ascensurus erat in ęthera sunt ipsi. Verum duo notanda in verbis Domini sunt. Primo enim ait, Vt vbi ego sum sint mecum, dein, vt videant claritatem meam. Esse autem cum Christo, est esse simul cum Christo, & gaudere simul cum Christo: videre autem claritatem Christi, est finis huius cohabitationis cum Christo.

MORALIA.

¶*Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deũ verum, & quẽ misisti Iesum Christum.*

MVltifariam Deum cognosci posse ab humanis mentibus, scrutanti diuina oracula, continuo sublucebit. Etenim est alia cognitio Dei naturalis, quam ipsa mentis natura ex suo vernaculo suppeditat lumine. Alia

Quatuor genera diuinæ cognitionis.

Alia autem est, quæ miraculosa est, viatrix tamen, quia viatoribus impartita est cognitio. Demum postrema est, quæ omnem naturam, omnem fidem, omneque superat miraculum, quia super miraculosa est.

¶Prima hārum cognitionum diuinarū, est naturalis, ex eo iusto nomine nuncupatur, quia ex lumine naturali mentis humanæ panditur, ad Rom. 1. Inuisibilia Dei, &c. & ob hanc causam Paulus vehementer obiurgat philosophos, quia cum Deum hac natiua cognitione cognouissent, non sicut Deum honorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Propter eandem quoque causam Sapientię. 13. idololatras carpit: siquidem ex magnitudine speciei creaturæ poterat creator earum cognoscibiliter videri. Et nihilominus, ad creaturas retulerunt diuinos honores, spreto creatore. Cognitio autem fidei est cognitio multo superior, quam commemorata. Quippe naturale lumen, est inferius ad lumē fidei, q̄ est supernaturale lumen. Fides nanque est Dei supernaturale donum. Quamobrem, hoc fidei lumen pleraque demonstrat, quæ naturæ lumen nescit. Trinitas nanque personarum in essentiæ diuinæ vnitate, humani generis per Christum redemptio, sacramentorumque virtus, & alia hoc genus diuina, fides docet quæ natiua cognitio diuinorum assequitur minimè. Quinimo Deum esse creatorem omnium fides docet, non natura. Enimuero etsi Plato, ex chao dixerit à Deo mundum esse factū, at verò ex nihilo non asseruit esse creatum: id quod fides prædicat, philosophos ridens, qui omnes exterrebantur ex dogmate hoc, quod ex nihilo aliquid possit fieri, vt Aristoteles testatur philosophorum facile princeps.

¶Neque solum lūmen fidei plura docet, quam lumen naturale, quin etiam multo certius omnia docet: siquidem fides diuina fulcitur Dei authoritate docentis. At natiua cognitio solum naturali ratione roboratur. Diuina autem authoritas infallibilis est, neque enim fallit, aut fallitur, aut falli, aut fallere potest. Humana verò ratio falli & fallere potest. Adhęc fides, communē habet doctrinā, nā ad sapiētes, & insipientes: verum diuinorum doctrina, quam ratio naturalis subministrat, est admodum operosa, acutissimas exigens mentes, obtusasque fugiens: vnde sapientum est hæc cognitio, non insipientum: fides autem omnes instruit, sine multo negotio, & sapientes, & insipientes.

¶Et ea, quæ ipsa natura docet, per creaturas cognoscere creatorem, quia cœli enarrāt gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, hæc eadē fides docet per diuinas scripturas, multo breuiùs, multoque certius, & multo fructuosius.

¶Porrò hæc fidei cognitio: quanuis sit supernaturalis, at non est miraculosa: quippe miraculum est actio supernaturalis, & insolita, siue rarissima: cognitio autem fidei est frequentissima, & non rarissima: quoniam omnes fideles ea potiuntur. Et omni homini volenti fidem habere, à Deo conceditur: per sacramentum enim baptismi datur hominibus regeneratio, quæ non potest obtineri nisi fides adsit, quam ipse donat baptismus.

¶Est igitur alia cognitio Dei in vita hac mortali, quæ est miraculosa, & non solū supernaturalis. Hanc habuerunt pastores illi, quos circumfulsit claritas Dei docente eos angelo Christi natalia. Luc̨. 2. Hanc habuerunt Magi, qui ducti miraculosa stella venerunt ad adorandū Christū: si quidem hæc cognitio diuinitatis Christi, magni fuit miraculi.

¶Vnde & manifestatio hæc facta Magis vocatur ob hoc Epiphania Domini, idest, superna quædam, atque sublimis manifestatio Dei. Quanuis, vt hoc obiter annotem, dixerit forsan aliquis cur vocatur hæc manifestatio facta Magis superna, cū sublimior videatur fuisse facta pastoribus, quos angelus erudiuit in cognoscendo Domino: at angelus excellentior est quam stella. Porrò, scito, ne te iste scrupus angat, maioris gratiæ esse, fauere inimicis, quam amicis. Populus autem Iudaicus erat Dei tunc populus, & Deo gratus: at natio gentium non erat Dei populus, sed Deo infesta. Populus etiā Iudaicus quia amicus Dei erat lege diuina erat instructus, prophetas Dei habebat in doctores. Promisso illo cœlesti, de aduentu Christi, erat donatus: quibus omnibus erat destitutus

Prophetæ pastores, Magi Simeō, Anna prophetissa cognitionē Dei miraculosam assecuti sunt.

Gentium

Gentium genus. Quocirca quod angeli manifestarent Christi aduentum pastoribus videtur nonnihil continere iustitiæ. Quippe pastores illi populi Iudaici erãt, cui facta erat promissio de Messia, At vero quod gentibus, vt eas sibi conciliaret Deus manifestaretur in carne subsistens, fuit eximiæ misericordiæ manifestatio, & insignis doni, quod ducerentur ducatu stellæ ad adorandum Christum, vt olim per Oseam prædictũ fuerat. 2. Et vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam meam, dilectam meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, ad Rom. 9. Verum de his hactenus ad priora recurrat oratio. Dicebam autem esse quandam cognitionem, seu manifestationem Dei miraculosam, qualem habuerunt dudum commemorati, & item prophetæ Dei, per hanc miraculosam cognitionem fuerunt illustrati à Deo, vt viderent supernaturalia fidei Christianæ sacramenta. Demum est alia cognitio, quam supra commemorabam, quæ est super miraculosa. Hæc autem cognitio est beata cognitio, ideſt, visio clara diuinitatis, quæ mentem quam afficit, efficit beatam. Hæc autem cognitio excellit omnes naturæ vires. Natura enim siue humana, siue angelica, non potest ex se ipsa tantum leuari, vt Deum visione faciali videat. Quippe Deus est infinitæ essentiæ, ideoque superat omnem capacitatem creatam, nisi ab ipso Deo creata naturę rationalis capacitas roboretur ex lumine gloriæ, vt in tantum claritatis æternæ iubar possit aspicere, vt in. 4. Senten. ad finem, copiosius tradidimus. ¶Hanc autem cognitionem beatam Dei Theologi vetustiores per illapsum quẽdam celebrari memoriæ prodiderunt, videlicet, quia diuina natura illabitur in mentes sanctorum. At verò quid, aut qualis sit hic illapsus, non facile dixerim. Est enim illabor, ideſt intus labor: intus autem labi est vel per quandã nouam intimationem substantiæ diuinæ esse in mente creata, vel est per quandam penetrationem ineffabilem, menti creatæ insinuari, aut qualiter celebretur, quis nouit? Videmus sanè nubes infusas radijs solis, apparere soles esse: in quem fortasse modum beati per illapsum hũc diuinæ naturæ, quæ sine lapsu illabitur in mentes sanctorum eas deificat, vt iam videantur dij esse, potius quam vel angeli vel homines. Non quod beatitudo naturam corrumpat, sed quia creaturam erigendo supra se maximè eam perficit. ¶Porrò neque exemplum nubis admodum æquabile est: siquidem solaris substantia, non intimatur intra nubem, sed radij solis duntaxat eam illustrant. At verò beatis mentibus diuina natura non per suos radios intimatur vel in mentes illabitur beatas, sed per se ipsam se ineffabiliter vnit mentibus beatis, tãquam species intelligibilis quædam infinita, vnde proles resultat beatæ visionis, vt vetustis quibusdam theologis arrisit, vt Alberto magno, Thomæ, Henrico Gandensi. ¶Viatorum autem Dei cognitio, quamquam sit aliquando miraculosa, nulli tamen viatorum accidit hæc cognitio per hunc illapsum, sed solum vnitur illis diuinitas per radios suæ viuificæ claritatis, eos illustrans non immediatè per suam essentiam, quemadmodum beatas mentes, sed illustrat per radios suæ diuinæ operationis.

Deus beatificat mẽtes per quendã ineffabilem illapsum.

¶Qua propter sola illa beata cognitio deificat mentes beatas: cæteræ non deificant. Quamobrem, non solum est hæc Dei cognitio supra totam naturam, sed supra omnem fidei cognitionem, & excellit omnem miraculosam cognitionẽ, qua vel prophetæ, vel quiuis alij sancti, dum in hoc exilio agebant, fulserunt. Omnes nanque relatæ diuinitatis cognitiones, nõ beatificant: nã nõ deificant habentes, sed sola illa, quæ vniuersas cognitiones excedit. Huius cognitionis maiestatẽ Ioan. 1. Ioan. 3. explicat dicẽs, Nondum apparuit quid erimus: cum apparuerit, similes ei erimus. Quid est similes Deo erimus. Vtique, quod erunt beati sicut quidam dij, vt nubes insolatæ, videntur lucere sicut Sol. Sanè tantisper dum hîc agitur, vel sanctissimi quique, non sunt similes Deo: imo valde dissimiles videntur. Deus enim impeccabilis est, at etiam sanctissimi in carne degentes mortali, peccabiles sunt: Deus est immortalis, ipsi vero mortales: Deus omniscius, ipsi vero multis tenentur ignorantijs: Deus omnipotens, ipsi vero admodum infirmi: demum Deus summè

Deus mentibus per se ipsum non per medias species se ostendit.

beatus

beatus ipsi vero omnibus obnoxij miserijs.

¶Porro cum apparuerit, cum se manifestauerit illis Deus, per apertam visionem tunc sancti erunt Deo quam simillimi: erunt enim tunc impeccabiles. Nanque videntes Deum, eo necessario fruentur: vnde necessario ex ipsa visione beata impeccabilitatem sibi conciliabunt. Beatitudo enim prorsus excludit hanc impeccabilitatem: est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus. Si autem peccabiles essent beati, peccati timor securitatem beatitudinis excuteret: at si non est securitas boni adepti, adeptio non est beata.

Qua ratione sancti in cœlo Deo efficientur quâ maximè simi les.

¶Ipsa igitur beatorum voluntas, quæ ex natura sua est peccabilis ex accedente beatitudine, transit in diuinam similitudinem, vt reddatur impeccabilis.

¶Adhæc beati erunt prorsus immortales: siquidem mortem primam, & secundam à se prorsus profligabunt. Erunt omniscij: quia videntes clarè diuinam naturam, in ipsa videbunt omnia, quæ suam beatitudinem spectant, dicente Gregor. Quid non vident, qui videntem omnia vident? Erunt quasi omnipotentes, quia beatus habet quid quid vult, & nihil male vult. Si viator adhuc existens Paulus, ad Philippenses. 4. se omnia posse gloriabatur in eo, qui eum confortabat, an non poterit magis nunc omnia, in eo, quem iam videt?

¶Et demum, Quia Apocalyp. 21. absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum suorum, quia priora transierunt, & noua facta sunt omnia: ideo rectè ait, cum apparuerit similes ei erimus: & quia modo non apparet, dissimiles sumus. Quocirca cognitio beata omnes facile superat alias cognitiones.

¶Ex istis non erit ambiguum intelligere verba indicata Domini. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &c. Enimuero non est vita æterna cognitio diuinitatis naturalis, qua potiuntur etiam infideles. Saraceni enim vnum Deum confitentur creatorem cœli, & terræ, & Iudæi item idem profitentur, quos alioqui non beatificat hæc cognitio. Nam si beatificasset, non dixisset apostolus, Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum honorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Adhæc damnati siue homines, siue angeli, Deũ cognoscunt esse vnum & trinum, & omnipotentem: at vbi est æterna damnatio, non est vestigium beatitudinis, ne dum ipsa beatitudo non erit. Quinimo Iacobus ait, dæmones credunt & contremiscunt. Si autem credunt dubio procul cognoscunt fidei mysteria, quę inuiti credunt: at verò perpetuo supplicio afficiuntur.

Cognitio Dei naturalis non est vita æterna.

¶Non ergo cognitio naturalis, est vita æterna: sed neque fidei cognitio est vita æterna: siquidem multi sunt fideles, qui peccatis subiacent, qui digni sunt morte æterna. Si autem digni sunt morte æterna, quomodo quæso habent vitam æternam? Valeant enim hæretici huius temporis, qui vitam æternam collocant in sola fidei cognitione, autumantes hanc vnam sufficere ad salutem, contra quos sæpe supra belligeratum est. Verum est tamen, quod ipsa cognitio fidei, si sit fœcunda, & non sterilis, est inchoatio vitæ æternæ, non tamen est ipsa vita æterna.

Fidei cognitio non est vita æterna.

¶Denique cognitio Dei miraculosa nõ est vita æterna. Hac nanque cognitione etiam possunt donari peccatores.

¶Quod si ea iusti donantur, inchoatam sortiuntur tunc vitam æternam, at non consummatam. Restat tandem vitam æternam consummatam esse in cognitione Dei super miraculosa, quæ est Dei clara visio, vt dudum exponebamus.

An beatitudo sit in mentis actione vel in affectu.

¶Iam vero se pandit quæstio detrita apud veteres, & recentiores theologos, an in actu voluntatis, scilicet, fruitione Dei, an in visione Dei vita æterna consistat. Rentur enim plerique theologi in sola visione reponendam beatitudinem ex hoc loco persuasi, Hæc est vita æterna vt cognoscant te, &c. Verum si locus hic librate expenditur, non absoluit intentum dogma: siquidem hoc loco, vt ex Ambrosio annotauimus

uimus libr. 2. officiorum, non solum actus indicatur intellectus, sed etiam actus voluntatis, sicut enarrationes ad hunc locum te docebunt. Et familiare quidem est scripturis cognoscendi verbum vsurpare ad comprehendendum vtrunque, & cognitionem & affectum.

¶Quocirca non commune est dogma prænotatum omnibus theologis. Nam sunt, quibus magis arrideat infruitione Dei esse vitam æternam.

¶Porrò autem, si diuinas lustramus scripturas, & lustratas, exactè perscrutamur, inueniemus beatitudinem iam collocari in affectu, iam verò in intellectu, iam verò in vtroque. Etenim Matth. 5. beatos prædicat Christus pauperes spiritu, &c. quæ omnes beatitudines ibidem recensitæ affectui tribuuntur. Nisi quod cum de mundicordibus fit mentio præmium huius mundiciei visionem diuinam esse Dominus constituit, dicens, Beati mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt. Vnde præmium constituit mundicordibus visionem diuinam: vnde videtur in actu mentis collocasse Dominum beatitudinem sanctorum.

¶Nonnunquam vero in vtroque videtur reposuisse ipsam vitam æternam, Ioan. enim. 6. ait, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. At manducatio carnis Christi, de qua ibidem texitur sermo, est per fidem, & charitatem, vt in eodem capitulo discussum à nobis est. Nonnunquam vero in fide videtur collocasse Dominum beatitudinem Ioann. 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt: fides autem est actus solius mentis.

¶At dicet aliquis Dominum locis indicatis, non texuisse sermonem de beatitudine comprehensiua, sed solum viatrice, quæ est beatitudo in spe. Ideo ait, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Igitur si expectant regnum cœlorum, nõdum sunt comprehensores pauperes spiritu: sed eatenus appellantur beati, quatenus dubio procul sunt beandi huiusmodi enarrati in beatitudinibus. Itidem, & manducans carnem Domini & bibens sanguinem, dicitur habere vitam æternam: Non quia iam habet vitam æternam, sed quia ex cibo diuino, & potu, illam sibi parabit, si talem se gerit cibatus, & potatus, qualem cibus talis, ac tantus poscit.

¶Itidem quod ait, Beati qui non viderunt, & crediderunt, ad eandem rationem est intelligendum. Sunt enim beati credentes fide fœcunda: quia si in ea fœconditate fidei perseuerant, dubio procul beabuntur.

¶At verò modo non est sermo de huiusmodi beatitudine secundum spem sed de beatitudine comprehensiua. Porrò si beatitudo beatrix est in actionibus mentis, & affectus, comprehensiua quæ illi succedit, quidni erit? Et locus hic, Hæc est vita æterna, &c. etiam ab interpretibus, de beatitudine viatrice, quæ est secundum spem, solet exponi, & non solum de beatitudine comprehensiua. Quidquod vita æterna iam vocatur regnum cœlorum. Nam beatitudo, & regnum Dei non est esca neque potus Romanorum. 14. sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto: hæc autem affectum spectant.

¶Sanè beatis, neque est visio Dei citra fruitionem, neque fruitio, citra visionem. Hæc enim duo indiuiduo complexu, sibi inuicem sunt coniuncta. Neque enim potest esse visio clara deitatis, sine fruitione, aut fruitio, sine visione.

¶Itaq; beatitudo comprehensiua vtrunque in se comprehendit. Verum essentialius est in visione diuinitatis, quam in fruitione. Etenim fruuntur beati Deo, quia ipsum vident, & non vident quia fruuntur: fruitio nanq. e consequia est visionis. Visio igitur est vnde fruitio, & non fruitio vnde visio.

¶Ex eo autem fruimur, & gaudemus, quia adepti sumus bonum quod desiderabamus. Adipiscimur autem bonum quando ipsum bonum desideratum apprehendimus, & tenemus. Iã verò Deus per visionem claram tenetur & apprehenditur à beatis. Et quia desiderium sanctorum est esse cum Deo: vnde Paulus

lus aiebat, desiderium hoc exprimens. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Tunc autem impletur hoc desiderium quando ipse Deus, videtur clara visione. Hoc est enim esse cum Deo, ipsum tenere Deum, id quod sponsa illa, postquam sponsum anxiè quæsierat, & tandem inuenerat læta, aiebat, Tenui eum & non dimittam, Cantic. 3. Amor porro rei dilectæ non apprehendit dilectum, sed desideria excitat ad videndum dilectum. Amor enim quærit dilectum, non tamen tenet dilectum. Amor, rursus non assequitur quod amat, sed potius insequitur, vt assequatur quod amat. Tunc autem assequitur, quando videt, & tenet quod desiderabat. Quocirca per amorem non tenent beati Deum, neque ipsum assequuntur, sed per visionem Deum tenent, & apprehendunt. Ergo ipsa visio est adeptio summi boni, siue diuini boni. Quod si visio est adeptio diuini boni, ipsa satiat mentis humanæ desideria: & ipsa est essentialis beatitudo creaturæ rationalis. Vnde Apostolus. 1. Corin. 9. admonet, vt sic curramus, vt possimus comprehendere. Et ad Philipp. 3. fatetur se nondum comprehendisse, significans beatam vitam esse Deum comprehendere, ideſt, ipsum adipisci, & ipsum tenere. Verum per actum voluntatis non comprehendimus quicquam, ideo neque Deum tenemus, aut ipsum assequimur, sed per ipsam beatam visionem, vt nemo est, qui assequitur diuitias, quia ipsas amat, quamlibet fingas eas feruenter amare. At tunc assequitur quando eas possidet quia tunc illas tanquam suas apprehendit. Non enim diuitem facit amor rei, sed rei possessio & assecutio: sicut neque literatum reddit literarum vehemens amor, sed ipsa cognitio rerum scibilium. Amor quidem parat viam, ad assequendum finem, quia ex amore quærimus amata adipisci, at solus amor non coniungit nos optato fini, sed ipsa assecutio finis. Sed de istis alibi copiosius disseruimus. Optime autem Dominus vltimam hominis beatitudinem, in vita æterna collocauit: & hanc dixit esse Deum cognoscere. Etenim, omnes homines istud est, quod maximè amant æterno viuere. Vnde quia cernunt hoc sibi impossibile in carne æterno viuere, curant non inerti studio saltem in memoria hominum viuere. Hinc antiquitus, & modo tot cernimus monumenta erecta, & erigi, quę testentur homines vixisse: & memorabilia quædam fecisse, vt apud posteros, memoria glorioſa eorum perseueret. Quocirca vniuersa corporalia bona, hominis mentem non satiant, quippe quę transitoria sunt. Et quanuis fuissent æterna, adhuc non satiarent: quia corporalia sunt, vt opes, honores, & voluptates corporis. Corporalia enim bona sunt inferioris generis, quam sit mens ipsa: ideo maiora expetit, quam sint vel opes, vel pecuniæ, vel honores, vel seculi voluptates. Vnde legimus ex gentibus pleroſque hæc despexisse.

¶ Spiritualia igitur sunt, quæ possunt explere mentis appetitum intellectualem. Hæc enim sunt quasi sibi cognata, & germana, quia vnumquodque sibi simile exoptat. Quod si dum immersa est mens humana corpori, corporalia amat, non habet hæc amare, quia spiritualis est, sed quia coniuncta corpori est: corpus enim illi communicat hanc appetentiam. Ipsa igitur mens spiritualis cum sit, & ad imaginem summi spiritus creata, spiritualibus bonis explebitur. Verum quædam sunt spiritualia bona, quæ etiam sunt cadentia, & non persistentia bona: etenim si delectatur mens in carne agens, in contemplatione rerum speculabilium, aut in speculatione diuinorum, flaccescit hæc contemplatio subito, & labitur & ad alia diuertimur, quæ sunt sensibilia. Mens nanque onusta pondere corporis, si contendit aliquando ad suprema diuinaque assurgere, corporis grauitas illam retrahit, quominus assurgat, quam pro desiderio, imo & assurgentem ad se reuocat, corporali indigentia, ad inferiora curanda eam vocante. Quia ergo hæc fluxibilia bona non possunt explere appetentiam humanæ mentis, quæ æterna est à parte post, idcirco inuestiganda sunt æterna bona, quæ spiritualia sunt bona, quia hæc satiabunt mentem humanam. At verò quanuis angeli

Voluntas nō assequitur finem per se, sed per intellectum.

Voluntas nō apprehendit obiectum sed intellectus.

Appetitus intellectualis non expletur corporalibus bonis.

Desideriū hominum est viuere æterno.

Non omnia spiritualia possunt absoluere appetitum intellectualem.

Dei, sint spiritualia bona, hos videre nõ satiabit appetentiam humanæ mentis: siquidem angeli non sunt principium humanæ naturæ, neque finis. Impium enim dogma Platonis angelos tradens creatores esse humanarum mentium: vnde Auicenna suum desumpsit delirium mentes humanas beari in contemplatione vltimæ intelligentiæ, vt in. 2. lib. Senten. disertum est. Quamobrem sola diuina bona satiabunt mentem humanam. Verum in hoc tempore non satiant, quia videmus nunc per speculũ in ænigmate, at visio ænigmatica non satiat videntem: siquidem per visionem ænigmaticam, quippe quæ confusa est, non adipiscimur vel non consequimur ipsum Deum, sed solum per visionem claram mens consequitur suum vltimũ finem, Deum. Enimuero per fruitionem non assequitur mens Deum. Quippe fruitio est de bono assecuto, & ipsam consequitur finis consecutionem: fruitio nanque est summa voluptas, qua perfusa est mens beati, ex visione diuina.

Visio Deiænigmatica non potest satiare mentem quia confusa est.

¶Sicut autem vita æterna, est diuina visio, quia est ipsa assecutio infiniti boni: per nullam enim aliam cognitionẽ, assequimur Deum nisi per hanc quæ est optima omnium cognitionum: ita quoque mors æterna est, quando fit impossibilis menti ista diuina visio. Hoc porrò tempore neminem torquet non videre Deum, quia nondum est tempus aptum diuinæ visioni assequendæ. Ideoque non propriè priuamur visione Dei nunc, quia viæ tempus non est tempus aptum videndi Dei: sicut neque catulus dicitur cæcus, quandiu non est ei naturalis opportunitas videndi. At verò mortuo corpore, fractisve repagulis corporeis est aptũ tempus ad videndum Deum. Tunc ergo si non liceat videre, est mors æterna. Ex non videre enim Deum tunc resultat summa tristitia in damnatis: quam vocant pœnam damni, vel potius consequitur ad pœnam damni, quæ est priuatio æterna, diuinæ visionis.

Damnati ex priuatione æterna diuinæ visionis summè tristãtur.

¶At verò animæ, quas ignis purgatorius lustrat, etiam suo modo affliguntur hac pœna: cæterum non habent tantam tristitiam, quantam damnati ex non videndo Deo, siquidem spes Deum videndi post suam lustrationem, temperat huius tristitiæ rigorem, quæ ex nulla ratione in damnatis temperari potest.

Animæ purgatorij habẽt pœnã damni secũdũ quid.

¶Animabus igitur repositis ad tempus in igne purgatorio est pœna damni secundum quid, at damnatis pœna simpliciter: ideoque illæ non patiuntur mortem æternam sicut isti.

¶Diuina igitur visio purgatissimas exigit mentes, quę ipsum visurę sunt: ideoque si contendimus Deum videre, necesse sum multis purgamentis vti animorum nostrorum. Purgat autem eos in primis cordis contritio, & operis satisfactio: purgant sacramenta: purgant pœnalia opera. Si autem non admodum purgati euaserimus ex hoc seculo, paratus est ignis purgatorius, qui nostras excoquat ad purum sordes. Immundus si sit oculus, lucem solis spectare nequit, ideo qui volet clarè cernere solarem lucem, mundet oculum collyrijs, & ita demum videbit. Lucem ergo illam inaccessibilem si quis videre cupit, purget intellectum ab erroribus: purget affectum ab inquinamentis spiritus, & carnis: superbiam deijciat: lasciuam fugiat: auaritiam horreat: hæreses detestetur, & falsa contra religionem dogmata: præterita errata plangat: præsentia tollat mala, futuraque crimina caueat. Et si purgatus perseuerat tunc demum poterit diuinitatem cernere, postquam corporis sarcinulam deposuerit.

ENARRATIO. I. In caput decimumoctauum.

¶*Hæc cum dixisset Iesus, egressus est trans torrentem Cedron.*

DIVVS AVGVSTInus libr. 3. de consens. Euangelistarum cap. 3. post verba capit. 17. subdit factam esse contentionem apostolorum videlicet. Quis videretur eorum esse maior: cuius cõtentionis meminit Luc. capit. 22. quam Dominus corrigens ait. Reges gentium &c. At post cõpletionem horum verborum, &

hymno

hymno dicto, vt Matth. & Marc. commemorant, exierunt in montem oliuarum. Itaque cum ait Ioan. Hæc cum dixisset, non ad sola verba prioris capitis est referendum: quia alia intermiscuit Dominus verba, ad supprimendam contentionem apostolicam, de primatu gerendo inter eos. Et hymno dicto, tunc egressus est Iesus, trans torrentem Cedron, qui erat situs in monte oliuarum. Vnde videtur, quod hymnus, cuius meminere Matth. & Marc. non fuit oratio præhabita in capitul. 17. siquidem secundum Augusti. postremo omnium fuit à Domino hic hymnus dictus: cuius verba non exprimuntur ab Euangelistis. At verò Beda ad cap. initium. 17. aliud videtur docere, hymnum fuisse orationem Domini cõmemoratam capit. 17. Bedę verba sunt, Illa debent intelligi, quæ in cœna locutus est: quædam quidem sedendo vsque ibi, Surgite eamus hinc deinde stando vsque ad hymnum, cuius hoc est initium. Itaque verba capitis. 17. vocat hymni initium, qui completur capit. 17. fine. *Hæc cum dixisset.* Theophilactus expendens locum, Non ait, Hæc cum orasset, sed, Hæc cum dixisset. Credit enim, vt in capit. 17. dictum est, Dominum capit. 17. non orasse patrem: & si videbantur orationis verba, sed reuera non erant, sed potius cum patre erat colloquium, quod propter exemplum nostrum, sub orationis figura Dominus habuit. Porrò, Dominus verbo, rogo, vtitur, semel atque iterum: igitur rogationis verba, & vera rogatio erant, & non solum orationis apparentia. Verum est quod verba postrema, videlicet, Pater quod dedisti mihi volo, &c. habent rationem colloquij, magis quam orationis. *Trans torrentem.* Testantibus Matthæo, & Marco hymno dicto venit Iesus cum discipulis suis in montem oliuarum. Exierunt, inquit, in montem Olueti. Exierunt, ait, quia vsque ad hæc verba Dominus Hierosolymis erat: & postquam hæc dixit cum alia, quæ suppleuit Ioannes, contenta capitibus. 14. &. 15. &. 17. exierunt in montem oliuarum id quod per alia verba significat Ioannes dicens. Egressus est Iesus, &c. At in monte illo consistens, vel per montem illum iter faciens dixit Dominus quæ denarrant Matth. & Marc. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, & reliqua verba, quæ apud hos Euangelistas, commemorantur. Quibus absolutis verbis texitur apud Matth. & Mar. narratio de progressu Domini in villam, quæ dicitur Gethsemani: etsi Lucas non nominat hunc locum ex proprio nomine, sed nomine generico dicens, Cum peruenisset ad locum. Meminit porrò montis oliuarum dicens, & egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. Cæteri igitur Euangelistæ non fecerunt mentionem torrentis huius Cedron, sed solus Ioannes. At fecerũt mentionem montis oliuarum iuxta cuius radicem erat hic torrens situs. Nam vallis Iosaphat, vbi est torrens hic est coniunctus monti oliueti.

¶ Omnes igitur fatentur Euangelistæ Dominum exisse, vel esse egressum in montem oliuarum: siquidem etsi Ioannes non nominat montem oliuarum, nominat tamen viam ad montem oliuarũ, quę erat per torrentem Cedron: qui erat in valle Iosaphat coniuncto radicibus montis oliuarum. Fuit igitur egressus Iesus à Hierosolymis, & venit in montem oliuarum. Nam hortus Gethsemani, erat etiam in valle oliuarum montis. Hic mons igitur fuit terminus, ad quem egressionis Christi. At verò Ioannes voluit demonstrare, medium, seu viam huius egressionis dicens, trans torrentem Cedron egressum fuisse. Erat autem Gethsemani in decliuio montis oliueti, versus vallem Iosaphat ferè in pede mõtis, vbi introiuit Iesus cũ discipulis suis: & ad iactum lapidis, est quoddam antrum, in quo Dominum ter orasse legimus. Torrens autem Cedron est in valle Iosaphat, non longe ab horto Gethsemani: & torrentis huius initium vocatur natatoria Siloe: ad finem vero appellatur torrens Cedron, cum tamen vnicus sit torrens, vt paradigma descriptionis terræ sanctæ nobis est indicio. Torrentem autem istum, vulgata est opinio, dictum esse Cedron, idest, cedrorum: vt enim mons oliuarum eò appellatus quo oliuis abũdabat, ita & hic torrẽs, quia cõsitus cedris, appellatus mons

cedrorum. Et suffragatur huic sententiæ, quia articulus Græcus additus, τῶν κέδρων, insinuat non esse nomen Hebraicum sed Græcum significans cedros: vt sit sensus, Egressus est Iesus trans torrentem cedrorum. Alij vero cũ hoc placito repugnant credẽtes Cedron, non cedros significare Hebræis, sed obscuritatem: quia cedri significantur alia voce, scilicet, arazim. Verum cedron siue Kidron, obscuritatem denotat: itaque torrens cedron, est torrens obscuritatis forsitan, quia locus illius torrentis erat vmbrosus, aut quia obscura erat aqua torrentis ex limo, vel aliâs Hebræis scribitur קדרון Kidron. Et qui hoc defensant placitum colligũt, vera se narrare, quia cedri non erant Hierosolymis, sed in monte solum Libani, vnde illud, Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Qua propter torrẽs ille, non poterat dici cedrorum, quippe cedris non erat consitus. At hoc argumentum efficit nihil, quia quanuis Libanus pulcherrimas habuisset cedros, & multas, non subinde in valle Iosaphat iuxta torrentem hunc nullas potuisse esse cedros conuicitur. Quippe ex duabus vel tribus si ibi aderant poterat dici torrens cedrorum: ideo hoc Stunicæ argumentum exigui est momenti. Et Erasmum explodit tanquam Hebraicè ignarum, cum tamen Erasmus indicat Capnionem, quem Stunica indicat in suam sententiam. Et tandem Erasmus ait, Neque tamen negarim hæc omnia committi potuisse culpa librariorum, Græcè scientium, Hebraicè nescientium. Proinde non inuitus subscribo sententiæ Capnionis. Hęc sunt Erasmi verba, vt mireris, quale fuerit illud quod Stunica commentus est contra Erasmum frustra: siquidem Erasmus probat Capnionis sententiam Cedron, non cedrorum significare, sed obscuritatem, esseque Hebræam vocem. At articulum Græcum τῶν, additum fuisse culpa librarij Hebraicè nescientis, & Græcè scientis. Verumtamen huius torrentis est frequens mentio in scriptura. 2. Regum. 15. &. 3. Regum. 15. &. 4. libr. capit. 23. &. 2. Para. 25. & Hiere. 31. Et quidem in secundo horum loco additus est etiam articulus, ἐντῶ χειμάῤῥῳ τῶν κεδρῶν, id quod auget huius rei difficultatem: quia non solum apud Ioannem additur articulus, vt dictioni Græcę, sed etiam in lib. 3. Regum. Et quamquam, vt putat Erasmus, & post eum Stunica fieri hoc poterat librariorum culpa, at quod factum fuerit, non est perspicuum. Hiero. tamen in locis Hebraicis meminit huius torrentis, dicens torrentem ac vallem esse eius nominis ad plagam Orientalem vrbis Hierosolymitanæ. Ferunt hunc torrentem non habere aquas perpetuas, sed quas ex imbribus cœlestibus ex piscinis quibusdam habet mendicatò. Iosephus autem in lib. de bello Iudaico. 6. capit. 3. Præceptum, inquit, erat. 6. ab Hierosolymis stadio castra ponere. Qua in parte mons qui appellatur Eleon, ideſt, Oliuarum, contra ciuitatem ab Oriente situs est. Altaque interiacente valle, discernitur cui nomen est cedron. Vocat igitur vallem Iosephus cedron, quæ interiacet inter montem Oliuarum & Hierosolymam: vnde vallis & torrens hoc eodem appellabantur nomine. *Vbi erat hortus.* Alij Euangelistæ, non expressérunt Dominum venisse in hortum, sed in villam Gethsemani. Est autem Hebræis, non Gethsemani sed Gesemani, vallis pinguis, seu olei: nam seman significat pinguedinem, & ge, vallem. Cæterũ Ioannes expresit particularius locum in quẽ Dominus venit tunc esse hortum. Et est hic hortus, vt diximus, ad radices montis Oliuarum, vt descriptio terræ sanctæ ostendit: & Hieronymus lib. de locis Hebraicis docet, eratque situs ad finem torrentis cedron: itaque per torrentem erat eo progrediendum venientibus ab Hierosolyma. Sunt qui putant ex eo Dominum processisse per torrentem hunc, quia scripserat Dauid, De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput. At verò oraculum hoc non quod ad literam sonat, bibisse Dominũ de torrente est audiendum. Neque enim legimus Dominum de hoc torrente bibisse: & quis inficiabitur hunc torrẽtem pluries transisse? Vtique nemo, quandoquidem Ioannes sub hæc memoratur in hunc locum Dominum cõsuesse concedere, subaudi orãdi gratia. Et plerosq; alios

Cedron obscuritatẽ denotat Hebræis.

Stunica male reprehendit Erasmum.

Torrens cedron vallis cedron.

Gethsemani Hebræis Gesemani.

alios torrentes Dominus sæpe transiuit, iter faciens per Iudæam, & Galilæam, &c. & Samariam. At sensus est, Dominum potasse torrentem amaritudinis huius seculi, id quod aliter expressérant Euangelistæ, bibisse calicem, subaudi, amaritudinis, & tribulationum: ideoque exaltauit caput. Nanque humiliauit se vsque ad ignominiosam mortem crucis: propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen ad Philippenses. 2. Hunc ergo hortum Dominus modo ingreditur, in quem & aliâs ingrediebatur orandi gratia. Nam Lucas tradit Dominum tunc venisse in montem Oliuarum secundum consuetudinem. Credunt nõnulli expositores hunc hortum fuisse septis conclusum, ideoque semotum à commercio, & aspectu hominũ, & aptissimum ad vacandum orationi.

Allegoria. Sunt qui etiam expendunt Dominum venisse in hortum, vt inde exoriretur salus, vnde initium accepit perditio. Adã enim in paradiso, idest, voluptatis horto constitutus, se perdidit, & posteritatem. At verò Christus in horto orans, & sanguinem fundens salutem ęternam hominibus parat. *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, & locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.* Non ergo Dominus quæsiuit latibula, fugiẽs mortem, quam sciebat sibi imminere. Sed ad eum locum concedit qui notus erat proditori. Sed quæret aliquis, cum id temporis iam profunda nox fuisset, & somno capiendo conueniens, & plus esset credendum à Iuda Dominum domi dormire, quam in horto vigilare, vnde Iudas habuit, Dominum non domi quiescere, sed in horto agere? Testantur autem multa iam tunc profundam fuisse noctem, & intempestam: siquidem Ioannes. 13. Iudam exisse noctu commemorat. Et apostoli existentes in horto isto cum Domino, non poterant vigilare cum Domino. Nam illis dixit, Non potestis vna hora vigilare mecum: erant enim oculi eorum grauati multo somno. Apostoli sanè grauati somno dormiebant: at Iudas grauatus iniquitate vigilabat. Apostoli ex somno non poterant orare, at Iudas vigilans, tradebat Dominum: vt verum esse discas quod sensus, & cogitatio hominis ad malum prona sunt. Præterea ministri venientes ad capiendum Dominum cum Iuda proditore, venerunt cum facibus & laternis: erat igitur profunda nox tunc ob causas commemoratas: & conueniens somno, & non vigiliæ. At verò forsan Iudas sciens Domini consuetudinem esse pernoctandi in orationibus in horto illo, ideo sub nocte profunda illò concesit capturus Dominum: siquidem Iudas, & satellites noctis intempestæ silentia exoptabant, opportunum tempus esse hæc silentia nocturna cogitantes capiendo Domino, vt sine tumultu populi facinus ageretur. Aut fortè Dominus dixerat apostolis inter cœnandum se post cœnam iturum ad hortum illum, ad orandum: ideò Iudas illò se contulit. Et potuit fieri Iudam & satellites exploratores habuisse aduentus Domini in hortum: cuius rei certiores facti per exploratores continuò se illo contulerunt. Ferunt hortum hunc amœnum fuisse, & orationis quieti aptissimum. At vbi Christus Deum patrem summo honore colebat, & apostoli socij erant diuini cultus, ibi proditor Iudas cum sua comitante turba summè Deum offendunt, facinus teterrimum admittentes, capientes Dominum, vt malefactorem. Et locum, quem Christus sua diuina consecrabat præsentia, Iudas cum suis suo facinore contaminarunt. Alij Euangelistæ tradunt post ingressum Dominum in hortum, dixisse discipulis suis, Sedete hîc donec vadam illuc & orem. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cœpit contristari, & mœstus esse vt Matth. 26. aut, cœpit pauere & tædere vt Marc. 14. scribit, &c. At vero Ioannes hæc suppresit, quæ viderat à Matthæo, & Marco enarrata. Libet autem figere aliquantulum gradum super istis verbis: siquidem Hilarius. 10. libro, de Trinitate, Dominum docet, non fuisse tristitia affectum mortis timore, aut ex timore verberum, aut aliorum tormentorum: quia carnẽ Christi asserit etiam ante resurrectionẽ fuisse passibilem, sed insensibilẽ doloris. Poterat sanè vulnerari, & scindi clauis, & flagellis verberari, at sine sensu dolo-

Durissima Hilarij & Ambrosij, & Hiero. sententia.

ris: quia hos dolores sentire nequibat. Et rem ostendit exemplo prolato de aëre, qui verberatur sine doloris sensu, & ignis & aqua scinduntur & perforantur citra sensum doloris. In quem modum & caro Domini perforabatur clauis, vulnerabatur flagellis, &c. at insensibilis erat doloris. Arbitratur enim corpus Domini, quia conceptum fuit de Spiritu sancto, aliam habuisse naturam, quam nostra. Et probat: quia nostra non possunt ambulare super vndas maris: & inuiolato virginitatis claustro natus est ex Maria virgine, &c. hæc autem sunt contra naturam humani corporis. Hoc placitū est amplexus tenaciter Iustinianus Imperator: adeò, vt imperiali edicto iusserit hoc dogma à sacerdotibus in ecclesijs doceri, & à fidelibus vulgaribus probari, vt est videre apud Euagrium libr. 4. ecclesiasticæ historiæ cap. 39. Vbi inquit, Iustinianus Imperator edictū proposuit, in quo corpus Domini incorruptibile sanxit, naturaliumque & inculpatarum passionum haud quaquam capax fuisse, sed Dominum ante passionē comedisse, quemadmodum post resurrectionem manducauit, neque sacrosanctum eius corpus, aliquam mutationē, aut alterationem habuit ab eo quo in vtero formatum est. Hilarius item in comm. ad Matth. cano. 31. idem, asserit quod asserere indicauimus lib. 10. de Trini. Nouam tamen excogitauit confirmationem sui dogmatis, ex verbo Domini, Tristis est anima mea vsquead mortem. Non inquit, Tristis est anima mea propter mortem, sed ad mortem. Tristabatur igitur non causa suæ mortis, sed propter scandala suorum discipulorum. Et cum orabat, Transeat à me calix iste, nō orabat, vt mortem non subiret, quam non timebat, sed quod transiret ab ipso calix ille in suos discipulos, vt quomodo, ait, à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidētia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Et Hiero. lib. in Matth. 4. exponens initium capitis. 26. Hilario subscribere videtur dicens, Erubescant, qui putant saluatorem timuisse mortē, & passionis pauore dixisse, Pater si fieri potest transeat à me calix iste. Idem sapere videtur Ambrosius dicens, Tristis videbatur & tristis erat, non sua passione, sed pro nostra dispersione. Tristis erat, quia nos paruulos relinquebat, &c. Hoc dogma hæreticos quosdam habuisse authores, de hæresi. cap. 84. Damascenus affirmat, quos vocat Escarodocitas, idest, approbatores duræ & impassibilis carnis. Isti enim hæretici corpus Domini ex ipsa plasmatione incorruptibile venerantur, & passionem quidē sustinuisse Dominum confitentur esuriem, famem, & sitim, & laborem, sed non secūdum eum, qui in nobis est modum sustinuisse: neque naturæ legibus seruiētem dicunt. Claudianus autem lib. 2. de statu animæ, duo hæc errata impingit in Hilarium, alterum, quod nihil creatum censuit esse incorporeū, alterum verò, quod nihil doloris Christus in passione senserit. Magister Senten. 3. lib. dist. 15. Hilarium interpretatur, intellexisse non sensisse Christum passiones sicut nos, qui ex passionibus acti, à vero & recto abducimur. Porro glossa hæc non redolet Hilarij mentem, vt ex verbis eius promptū est videre. Verū Magister Vrbanè agēs erga Hilarij ad prædicta rationem, voluit temperare eius sententiam. At equidem Hilarij rationes, non sunt persuasoriæ. Enimuero quod Christus fuerit ex Spiritu sancto conceptus, hoc solum probat, non ex virili semine fuisse conceptum, non tamen, quod concepta caro sine virili semine, fuerit naturæ alterius quam concepta ex virili semine: siquidem Adam fuit formatus sine virili semine. At quis dicet nisi insanus, Adam esse alterius naturæ, quam nos, qui ex semine concipimur humano? Itidem Eua non fuit ex semine virili formata, sed ex costa viri ædificata: nunquid ob hoc fœminæ, sunt alterius natura, quā illa fuit? non vtique. Deus nanque, qui est naturæ author, est potens supra leges naturę: ideoque quod ipse facit intercedente semine, idem poterit facere sine seminis interuentu. Vnde vulgatum est theologis axioma, Quidquid potest facere Deus per causas secundas poterit præstare se solo. ¶ Neque etiam secundum argumētum conuincit propositum Hilarij, videlicet, quia Domini corpus natum est saluis claustris virginei pudoris, & quia ambulabat super aquas maris, &c. ideo aliā habuisse naturā. Hæc enim non probāt natu-

Error Iustiniani Imperatoris.

Hæresis Escarodocitarū.

Caro concepta ex semine & sine semine eandē sortiuntur naturam.

naturam corporis esse diuersam, sed potentiam esse disparem nostram, & Christi. Penetrauit sanè Dominus claustra virginis sine læsione pudoris virginei: penetrauit quoque ianuas apostolicæ domus postquam resurrexit à mortuis. Vbique eadem penetrandi confitenda est actio, at ex dispari asserendum processisse causa. Siquidem nascendo penetrans carnem virginis non ex natura corpusculi erat quod nascebatur sed ex virtute incarnati verbi. Corpusculum enim illud penetrare non potuisset suę dimissum naturæ: at vero Christi corpus glorioſum, ex natura gloriosæ subtilitatis suę iam poterat penetrare alia corpora: quia ex dote gloriosa subtilitatis sibi hoc parabat munus. Quocirca quod Christus sicco vestigio calcaret aquas ante mortem suam miraculo tribuendū erat, quia corporis mortalis natura est ponderosa, cuius pondus, aquæ mollities ferre non potest: si verò post resurrectionem eadem calcasset, non miraculi erat calcasse, quia corporis cōditio glorioſi erat. Est sane miraculum, quod corpus nostrū donetur hac subtilitate: at donatum, miraculi non est, quod alia corpora penetret. Imo corpus Christi, antequam glorificaretur, & postquam glorificatū est eiusdem fuit naturę: glorificatio enim non tollit naturam: at vero glorificatum iam est prorsus immortale, & impassibile, & indiuisibile: at vero ante glorificationem, erat mortale passibile, & diuisibile. Si ergo tanta officij varietas, non arguit diuersitatem naturæ: siquidem idē ipse Christus, qui mortuus fuit, & sepultus est ipse resurrexit numero idem, vtique etsi corpus Domini sicco vestigio calcaret aquas, id quod nobis negatur, non arguet naturæ diuersitatem. Siquidem corpus Christi quando hæc fecit, ante mortem ex miraculo fecit, vt quādo Luc. 4. transiens per medium illorū inuisibiliter ibat, quando etiam se fecit inuisibilem Phariſæis, & Iudæis exiens de templo Ioan. 8. Istud sane miraculi fuit, & non ex natura dominici corporis, id quod tunc ex sua natura visibile erat. Quod autem post glorificationem suam penetrabat fores, & penetrauit sepulchri lapidem, conditio erat corporis glorioſi, ideo miraculi non erat.

Corpus non glorioſum si penetrat aliud miraculi est sed glorio sum penetrare habet ex sua glorioſa dote.

¶ Ad hæc argumentum ex collatione itidem non colligit, vt inquit, aqua percutitur, & aër verberatur sine passionis sensu, ita corpus Domini, &c. Equidem hęc elementa patiuntur diuisionem citra sensum diuisionis: quia stupida sunt, & sensu orbata sunt: at vero corpus Domini non stupidum erat sed sensu, nō quouis sed acerrimo præditum. Accedit eodem quod Dominus sensibus omnibus, tam externis, quam internis vigebat, vt visu, auditu, olfactu, gustu, & tactu. Iam ergo si tactum habuit, & eum quidē subtilissimum, cum pungebatur clauis, aut sentiebat punctura dolorificam, aut non sentiebat, si non sentiebat, aut ex natura corporis, quia non poterat sentire dolorificum sensibile, aut ex miraculo, quia suspendebat Christus sua potentia sensus actionem. Si primum, igitur corpus Christi, non tangebat, neque tactū habebat: quod si tactu carebat, non viuebat vita animali, quare neque mori poterat: id quod hæreticum est dogma Manichæorum, & Arabum credentiū Christi mortem fuisse non veram, sed apparentem: in quem lapidem impegit Iustinianus credens corpus Domini fuisse incorruptibile. Si vero dixeris secundum, miraculi fuisse, scilicet, quod dolorifera non sentiret, potens alioqui illa sentire, igitur miraculo dabis, quod potens tristari de sua morte, non fuit tristis ex sua morte, sed ex malo suorum. Quomodo ergo clamat Esaias. 53. dicens, Despectū, & nouissimum virorum, virum dolorū, si non doluit, quia noluit dolere, cur appellatur non vir doloris, sed dolorum? Nanque si nullum sensit dolorem, cur vocatur vir dolorum? Alienus enim à dolore sine causa appellabitur vir dolorum. Iustissimè autem appellatur vir dolorum, quia multos sustinuit dolores.

Argumenta probātia corpus Domini fuisse sensibile ante resurrectionem & passibile.

¶ Ad hæc Ioan. 4. cum sedebat sic supra fontem fatigatus ab itinere, nunquid nō sentiebat fatigationem suam? Si non sentiebat cur scribitur esse fatigatum ab itinere? Et quid Christus verè mortuus est, & verè sensit suam mortem: si vere sensit mortem, quomodo non sensit clauorum, & spinarum fixuras? Quidquod clauorum, & spinarum si non sentiebat dolorem, neque ex horum violentia moreretur, siquidem vehementissimus ex

istis qui sentitur dolor, animam expellit à corpore.

¶Et equidem miratu esset dignissimũ, si quis diceret, Dominum tangendo aquam frigidam, non sensisse eius frigiditatem, aut tangendo calidam, non sensisse eius calorem, &c. Quod si hæc sentiebat, cur dolorem non sentiebat ex fixura clauorum? Quod si miraculo dederis oportet te ex scripturis hoc miraculum asserere. Etenim si suspendere debebat Dominus propriæ naturæ sensificas actiones, videtur frustra naturam sensitiuam accepisse, mox suspendendam, ab omni huiusmodi sensus tactus functione.

¶Accedit eodem quod Dominus sensit famem, sensit sitim: siquidem in cruce pendens dixit, sitio, sed hæc munia sunt sensus tactus, functiones & passiones eius: quomodo ergo insensibilis fatebitur Christi caro? Profecto post resurrectionem suam impassibilis erat, etsi sensibus pollebat: at verò diuidi non poterat, aut perforari corpus eius, quippe quod incorruptibile erat, ideo neque dolere poterat, quod vero verberaretur & perforaretur ante resurrectionem, & nihil sentiret, miraculi esset, quod qui assereret, debuisset probare. Et sanè Dominus huc venit, vt ex morte & doloribus suis, vitam & pacem nobis donaret, & thesaurum meritorum suorum nobis pararet infinitum. Qui ergo hos dolores tollit à Christo, nobis tollit summum ex doloribus eius antidotum. Nã languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit. Quod si nihil tristitiæ pro se, nihilque timoris de morte sua habebat, vnde ergo factus in agonia prolixius orabat? vnde sudor sanguineus decurrẽs super terram? vnde angelus de cœlo descendens eum cõfortans? Nam si suis, non sibi timebat, egebat nihil confortante angelo? Et quid est quod clamat, Eli, Eli, &c. Deus Deus meus cur dereliquisti me? cur clamat, se derelictum? Vtique clamat se derelictum, non quia diuinitas vnquam dereliquit Christum: siquidem diuinitas post mortem Christi, animam, & corpus non dereliquit. Quippe quod semel assumpsit nunquam reliquit. At quia humanitas Domini sub passione propriæ naturæ est relicta, vt ea pateretur quæ nata erat pati, ea sentiret, quæ nata erat sentire: quia vulneribus, clauis, spinis, doloribus patiendis relinquitur. Quia denique Satanæ ministris permittitur agere quæ volebant, contra Dominum, ipso dicente, Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: ideo Dominus clamat se à Deo derelictum.

Ex doloribꝰ quos sensit Christus noster fit antidotus.

¶Corpus igitur Christi, vt semel dixerim ante mortem erat passibile, & sensitiuum suarum passionum: erat mortale, & capax passionum naturalium, & inculpatarum. Vnde Ioan. 12. se turbat, infremit Spiritu, & illachrimatur. Nunquid hæc ficta erant, an vera: non sane ficta, sed veraciter se turbat, & infremit, & lachrymatur: quæ omnia, affectus innoxij erant sensitiuæ partis. Nisi quod isti affectus in Christo erant voluntarij, ex iussu rationis procedentes, & secundum diuinam rationem librati, non furiosi & præcipites, vt nostri: de quo supra cap. 12. non nihil tetigimus. Quod vero tandem indicatur Dominum non dixisse, Tristis est anima mea propter mortem, sed vsque ad mortem, suadet nihil dogma diuersum: siquidem Dominus insinuare volebat tristem se esse, & tristitiam duraturam solum vsque ad mortis passionem. Nanque post mortẽ suam erat surrecturus gloriosus & summè gaudens, ex mortis triumpho. Quid quod etiam si timebat mortem & ex illa tristabatur, hic timor, hæcque tristitia erant secundum partem sensitiuam, nõ secundum rationalẽ. Nanque secundum rationalem neque timebat, neque tristabatur, sed potius gaudebat, & desiderabat. Ideoque non dixit, Tristis est anima mea propter mortem, ne putaremus, ipsum esse ita occupatum ex mortis tristitia, vt nos sumus, quando mors nobis imminet. Verum permisit parti sensitiuæ suæ tunc, vt absolueret suum munus, vt vere hominem se esse demonstraret. Quamobrem absoluta oratione quã profuderat ad patrem, surgens ab illa impauidus, sublato omni timore, & deposita omni tristitia occurrit satellitibus dicens, Quem quæritis? siquidem sui arbitrij erat tristari, quando opus erat, & non tristari. Porrò quia hoc est desiderium naturæ totius, se seruare incolumẽ, item

Christi affectus inculpati & spõtanei.

Affectus in Christo secũdum partem sensitiuam erant, & non perturbabãt partem rationalem.

item hoc erat naturale naturæ humanæ Christi, vt si eam consideras secundum rationem naturæ, se seruare immunem ab omni malo: quia omnia bonum appetunt, & malum fugiunt. Mors autem est malum naturæ: quocirca eã natura summopere abhorret. Hoc igitur desideriũ naturale erat humanæ naturæ Christi mortem deprecari, & summopere fastidire. Et qui hoc desiderium adfuisse Christo negat, negat Christum fuisse verum hominem.

¶ Orans igitur patrem dicens, Transeat à me calix iste, hoc est, Tolle à me mortem hanc quam passurus sum. Desiderium autem naturale suæ naturæ exprimebat sic orans. Quamquam enim desiderabat mori, vt ipse ait, Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec baptizer illo. Et rursus, Desiderio desideraui hoc pascha comedere vobiscum: id quod non aiebat, quia agnum illum paschalem Dominus desiderabat comedere, sed quia post agni esum, prõpta erat agni veri immolatio.

Luc. 12. Mar. 26.

¶ Cæterum hoc desiderium non exprimebat orans, sed naturale non moriendi desideriũ. Et oratio hæc non fuit exaudita: at oratio secundum desiderium rationalis partis fuit exaudita semper. Cui rei apostolus etiã attestatur Heb. 5. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posit eum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Exauditus est, quia triduo mortis exacto surrexit à mortuis. Hæc igitur ecclesiastica fidei confessio, aduersus quam hic vel ille sacer doctor nihil virium habet.

¶ Neque arguteris iam fuisse in Christo contraria desideria, hæc enim non erant contraria desideria. Sunt enim contraria, quæ vicissim insunt, & mutuo se expellunt: hæc autem duo desideria, nõ vicissim hærebant: imò duobus hærebant subiectis, quæ erant pars sensitiua, & pars rationalis. *Iudas ergo cum accepisset cohortem & à pontificibus & pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis.* Iudas, qui erat minister veritatis, factus est dux iniquitatis: & qui erat Domini apostolus, factus diaboli mancipium. Accepit ergo cohortem, à Romano præside Pilato: nanque sine eius authoritate non ausi fuissent Pontifices Dominum capere. Verum cohortem, munierunt Pontifices & Pharisæi ministris, vt nullum inuenirent sibi repugnãtem. Et quia profunda iã erat nox, ideò laternis, & facibus ardentibus vtuntur ad illustrandum tenebras noctis, vt inoffenso pede ad hortum accederent. Et item vt Dominum clarè viderent. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis. Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit ei Iesus, Ego sum.* Prædixerat Dominus apostolis suis omnia hæc Matth. 20. Ecce ascendimus Hierosolymam. Et tradetur filius hominis principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus: siquidem principes sacerdotum tradiderunt Dominum Pontio Pilato. At verò Euangelista satis exponit Christum timuisse mortem ex dispẽsatione, non ex coactione, vt nos timemus. Etenim Iesus processit obuiã satellitibus, dicens, quem quæritis, id quod non erat pauidi animi, sed promptissimi ad mortem. Et mirum est, quanta cęcitate fuerint affecti cohors illa, atque ministri. Non enim cognouerunt Christũ interrogantem, Quem quæritis? Nam si cognouissent, respondissent, te quærimus, at non hoc dixerunt, Te quęrimus, sed, Iesum Nazarenum. Cum alioqui quotidie Dominum videbant in horto tamen non cognouerunt. Ex cæcitate nanque mentis, erant obscurati oculi eorum, ne Dominum agnoscerent. Dominus autem respondit se esse Iesum Nazarenum, quem ipsi quærebant, non ad salutem sibi, sed ad perditionem. Quærebant saluatorem, non vt saluarentur sed potius, vt perderentur. Multi quoque quærunt pessimè Iesum, non enim quærunt ad suam salutem, sed ad suam perditionem: vt Herodes quærebat animam pueri ad perdendam eam, & ideo quęsiuit ad suam noxam. Dominus autem monet, vt quæramus, & inueniemus: si enim rectè quærimus Iesum, animo fideli & syncero inueniemus Iesum, vt inuenit eum Maria mater eius, & inuenit Ioseph pater putatiuus eius. Verum qui quęrit fraudulenter nõ inueniet Iesum, sed perdet Iesum, vt Iudas cum suo comitatu

Quæritur Christus benè, & malè.

mitatu perdidit. At Iuda quod moliris ſtupendum facinus eſt, nã quid mouet te ò miſer, vt Dominum tuum non ſolũ traderes pontificibus, & phariſæis, ex vili pecunia conductum, ſed etiam te ducem feceris iniquæ cohortis, ad capturã vniuerſorum Domini. Et perfricta fronte, Domino te præſentem facis, cum cohorte & ſatellitibus ad capiendum eum. O ſceleſte quid commeruit optimus magiſter tuus, & Dominus, quod tam peſsimè de illo mereris. Nunquid quod te apoſtolum crearit? quod te ſubalis ſuæ doctrinæ nutrierit? quod te cibauerit? quod pedes tuos lauerit? quod non ſolum pane materiali, ſed carne ſua, & ſanguine ſuo te pauerit? At hæc eſt humana iniquitas, hęc humana noſtra ingratitudo, quæ temerè obliuiſcens diuina munera, in præcipitium ſummę ingratitudinis ſponte ſe ſe committit. *Stabat autem Iudas, qui tradebat eum cum ipſis.* Vt ſummam petulantiam Iudæ demonſtret Euangeliſta, hanc denarrat: ſiquidem poſt tantum facinus admiſſum, pudore maximo debuiſſet ſuffundi, & fugere Chriſti cõſpectum. At verò quæ fuit hominis impudentia, Domino ſe offert videndum, hoſtesque Chriſti duxit, ad hortum vt ipſum caperent. *Vt ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum.* Omnipotentiam ſuam illis demonſtrat, ſolo verbo eos proſternens. Chriſtus inermis erat: at verbo ſolo armatos ſatellites deijcit, quia abierũt retrorſum. Hic ſanè eſt iniquorum motus retrocedere: vt Eſaias de quibuſdam iniquis commemorat, Abalienati ſunt retrorſum. cap. 1. & 28. retrogreſsio hæc illis à Deo præſcribitur in ſupplicium, vt vadant & cadãt retrorſum. Et de hoc idem apud eundem vatem ſæpè commoratur: vnde & mulier Loth, retrorſum aſpiciens conuerſa eſt in ſtatuam ſalis. Et demum, qui mittit manum ad aratrum & retrorſum aſpicit, non eſt aptus regno Dei: oportet enim quæ retro ſunt nos obliuioni tradere, & ad ea, quæ ſunt priora animum noſtrum extẽdere. Hos autem qui ad ea, quæ retro erãt conuerſi erant apoſtolus notans, ait. Iam enim quidam eorum conuerſi ſunt retro poſt Satanam. Tunc autem retrocedimus cũ à via veritatis, quam terere cœpimus, per quam ingredientes in vitam procedebamus æternam, nihilominus omiſſo recto progreſſu ad vitam, retrocedimus deſiſtentes à via ſancta, & immaculata, & ad viam iniquitatis quam damnabamus reuertimur: quando videlicet peccata, quæ iam confitendo euomuimus coram Deo & confeſſario, iterum eadẽ cõmittimus, tunc retrorſum imus. Quia ſicut canis euomita ſemel rurſus ligurit, ita nos, damnata ex noſtra confeſsione, peccata, ſi rurſum ipſo opere probamus retrorſum vadimus. Quos Petrus commemorans ait, Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt eius agnitionem retrorſum conuerti ab illo, quod traditum eſt, ſancto mandato. Cõtigit enim illud veri prouerbij, canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. 2. Pet. 2. Huiuſmodi igitur peccatores haud dubium adumbrantur in ſatellitibus iſtis, qui ex verbo audito Domini, *Ego ſum*, conuerſi ſunt retrorſum. Vtique Chriſti de ſe verbum homines ad ſe trahit: & abalienatos retrorſum ad ſe conuertit: at verò impios à ſe auertit. Verbum enim Domini, lux eſt, & ideo cæcitatem depellens à mentibus piorum, impiorum tamen mentes magis obſcurat ex ſuo ipſorum vitio, & excæcat: ſiquidem verbum hoc. *Ego ſum*, quid ſignificat niſi, Ego ſum Saluator mundi, Ego lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Ego ſum via, veritas, & vita, & reliqua ſalutis epiteta. Quocirca hoc verbum, Ego ſum, debuiſſet auertere hos facinoroſos, à ſuo facinore, perpetrando, verũ non auertit à facinore ſed magis confirmauit in facinore. Nanq; quem debuiſſent reuereri, vt Saluatorem, & Meſsiã ſuum cuiuſque potentiam debuiſſent pertimeſcere, quia ex ſolo verbo retrorſum abierunt, nihilominus ex duriſsima perfidia ab iniquo opere non deſtiterũt. *Ceciderunt in terram.* Terra eſt, peccator, terra eſt, iuſtus: quia ſcriptum eſt, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Omnes nanque ſiue peccatores, ſiue iuſti terreni ſumus, & ex limo terræ compacti. At verò peccatores, ex terra formati, in terram ſemper labuntur: quippequi terrena ſapiunt, & terrena amant, & cœleſtia non ſapiunt, & illa non amant. At verò iuſti ex terra originem ducentes ſicut & peccato-

Motus iniquorum qualis.

42
44

Lucæ. 9.
Ad Phil. 3.

1. Timoth. 5.

Peccatorum motus eſt retrocedere à recta via.

catores, cæterum terrena negligunt, & cœlestia sapiunt: ideoque non cadunt in terram, sed ex terra euolant in cœlestia. *Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Furore diabolico perciti isti non cognoscebant Iesum, neque ex vultu, quem videbant, neque ex voce, quam audiebant, cum alioqui pluries & vidissent eum, & audissent. Et Iudas eadē cæcitate tenebatur: erat enim obcæcatus, si cæcus autem cæcum duxerit ambo in foueam cadunt. Iudas igitur excæcatus ducatum præbebat, obcæcatis satellitibus, & ministris: ideo omnes isti abierunt retrorsum, & in foueam sempiternę infelicitatis inciderunt. Et quod miremur amplius, Iudas dederat suis comitibus signum dicens, Matth. 26. Quēcunque osculatus fuero ipse est tenete eum. At verò ingressus in hortum, non cognouit Christum excæcatus sua malitia, quousque Christus se se patefacit dicens, Ego sum. Et postquam semel & iterum se demonstrauit, tunc ipse accessit & osculatus est eum. Neque tamen Dominus interrogat, Quem quæritis, quia tenebatur ignorantia, quia præscibat omnia, quæ ventura erant super eū, at interrogat eos, Quem quæritis, vt nos doceret ignorantiam, & cæcitatem qua Iudas tunc mirabiliter obductus fuit, itē satellitum, qui Christum non cognoscebant post diutinam cum ipso conuersationem. Sponte igitur Dominus se tradit cohorti, & ministris capiendum, & suo iussu & virtute apostoli seruantur incolumes. Dominus enim crucifigendus erat ad salutem humani generis, & apostoli seruāi, vt essent crucis Christi prę cones: ideo iubet suis comprehēsoribus, vt discipulos illæsos abire vellent.

¶ Vnde videtur quod cohors hæc & ministri non solum Christum intendebant comprehendere, sed & Christi discipulos. Quorum animum prævidens Christus dixit, Sinite hos abire. Nam etiam si dixerunt satellites se quærere Iesum Nazarenum, istud sanè erat ex principali instituto, at post modum itidem & apostolos capere volebant. Aliàs non dixisset Christus, Sinite hos abire nisi animos eorum exploratos habuisset comprehendi etiam apostolos. Nanque hæc erat dementia Pontificum, & Phariſęorum delere nomen Christi super terram. *Vt impleretur sermo quem dixit, quia quos dedisti mihi non perdidi, ex eis quemquam.* Ioan. 6. dixerat, Hæc est voluntas eius, qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo. Cap. autem. 17. orauit Christus patrem, vt seruaret apostolos à malo: Et dixit neminem perisse ex sibi datis nisi filius perditionis. Et quanuis verba huiusmodi non mortem, aut capturam temporalem significabant ex principali intento, sed solum spiritualia mala, quæ verè sunt mala, cęterum, quia bona temporalia nonnunquā bonis seruiunt parandis æternis, ideò etiam sub oratione Christi comprehendebatur liberari à malo hoc temporali, quatenus huiusmodi libertas ab hoc malo temporali erat profutura apostolis ad profectum spiritualem. Quocirca quod modo non caperentur, & quod modo non interficerentur cum Christo erat necessarium ad bonum apostolorum. Quia si tunc interficerentur perderentur: at verò postmodum interfecti non fuerunt perditi, sed lucrati ad vitam æternam.

¶ Fuit autem Iudas perditus, dicet aliquis: at verò etiam Deus eum dedit Christo: omnes enim apostoli dati fuerunt Christo à Deo patre. Vtique Iudas se perdidit, quia ipse se subduxit à gremio Christi: ipse se seperauit à pastoris custodia: ideoque lupus rapax diabolus, rapuit Iudam, vt ouem dispalantem, & errantem, destitutam summi pastoris præsidio. Datus fuit à Deo: verum hæc datio non cogebat Iudam, vt in dationis dono perseueraret: sed abusus diuina largitate, se auulsit sponte ab ouili Christi, & se tradidit diabolo dilaniandum. Quod ergo ait, Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam, de illis datis subaudiendum, qui in gratia donationis perstiterunt. *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit pontificis seruū, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen serui Malchus. Dicit ergo Iesus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam: calicem, quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Dimittit Ioannes gesta quæ præcesserunt hoc, quod ipse enarrat, videlicet, Iudam accessisse ad Iesum & osculatum fuisse Matth. 26. Marc. 14. Lucæ. 22.

fuisse eum: & quod Dominus illi dixerat, Iuda osculo filium hominis tradis? Et quod dixerat cohorti, & ministris, quos deduxerat Iudas accepta potestate à principibus sacerdotum. Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus, & Lucas. 22. hunc sermonem Dominum habuisse denarrat, ad principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores, & non solum ad cohortem, & satellites, & ministros iustitiæ. Hæc autẽ dixit illis, vt se sponte tradi in manus eorum significasset: siquidem quotidie ait, vobiscum eram in templo, & non extendistis manus vestras in me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc est vobis istud permittitur, & principi tenebrarum, cuius vos estis ministri. Etenim, vt ex Ioanne. 7. didicimus sæpe tentarunt Dominum comprehendere, & non prævaluerunt, nam miserunt ministros capiendo Domino, & non ausi fuerunt: quia nondum hora accesserat ab ipso suæ passioni decreta. Postquam autem osculatus est Iudas Dominum accesserunt satellites, & tenuerunt Dominum, vt narrat Matthæus dicens, Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in eũ, & tenuerunt eum. Porrò obserua, vt verè dictum est à Ioanne, diabolum possedisse cor Iudæ: siquidem primus, qui ausus est tantum patrare facinus ipse fuit. Alij enim non ausi fuissent accedere, & tenere Dominum, nisi ipse primus, Dominum osculando, illis præberet capturæ fiduciam. Erant enim deterriti, quia in terram deciderant ex Domini verbo, non alijs machinis, aut armis deiecti. Iudas autem, timorem accedendi ab eis deposuit, accedens primo, & osculans eum: & forte qui primus iniecit manus, & Dominum tenuit ipse fuit. Hac enim mercede erat punienda Iudæ ingratitudo, vt adeo permitteretur diabolus in eum sæuire, vt ipse esset nequior, omnibus satellitibus, quia ingratissimus extitit omnium. Hunc enim Dominus mundauit, quando in apostolum eum elegit, at verò discedens à Domino, facta sunt nouissima hominis priora prioribus, propter ingratitudinis peccatum. Posthæc sequitur apud Matth. & Mar. & Lucam quod Ioannes modo commemorat, nisi quod Matth. & alij duo, non memorãtur hũc percussorem Malchi fuisse Petrum, sed solum alterum ex astantibus discipulis. Solus Ioannes refert hunc esse Petrum, vt solus ipse expressit nomen ministri percussi à Petro. Alij enim tacent nomen Malchi. At vero Ioannes ad certitudinem historiæ nomen expressit: vt tũc legentes librum Ioannis discere possent ex nomine ministri, rei gestę veritatem: sicut etiam solus Lucas, sanatam fuisse à Domino auriculam meminit, vt ostenderet Domini misericordiam, vel in inimicos extendi, quando seruum iniqui pontificis, & hostis acerrimi Domini tactu suæ manus, & curat, & sanat. Nam quod ipse docuit de diligendis inimicis, opere semper absoluit. Et stupenda est horum peruicacia ministrorum, qui videntes Christi potestatem, quæ deiecerat eos ad terram, & sanauerat auriculã serui pontificis solo tactu, adhuc in suo tenaci proposito perstiterunt capiendi Domini. Alij ministri Ioan. 7. ex solo Christi audito verbo, non ausi fuerunt comprehendere Dominum isti, neque verbo, neque miraculorum potestate deterrentur à patrando immani facinore. *Simon ergo Petrus.* Lucas refert primum apostolos interrogasse Dominum, Domine si percutimus in gladio? Et hæc interrogatio fuit facta antequam Petrus eximeret gladium. Responsio autem Christi non continuo subditur, sed interponitur quod Petrus percusserit Malchum gladio, & deinde subditur Dominum dixisse, Sinite vsque huc. Vnde Augustin. lib. de consensu Euange. docet hęc verba Domini fuisse responsionem, ad interrogationem apostolicam præfatam, Domine si percutimus in gladio, & hæc verba Domini non significare, quod sufficiebat percussisse, iam nõ percussuris sed potius, *Sinite vsque huc*, ideſt, Nõ prohibeatis hos me capere, sed illos sinite facere, quod faciunt. Et hic sensus videtur admodum germanus, siquidẽ, nunc legimus apud Ioãnem dixisse Dominum Petro, Mitte gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi pater non vis, vt bibam illum? Hoc igitur significat, quod habetur apud Lucam, *Sinite vsque huc*, ideſt, nolite prohibere quod isti faciunt, ne videamini prohibere, quod pater meus ab æterno nouit, & permisit

Euangelistarũ cõcordia.

permisit futurum, me subdendum morti pro salute hominum. Verum dicet aliquis, Cur ergo Petrus gladio est vsus aduersus ministros Iudæorum, si hoc sibi volunt verba Domini, Sinite vsque ad huc? Augustinus respondit lib. de consens. 3. cap. 5. in hæc verba, Inter moras verborum interrogantium Dominum, & illius respondentis Petrus auiditate defensionis percussit. Aut dicere poteris, Petrũ ex tumultu inuadentiũ impeditus, vel distractus non obseruasse exactè Domini responsum: ideoque succensus ira contra iniustos inuasores, distrinxit gladium, & percussit Malchũ. Porrò, etiamnum insistet quispiam dicens, Cur ergo dixit, Sinite vsque huc, siquidẽ Luc. 22. scribitur, Quando misi vos, sine sacculo & pera, & calciamentis, nũquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt nihil. Dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium. Si ergo hoc mandat Dominus, vt emant gladios apostolis, cur ergo videtur nunc prohibere vsum gladij, aduersus satellites illos, dicens, Sinite vsque huc? Vnde Ambrosius cõm. 10. in Lucam hęc eadem differens verba inquit, O Domine cur emere me gladium iubes, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis quem vetas promi? Nisi forte, vt parata sit defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire me non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit, Quasi licuerit vsque ad euãgelium: vt sit in lege æquitatis eruditio, in euangelio æquitatis perfectio. Multis hoc videtur iniquum, sed nõ iniquus Dominus, qui cum se posset vlcisci maluit immolari.

An belligerare sit contra euangelicam disciplinam.

¶ Est igitur Ambrosij placitum, Dominum præcepisse habere apostolos, gladium, vt doceret apostolos posse vlcisci suas iniurias, vetuit tamen eo vti, propter euangelicam perfectionem. Verum ex hoc loco, & ex alijs sanctorum decretis quidam hac ætate contendunt bella facere iniustum Christianis esse, & contra euangelicam disciplinam. Vnde Euthimius ad Matth. 26. ait, Vbi enim Petrum increpasset, docuit, neque etiã pro Deo defendendo, vtendum esse gladio: per gladium vero omnia arma prohibuit. Et ex recentioribus est Ferus, qui lib. 4. commen. in Matthæum tractans verba Domini. Conuerte gladium in locum suum, Tria ait, hoc loco docet Christus. Primo euangelium non armis secularibus, non humana ope esse defendendum, sed illius defensionẽ Deo esse permittendam. Sic Paulus. 1. Cor. 10. Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt: sic Christus nullo gladio vsus est. Secundo in Matthæo dicit, audistis oculum pro oculo: ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros. Tertio specialiter hîc interdicit apostolis gladium externũ. Habet enim & habere debet gladium spiritus, qui est verbum Dei. Hinc Esaias prædicit pugnam apostolorum futuram esse, sicut in die Madiam: hoc est, sicut Gedeon Madianitas vicit, non armis sed tubis. Et cõplosione lagenarũ, sic apostoli facturi erant spiritualiter. Erasmus quoque Rotero. nõ abhorret ab hac sententia annota. 3. & 22. secundi capitis in Lucam, multa ex patribus indicans testimonia in suffragium huius sententię. Et idẽ deducens ex verbo Domini Matt. 5. vbi mandatur ne resistamus malo, & quod precemur pro inimicis, & quod percutienti nos in alteram maxillam, obuertamus alteram. Cęterum in re hac, vt breuiter agam, multa distinctione vtendum est. Nam aliter loquendum est, de apostolis, aliter de successoribus & ecclesiastica republica, aliter denique de fidelibus & ciuili republica. Vtique apostoli religionem Christi, quam auxerunt & introduxerunt, non armis carnalibus vsi sunt, vt apostolus ait, sed solum gladio spirituali. Sic enim erat necesse, ne homines putarent euangelium esse humanum opus, quod præsidijs, defendebatur & introducebatur humanis, imo vt crederent esse cœlestem doctrinam, ideo cœlitus fuit introductum euangelium per miracula & apostolicam doctrinam, id quod Paulus docet. 1. Cor. 2. Et sermo meus, & prædicatio, inquit, mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Hoc tamen non obstante, quod religionem spectabat, suas proprias personas ab inuasoribus

ribus defendere armis si voluissent apostoli, potuissent: quippe euangelium nõ detrahit ius naturæ, neque euangelica perfectio, derogat iuri naturali. Est autem naturale ius se defendendi ab iniusta aggressione: nã vim vi repellere licet seruato moderamine inculpatæ tutelę. Porrò quia apostoli certam habebãt cœlestem defensionem, ideo quod licebat eis ex naturæ iure exequi, non expediebat: quia multa licẽt, quę non expediũt. 1. Cor. 9. At verò ad defensionem Christi prohibuit apostolis armis vti: quia armis nostris non egebat Christus. Vnde ait, An putas, quia non possum rogare patrem, & ipse exhibebit mihi plusquã duodecim legiones angelorum?

¶ Sanè, qui solo verbo phalangas, & cohortes hostiles exterruerat, & ad terram deiecerat, nihil opus habebat armis, aut humanis quibusuis præsidijs. Quod ergo dixit apostolis, vendat tunicam, & emat gladium, non propter suam tutelam dicebat, siquidem apostolis respondentibus, ecce duo gladij hîc, Dominus ait, satis est. Nunquid si gladios sibi esse necessarios intellexisset, diceret ne duos sat sibi in suam defensionem esse? non vtique. Quia duo gladij nihil erant, ad depellendam hostium tantam turbam, armis multis instructam.

¶ Dominus ergo instruere verbis prædictis voluit apostolos, non de ijs, quæ tũc necessaria erant factu ad suam defensionem, quia nihil erat sibi necessariũ: quippe spontaneus morti se tradebat. Sed de ijs, quæ post mortem Domini erant apostolis necessaria intellecta volebat: ideo quasi futuris consulens dixit, Quando misi vos sine sacculo, &c. Hoc est, post hac non erit agendum vobiscum, vt hactenus egi, vos mittens ad prædicãdum, sine marsupio, sine pera, & calciamentis: vobis enim iam hæc posthac permittuntur, iam necessaria vobis prouidebitis de commeatu, & vestibus, scilicet, & alijs vtensilibus, postquam Spiritus sanctus vos imbuerit, & ego recessero à vobis. Nam quandiu mecum agebatis ego ab hac solicitudine vos exonerabam, vt meam prouidentiam erga vobis necessaria experiremini: at vero postquam expertam habetis expedit vobis, curetis iam vobis necessaria. Quippe non estis iam deinceps tractandi vt paruuli, qui blanditijs sunt fouendi temporalibus: sed vobiscum ego sum acturus, vt cum viris perfectis, vt ad hanc ferè rationem Chrysosto. exposuit locum hunc in homilia ad Roman. tractans eum locum, Salutate Priscillam & Aquilam. Similiter quod dixit emendum gladium, non est referendum ad apostolos, quasi iusserit, vel tunc ad defensionem Christi, aut postea ad suam defensionem euangelij, necessariam esse armorum emptionem, siquidem immensa pecunia esset necessaria, imò nulla sufficeret, si armis esset apostolis agẽdum contra totum orbem repugnantem euangelio. Igitur necessario oportet intelligere, si nõ propter apostolos hęc Dominũ dixisse, intelligenda esse, vel propter successores apostolorũ, vel propter ipsam ecclesiam, aut propter fideles. At verò dicet aliquis, Clericis prohibẽtur arma, est sanè verũ, sed nõ ex iure diuino est ista hæc prohibitio, sed ex Iure pontificio: & hoc ius non vetat clericum se armis defendere aduersus inuasorem, de homicidio in. 6. cap. vnico. Et ex licentia Romani pontificis arma possunt capere. Si enim vidisset opus esse facto, in fauorem fidei, aut infidelium defensam potest dispensare. Etenim etsi tempore apostolorum euangelium non erat introducendum, aut defendendum armis, at verò postquam introductum est, & stabilitum, aduersus infideles spernentes fidem, & aduersus hæreticos contemnentes censuras ecclesiæ, quod armis agatur, non est contra euangelicam disciplinam, furor enim infidelium, nisi armorum vi infrænari non potest, & hæreticorum petulantia, si aliter coerceri nequit, nisi armis, vtique agendum esset contra eos armis. Contendit Lutherus, & sui sequaces idem firmant, solum gladio spiritus esse agendum, vt est videre apud Rophensem articulo. 23. contra Lutherum. Sed quid, si gladius spiritus spernitur, vt ipse & sui doctrinam ecclesiæ spernunt, & ecclesiæ claues ridẽt? Quid ergo, nihil agendum tunc est contra hæreticos huiusmodi, qui doctrinis suis, & fraudibus demoliuntur ecclesiã Dei? Cedendum ne illis est, non repugnandum? Si ita res est tractanda, hoc est quod illi exoptant, vt sinantur sua propa-

Apostolis post mortem Domini permittitur deferre marsupium & calceamenta & commeatum ex Chrysost.

Lutherus refellitur.

propagare dogmata. ¶Hæc sanè sunt sancta remedia, eos commonere de suis erroribus, vt resipiscãt à diaboli laqueis, quibus captiui tenentur, clauium potestatem contra illos exercere, eos excommunicando à cætu fidelium, ne sua contagione fideles inficiant. Verum si hæc non profuerint flammis agendum est in eos: quod si has nõ timent, quia illorum vis temporalis omnibus istis resistit, abigendi quidem sunt, & valide coercendi, alijs remedijs. Quod si alia extant nulla vtique militaria contra eos arma mouenda sunt, si hæc creduntur profutura.

¶Clamant porrò ipsi non esse resistendum malo, sed esse vincendum in bono malum. Sed quid si hæc verba sumenda sunt, vt præferunt, iudices, ergo magistratus & prætores reipublicæ siue ciuilis, siue ecclesiasticæ non possunt resistere malefactoribus, non interficere homicidas, non suspendere latrones, nõ castigare veneficos, &c. Siquidem si nul latenus est resistendum malo, istis malis non resistendum est, neque illis obsistendum siue per pœnas ecclesiasticas excommunicando, suspendendo, deponendo, &c. aut per pœnas ciuiles, iugulando, suspendendo, vrendo, truncando, &c. At verò Paulus ad Roma. 13. inquit, obediendum esse potestatibus, quæ ex ordinatione Dei gladium portant, ad vindictam sumendam de malefactoribus, & ad distribuendum præmia benefacientibus: igitur resistendum malo est.

¶Ad hæc. 2. Corin. 10. in promptu habentes, ait, vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Igitur cum iam impleta sit obedientia gentium, quia gentes iam obedierunt euangelio, apostolorum successores vlcisci possunt malefacta, & ita malis resistere.

Quomodo sit resistendũ malo.

¶Quod ergo Dominus inquit, non resistendum esse malo, intellexit iniusto modo, non esse resistendum malo: verũ qui iustè resistit, non inique facit: vt qui iniuriam accipit, si ad iudicem defertur in dicaturum iustè resistit. Et princeps, qui aduersus tyrannos, & grassatores suam rempublicam turbantes, arma mouet iustè resistit: aliàs non essent necessarij vel reges, vel magistratus, vel iudices, quia prorsus non essent necessarij si malis obsistendum non esset. Nanque huius obsistentiæ gratia creantur in republica, & aluntur ex vectigalibus reipublicæ. Vnde Paulus obstitit incestuoso illi Corinthio. 1. Cor. 5. & tradidit eum Sathanæ, vt spiritus eius saluus fieret. Vides, vt obstitit malo sed non ex malo, sed ex bono, vt spiritus, inquit, saluus esset in die Domini. Secundum quam rationẽ, qui iusta bella gerunt, ex bono animo gerere debent, videlicet, vel vt religionẽ defendant, à grassatoribus, & tyrannis, vel, vt rempublicam in pace seruent, sibi cõcreditam. Etenim si Turcis, & alijs infidelibus, non est repugnandum, vt Lutherus delirat actum esset de Christi ecclesia, cuius sanguinem fundere, & vsque ad internecionem eã deuastare Turcæ moliuntur. Et miratu dignum, quid venerit in mentem Luthero, vt hoc delirium euomeret. Iactat ille fidẽ, & tamen hoc articulo, hostes fidei fouet & nutrit. Verum quod delirus deliret, nihil mirãdum est. ¶Equidem sunt inimici diligendi, at non est fouenda inimicitia: hæretici sunt diligendi, sed non fouenda hę resis, sed potius punienda, latrones, sicarij, venefici, &c. sunt diligendi, non tamen horum facinora sunt amanda, sed punienda. Iudex ergo, qui latronem vel sicarium suspendit, rectum facit, & si animo seruandi pacem in republica facit, rectè facit. Non est inimicus, quia suspendit, quia iudex bonus dolet de facinoroso, & gaudet de vindicta facinoris. Ita quoque qui iustè belligerant, animo amico faciunt seruandi rempublicam, aut religionem incolumem. Ipsi dolent, quod sit necesse arma mouere: at verò quando aliud non extat consulendi paci remedium, iustè accinguntur ad arma: vt medicus, qui tentatis frustra alijs antidotis, in vno cauterio, aut mẽbri absciss ione ægrotantis salutẽ collocat. Quæ si benè omnia expẽderis inefficacia esse videbis, quæ ex Ioanne Fero in diuersum attulimus. ¶Primo dices, apostolos, non vsos fuisse carnalibus armis, sed spiritualibus propter rationẽ cõmemoratã, iã ex apostolo. Verũ si prædicatores ecclesiæ modo, & doctores eisdẽ armis spiritualib⁹ nihil cõficiũt, ad arma carnalia licebit militibus recurrere. Habet enim ecclesia vtrũq; gladiũ & spiritualẽ & materialẽ:

Soluuntur argumẽta Feri

sed iste pro ecclesia, ille vero & ab ecclesia exercendus est, ille sacerdotis, is militis manu Ber. lib. de consid. 4. Quid quod etiam num ad conuertendum infideles, non est vtendum armis carnalibus: quia nemo cogendus est ad fidem: quanuis contra eos blasphemantes Christi nomen, aut fidelibus nocentes, armis carnalibus agere nemo vetat. Ad trahendum verò eos ad fidē Christi gladio spiritus, & precibus, & sanctis exemplis agēdum potius est. Verū ad repellendas eorū incursiones, in terras fideliū, & ad barbaros eorum impetus arcēdos, armis carnalibus agere sanctum est: cætera nāque spiritualia remedia ab ipsis planè cōtemnuntur. Et quod ait Deo esse permittendā defensionē, vtique semper est sub manu Dei ecclesiæ defensio. At vero si per causas medias subuenire possumus, ne accidat læsio fidei, vel reipublicæ, esset tentare Deum deserere humana remedia, & totum remittere Deo.

¶ Secundo iā responsum est, animo Christiano fieri posse bella, pacem quærēdo, reipublicæ sedationē, & securitatē. Qui verò animo correpto bellum gerit, vituperandus est: quia non quærit boni publici salutē, sed priuatum spectat cōmodum. Quocirca non solum licuit bellare antiquis patribus, sed etiam Christianis, fas est bella agere, quando causa belli iusta est, & animo iusto exercetur: siquidē ius naturæ idem est, quod modo viget, & antiquitus vigebat, vt, scilicet, quilibet possit se seruare indemnem. Si enim qui defendendo se, aliū occidit, rectè facit, & non agit contra Domini mandatū de diligendis inimicis: quippe quia sic se defendēdo aliū occidit nolebat occidere, sed inuasoris impetus ipsum coegit occidere: ita est qui contra alios iusta bella mouet. ¶ At Ambrosius insinuans, vt supra indicabā, sub lege licitū esse mouere arma, nō tamē sub perfectione Christianismi, & quod Dominus admonendo emptionē gladij, hoc solum voluerit quod paratā habeamus defensionē, non tamen vltra progrediendū esse ad vltionē, sub dubitationis notarē dixit. Enim uero perfectissimus homo si fingatur, hic inuasorem, quē alias euadere non potest nisi occidendo occidere poterit sine læsione suæ perfectionis. Imo eò maior est iniuria, quo maior est perfectio vitæ eam accipientis: & maiori derisui pateret, qui habens paratam defensionē, mori temerè succumberet. Aut si fideles habentes defensionē, se traderent hostibus captiuandos nonne iusta ratione essent increpandi? vtique. ¶ Tertio respōsum est iam superius: lege Augu. 22. contra Faustum à cap. 74. vsque ad caput. 79. De dilectione inimicorū plura diximus in. 3. Sententiarum libro, ideo maiori tractatui supersedemus. Hęc igiturduo sibi consentiunt, & quod Dominus mandet emere gladium, & quod eiusdem vsum apostolis prohibeat ob rationes commemoratas. Quod verò psaltes dixit, Dissipa gentes, quæ bella volunt, non infringit præfatā fidei veritatē: siquidem hoc idē nos fatemur, bella non esse amanda, sed fugienda, vt medicus, non amat deurere infirmi membra, neque iudex bonus, amat hominē suspēdere: at vero, veluti inuiti faciunt, quod esse faciendū necessario ratio suadet. Et demū quod Origenes tract. 7. in Matth. ait, pestiferā esse intelligentiā huius loci quē tractamus de gladio emēdo, si ad literam intelligatur, recte dicit, quia pessimus est sensus hic, Emitte gladios materiales ad meā defensionē. Et quāuis quidā ex authoribus priscis videātur cōtrariū fouere dogma, at ecclesiæ doctrinæ stādū est. *Mitte gladium.* Hoc est nō est necessaria mihi tua defensio, ideo gladiū mitte in vaginam. Quęrunt vnde apostoli gladiū habebāt, qui prorsus pacifici erant, & pacifici Domini serui? Sunt qui dicāt habuisse gladios ad scindēdos cibos, & agnū: verū hi gladij nō erant apti ad defensionē, & de gladijs defensorijs Dominus aiebat, dicens, Emat gladium. Nicolao placuit, quia erant piscatores, ideo habebant gladios, ad reficiendas nauiculas. *Abscidit auriculam.* Malchus hic seruus pontificis, ipsum populū Iudaicū, allegoricōs denotat: quippe populus Iudaicus, adhuc seruit legi, & vet⁹ sacerdotiū amat, & colit. Quod ergo Petrus abscidit auriculā eius, hoc denotat, quod Domin⁹ dixerat, Vt audiētes nō audiāt: & apud Esaiam prædictū fuerat, Auribus audietis & corde nō percipietis. Habēt enim obductū auditū internū. Et hāc lęsionē audit⁹ significat in auriculę exterioris percussione.

ne. Et Petrus percussit, nanque fidei confessio, quę significatur in Petro, hęc ostẽdit Iudæos esse infideles. Sanatio autem auriculæ commemorata à Luca subdenotat tandem Iudæos verum Christi recepturos fidem. *Cohors autem, & tribunus & ministri Iudæorum cõprehenderunt Iesum, & alligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.* Proh quam superbum, quamque insolens est humanum ingenium, postquamque à Deo destitui tur, quam se præcipitat. Audent isti ligare & comprehendere Dominum, postquam viderant ex verbo solo illo, Ego sum, deterritos adeo fuisse, vt retrorsum abeuntes in terram caderent. Neque hoc opus mirabile, reueriti sunt neque verbum Domini illud omni mansuetudine plenum, quod alij Euangelistæ referũt. Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehẽdere me? Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Hæc nanque verba Domini præcesserunt capturam, & ligationem ipsius. Ex quibus verbis Dominus arguit hos iudiciarios ministros de maligno opere: quod perpetrabant, comprehendendi innocẽtissimum, & suum doctorem, & magistrũ. Et meminit doctrinæ suæ, dicens, Quotidie eram apud vos docens in templo: item suæ innocentiæ, dicens, Tanquam ad latronem, existis. Quasi dixisset, Cur non erubescitis tanto probro afficere hominem innocentem, non malefactorem, sed qui multa bona opera ostẽdit vobis? cur non pudet vos vestrum doctorem, qui quotidie in templo vos docebat, tantis iniurijs prosequi? Verum, vt aiebam, hæc est humani ingenij temeritas, vt si cœperit in prauitate obcallescere, neque verbis molescit, neque operibus bonis miteſcit: sicut inueterati morbi, nihil remedij admittunt. Significat autem Dominus his verbis se volente capi, & ligari: & quia hactenus noluerat, ideo in templo docens, & miracula edens non fuit comprehensus. Et quanuis doctrinę suæ meminerit modo, non tamen meminit miraculorum: quia sat erat miraculo recenti deijciendi eos in terram, eos admonere ne facinus tantũ admitterẽt. *Cohors.* Græcè σπεῖρα, ideſt, caterua, pro tribuno est Græcè χιλίαρχος, ideſt præfectus mille viris. Vnde videtur non solũ ministros iudiciarios seu satellites venisse ad capiendũ Dominum, sed etiã principes sacerdotũ & magistratus tẽpli & milliarij duces gentiles, vt patet ex Luc. 22. & Ioan. Erant autẽ apud Rom. tribuni quidã dicti plebis, alij militũ, alij ærarij: ille vero tribunus fuit militaris tribunus. Dicti autẽ sunt tribuni plebis, qui fuerãt instituti ad componendã pacẽ inter ciues discordantes: militiæ vero tribuni, ij, quibus congruebat, quæ militiæ erant curare, vt tribuni æris, qui præerant cudẽdo, & probando æri. Appellationẽ verò traxit hoc nomen, quia tribuni eligebãtur olim à tribus, inde tribuni. ¶ Ligatum ergo Dominũ ducunt ad Annã primũ, ideſt primo, quia erat socer Caiphæ, & etiam quia anno superiore ante Caiphã fuerat põtifex colebatur tanquã põtifex. ¶ Ligatur Dominus nõ ex vi funalis, sed ex vi amoris: qui ardebat in humanum genus. Vincula igitur charitatis Christũ ligant, nõ vincula linea, aut ferrea, quę nõ poterant eũ ligare. Hæc sunt vincula illa, de quibus Oseas. 11. dixit, In vinculis charitatis dilexi te. Sicut nisi Samson amasset Dalilã, nõ ligaretur à Philistęis, ita quoque nisi Christus dilexisset ecclesiã, nõ vinciretur vinculis, quibusuis, neque ligaretur vniuersis ligamentis. ¶ At ligatur ex sua volũtate, & nõ se extricat à ligatura ex sua in nos charitate. Verũ ò Iudęi videte quid ligatis: verbum enim Dei ligatis: at verbũ Dei nõ est alligatũ. 2. Tim. 2. Nã verbum Dei portat omnia virtute sua, ad Heb. 1. per verbum Dei facta sunt omnia, Ioan. 1. Quæ ergo dementia vos cepit, ò sallites iniqui, ò magistratus iniustissimi, vt omnipotentem ligetis? Ipse idem quem vos ligatis modo ad crucis mortem, ipse ligabit vos ad carcerem inferni vinculis sempiternis, nisi sceleris huius immanis pœnitentiã agatis. Nunquid poteritis ligare cœlos, aut terrã, aut mare? quomodo ergo insanitis ligando authorẽ omniũ horũ? Ligatus sane vobis videtur Christus, at solutus est, quia ligatur ex sua volũtate, & solutus est ex suapotestate. *Erat autẽ Caiphas qui cõsiliũ dederat Iudæis, quia expedit vnũ hominẽ mori pro populo. Sequebatur autẽ Iesum Simõ*

Iudæorũ perfidia obdurationissima.

Insolẽtia humani ingenij stupenda.

Tribuni plebis tribuni militares tribunij ærarij.

Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Græcè Caiaphas legitur, & Cyrillus & nonnulli Græcorum authores ita legunt, etsi non apud omnes Græcos. Caiphas igitur erat gener Anę. Et vt refertur, isti duo erant vicissim pōtifices, & desierat pontificatus Anæ anno, quo Dominus fuit mortuus: & Caiphas residebat tunc in pontificatu. Verū quia alternatim erant pontifices, ideò Anas reputabatur tanquam pontifex, quare volentes illi gratum facere cohors & satellites illi prauitatis, duxerunt Dominum primo ad Anam, propter generum suum, vt Ioannes innuit. Aut forte etiam antequam Dominum irent captum, condixerant socer & gener, vt primum adduxissent ad domum soceri, hunc volente genero honorem illi deferre, quod Dominus primo illi præsentaretur ligatus, vt vel sic triūpharet sua opinione de Christo. At dicet aliquis Anam quoque tunc fuisse summū pontificem, siquidem Lucæ. 3. scribitur sub principibus sacerdotum Ana, & Caipha, id quod Caiet. videtur placuisse.

¶ Cæterū, vt liquet ex Euangelistis sub passione solus erat Caiphas pontifex, & solum nominant vnum principem sacerdotum & non duos. Lucas autem hos duos vocat principes sacerdotum, non quia erant tunc summi sacerdotes, sed quia, vt glossa probat, prædicatio Christi, & passio Christi hos habuit alternatim principes sacerdotum.

Pontificium vęnale Iudęorum sub Cæsare.

¶ Sacerdotium enim summum tūc à Romanis præsidibus non conferebatur secundum legitima Iudæorum, sed secundum auaritiā suam. Ideoque non obseruabant genus, & virtutem sed solū pecuniā, quia illis vęnale erat. Quocirca conferebatur quotannis, vt maius lucrum reportarent, & nonnunquam in eodem anno duos creabant successiuè summos sacerdotes. Quamobrem fieri poterat, vt in anno prædicationis Ioannis Baptistæ, qui fuit. 15. Tiberij Cęsaris & Anas, & Caiphas successiuè summo potirētur sacerdotio. At vero quia Ioannes solum meminit pōtificatus Caiphæ anno, quo Dominus passus est, vnde ait. 12. Caiphas autem cum esset pontifex anni illius prophetauit, &c. Videtur quod Anas non erat pontifex anno illo, qui fuit. 18. Tiberij, sed quia proximè desierat pontifex esse, & quia erat socer pontificis, ideo adducitur Iesus ligatus primo ad Anam. Quod ergo Lucas commemorat sub principibus sacerdotū Ana, & Caipha fieri potuit, quod eodem anno successiuè fuissent ambo pontifices. Quod verò apud alios Euangelistas scribitur congregatos fuisse principes sacerdotū, vt Iesum caperent, &c. de istis duobus intelligere oportet: quippe ambo nominantur principes sacerdotum, alter quia actu erat, Caiphas, scilicet, alter verò quia proxime eodem munere pontificio functus fuerat. Et ideo etiam quia socer Caiphæ erat fuit accersitus ad pessimam consultationem de occidēdo Domino. Tametsi Aug. lib. de consen. Euāge. cap. 6. dicat, Hic sane ostēditur quod Anas pontifex erat: nondum enim missus erat ad Caipham cum iam illi dicere tur, Sic respondes pontifici: & hos duos pōtifices memorat Lucas, &c. Verū Cyrillo magis assentio vt iā patebit. Cyrillus igitur legit post verba nostri textus, *Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominē mori pro populo.* Subditur apud Cyrillum. *Miserunt autem eum ligatum ad Caipham.* Significatur autem hoc sermone Anam habuisse tunc secum Pharisæos & scribas: & ideo ait, Miserunt autem eum ligatū, &c. Itē insinuatur Anam nullū exercuisse iudicij actum, quippe qui non poterat, ideo Christum misit ligatum ad Caipham. Hoc autem idem scribitur apud Ioannem. Et misit, inquit, eū Anas ligatū ad Caiphā. Vnde suborta est difficultas nō leuis: quippe videtur omnia recēsita ab eo loco, Et adduxerunt ligatū ad Anā gesta sub Ana, videlicet, quod Petrus fuerit introductus in domū pōtificis, & stās se calefaciebat, &c. & quia Ioannes post quā dixit, Et misit ligatū ad Caiphā refert in domo Caiphæ Petrum vltimo negasse, videtur quod alias duas negationes absoluerit in domo Anę, reclamantibus alijs Euangelistis, apud quos omnes negationes Petri factæ referuntur in domo Caiphæ, Matth. 26. Marc. 14. &c. Verum quia re vera solum Caiphas erat pontifex anni illius, in quo passus

Matth. 20. Lucæ. 22. Marc. 14.

est

est Dominus, necessario dicere oportebit hæc, quæ Ioannes refert, quasi postea facta, fuisse gesta prius, videlicet, quod Anas misit Iesum ligatum ad Caipham, vt Cyrillus legit, etsi Cyrillus legat pluraliter, Miserunt eum ligatum ad Caipham. Et deinde legit, Misit igitur Anas eum ligatum ad Caiphã, quod Ioan. subscribendo, quæ primo omiserat, quando de Caipha fecerat paulo ante mentionem, dixit. Et si nos non legimus, Misit igitur, sed, Et misit eum ligatum ad Caipham, Græcè tamen, non legitur, &. Neque hoc nouum, in scriptura, quæ primo essent referenda referre posterius, vt supra dicebamus. Et iuxta lectionem Cyrilli, Misit igitur, litera est lucidior, & cohærentia manifestior, aut si vertatur, vt verti poterat, Miserat. Et quanuis de re hac sint multæ concertationes, de ratione conciliandi hoc loco euangelistas, verum nullo sudore conciliantur, si rectè & libratè verba Ioannis librentur, itaque cum ait, Misit eum, &c. non est ordinis prosecutio, sed subiectio prætermissi.

¶ Postquam verò cohors & tribuni Dominum ligauerunt, cum iam eum adduxissent, ad Anam, referentibus alijs euãgelistis Matth. & Marc. omnes discipuli relicto eo fugerunt. Marcus autem solus commemorat adolescentem quendã, amictum sindone, super nudo, ideſt, qui nuditatem sui corporis obtexerat sindone, sequi Dominum. Hunc autem adolescentem quidam arbitrantur fuisse Ioannem, alij inficiantur: siquidem apostoli non vtebantur hoc genere vestimenti, neque adolescentes erant. Et denique si omnes apostoli fugerunt, & hic adolescens Christum sequitur, adolescens hic, non erat discipulus Domini. Enimuero Euangelistæ non tacuissent, si fuisset Domini discipulus, vt non tacuerunt Petrum, & alium discipulum Dominum fuisse secutos. Vnde videtur Marcum descripsisse ætatem huius sequacis Christi, & amictum, vt ex istis duobus luceret nobis, hunc adolescẽtem non fuisse apostolorum quemquã. Forsan hic adolescens erat discipulus Domini occultus, aut sequebatur Dominũ nõ religione, sed curiositate videndi, quæ gerebãtur circa Christũ, vt sæpe accidit, apud nos. Euthimius verò cõm. in Matt. 26. indicat hunc adolescentẽ fuisse secutum Dominũ ex domo, in qua mãducauerat agnũ paschalẽ, quia illius domus domesticus erat, aut fuisse Iacobum fratrem Domini nuncupatum, qui tota vita sua vnica veste vtebatur. Verum, vt aiebã ex ętate adolescẽtiæ, exposita per Marcum, videtur non fuisse ex collegio apostolico: siquidem Dominus non assumpsit in orbis principes adolescentes: quandoquidem, ipse Dominus prædicaturus, officium exercuit prædicãdi cum esset annorum quasi triginta testãte Luca. Ergo ne putabimus adolescentes vocasse Christum ad apostolatum? Et quo modo fugiunt omnes apostoli si vnus sequitur? Fugerunt sanè omnes, at verò cũ Dominum adducebant cohors & tribunus ad Caiphæ domum, tunc Petrus sequebatur à longe Christum, vt alij Euãgelistæ dixerunt. Non enim prope audebat Dominum sequi, ne simul comprehenderent eũ cum Domino: sed à lõge, vt & sibi ex longa consuleret distantia & videret securus, quæ Domino accidebant. Non solum autem Petrus sequebatur Christũ, sed alius discipulus, scilicet, Ioannes, is ipse qui hęc enarrat. Suo tamẽ more, de se loquitur in tertia persona, qui mos est familiaris scriptoribus sacris. Ioannes autem erat notus Caiphæ, quanuis, vnde fuerit notus ignoratur. Sed non est cur nos hoc solicitet dubiũ, siquidem frequenter accidit, homines plebeios familiares & notos esse proceribus: quoniam proceres in multis egent opera plebeiorum. Et propter hanc familiaritatem introiuit simul cum Iesu in atrium pontificis: cum enim essent occupati cum turba Iudęorum milites in accusando Iesu, forte non obseruabant Ioannis introitũ. Petrus tamen non fuit ingressus simul cum Ioanne sed stabat ad ostiũ foris. Vnde videtur fores fuisse clausas, simul atq; Dominum introduxerunt in atriũ põtificis, ideoque stabat ad ostiũ foris. Aut si patefactę erãt fores, ancilla ostiaria nõ sinebat Petrum ingredi: quod aduertens Ioannes rogauit ostiariã ancillã, vt nõ prohiberet ingressum, qua tamen nõ prohibẽte patuit ingressus Petro. In Petro igitur, & Ioanne, magis resplẽduit amor erga Christũ. Quippe cæ

teri omnes apostoli postquam arripuerunt fugam, ex fuga non sunt reuersi ad sequendum Dominum, vt viderent, quæ circa illum gerebantur exceptis Ioanne & Petro, qui inuicem etiam singularem habebant amicitiam. Ideo solus Petrus interrogat, de statu futuro Ioan. infra. 21. *Dicit ergo Petro ancilla ostiaria.* Postquam precibus Ioannis Petrus fuerat introductus, intro in atriũ, vbi erat in medio ignis accensus, vt ex alijs euangelistis habetur & circumsedentibus ministris ad ignem, erat Petrus in medio eorum sedens cum ministris, & calefaciebat se, vt videret finem. At verò de numero negationum Petri, & de loco vbi vel inceperit vel perfecerit eas, non est conuentum omnibus. Quippe Caietanus eorum probat sententiam, qui Petrum negasse Dominum septies credunt, bis ad virilem vocem in domo Anæ, antequam Anas misisset Dominum ad Caipham: & istæ duæ negationes fuerunt extortæ à viris interrogantibus Petrum, num ipse esset Domini discipulus, ipso inficiãte. Et has duas negationes cum proferret, erat ad ignem stans cum ministris Anæ, vt Ioannes hoc loco commemorat, dicens primo. Stabant autem serui & ministri ad prunas: erat autem cum eis Petrus. Et primam harum extorserunt ministri postquam introductus fuisset Petrus in domum Anæ: secundam vero extorsit ab eodem Petro seruus pontificis, scilicet, Anæ. At vero in domo Caiphæ tres exprimuntur extortæ ab ancilla ostiaria, duas apud Matthęum. Prima quarum erat Petro sedente foris in atrio, secunda vero exeunte iam, vel appetente exitum per ianuam: tertiam vero negationem extorsit quædam ancilla ostiaria, simul atque intrauit in domum Anæ, vt Ioannes hic commemorat. Nam Matthæus non memorat ancillam extorquentem primam vel secundam negationem fuisse ostiariã, sed Ioannes. Et hæc fuit negationum harum prima, quam extorsit ancilla ostiaria in domo Anæ. In Luca verò duæ exprimuntur extortæ à viris quibusdam, negationes.

¶ Vnde quatuor videntur Caietan. & alijs authoribus fuisse negationes extortæ à viris, duæ in domo Anæ, & duæ in domo Caiphæ, & tres credit extortas à fœminis. Aliam quidem ab ancilla ostiaria simul atque, ingressus est Petrus in domum Anæ, & alias duas ab alijs ancillis, postquam Petrus ingressus fuerat domum Caiphæ, & quando exire appetebat, vt extat apud Matthæum. 26. Lucæ. 22. & apud Ioannem modo. ¶ Porrò autem hoc placitum, quod multis probatur, equidem non videtur admodum probandum. Quippe, solus Caiphas nominatur princeps sacerdotum ab euangelistis, sub passione Domini. Et Anas non nominatur pontifex ab euangelistis modo, sed solus Caiphas, & Ioan. 12. huius solum fit mentio pontificis, & quod apud Lucã. 3. traditur iam supra est expositum. Et si pro alia sententia sunt quædam, quæ vt lucidius habeas notabis, ex Euse. lib. eccle. histo. capit. 10. Anam, ad Caiphæ procurationem pontificatum tum continuasse, & forte intellexit Eusebius hæc dicens Anã ex permissu Caiphę, exercuisse põtificalia munera, vt esset velut socius in obeundis pontificalibus quibusdam muneribus. Et iuxta hoc liquet iam cur etiam sit dictus Anas princeps sacerdotum, præter commemoratas rationes. Iosephus autem antiquita. libr. 18. cap. 3. quatuor sacerdotes summos narrat inter Anam, & Caipham, videlicet, Ismaelem, Eleazarum filium Anæ, & Simonem filium Camithi, & Iosephum, qui etiam cognominatus est Caiphas. Sub Ana autem Dominus euangelizare cœpit, & euãgelizationem sub Caipha compleuit: & ideo Lucas dixit Domini verbum factum esse ad Ioannẽ sub Ana & Caipha. Vnde infert Eusebius Dominum prædicasse plusquam triennio, & minus quadriennio. Quippe administratio pontificalis muneris tum annualis tantum erat: ideo cõmemorati pontifices annũ non excesserunt in pontificali functione. Verum hoc interim misso, mihi probabilius videtur quod dudum aiebam, videlicet, Anam non esse id temporis pontificem, cum solum Ioannes & alij Euangelistę Caiphę pontificatus mentionem fecerint. Quod verò ex quibusdam circunstãtijs tot esse negationes colligũt, quia aliquã

do

do legitur negasse Petrum stando, aliquando verò sedendo nihil officit negocio: siquidem ministri & Petrus iam stabant, iam sedebant. Forte enim cum se nimis calefactos sentiebant, surgebant si tædebat eos stare, sedebant, ideoque varia positio corporum, non multiplicat negationes. Quippe eadem negatio poterat à Petro inchoari sedendo, & absolui stando. Poterant enim ministri à Petro sedente sciscitari, an esset Domini discipulus, & à Petro stante iam, negari se esse discipulum. Rursus neque ex varietate interrogandi, conficitur necessario fuisse plures quam tres negationes: siquidem, quod legimus apud Ioannem interrogasse ostiariam, dicendo. Et tu ex discipulis es hominis illius, non est diuersum sensu, ab eo quod scribitur apud Matthæum, sciscitatum fuisse ancillam dicentem, Et tu cum Iesu Galilęo eras: aut sicut legimus apud Marcum, & tu cum Iesu Nazareno eras: Aut deniq; sicut legimus apud Lucam, & hic cum illo erat, etenim hæc vniuersa, etsi voce discrepent, sensu nõ discrepant. Et quid obstat obsecro quod ancilla illa, sensim processerit se firmando, in eo quod prius hæsitarat primoque dixerit interrogando, apud Ioan. dein asserendo dixerit sicut apud alios Euangelistas.

Concordãtia Euãgelistarũ

¶Sed neque diuersus situs has interrogationes ad septenarium cogit numerũ. Siquidẽ quod legimus apud Matthęũ, Petrus verò sedebat foris, in atrio: atque id temporis primam emisisse negationẽ in domo Caiphæ, dein vero legimus, Exeunte autem illo ianuam secundam emisisse negationem, & quod apud Marcum scribitur Petrum negasse cum esset in atrio deorsum, & quod exit foras ante atrium & gallus cantauit post primã negationem. Hæc inquam non iuuant necessario septenarium numerum negationum. Siquidem Petrus fuit introductus ab ostiaria intra domum pontificis in atrium, scilicet, domus: & istud atrium dicitur esse foris, quia non erat, vbi erat tribunal pontificis, quod erat in parte superiori, & secretiori domus. Pro ianua autem Græcè habetur vestibulum, cum autem exisset in vestibulũ. Itaque Petrus tunc non exiuit domum sed atrium domus exiens venit ad vestibulum. In atrio autem & vestibulo versabantur ministri pontificis, cum quibus Petrus aderat. Dicitur autem atriũ, vbi negauit primo Petrus, à Marco in atrium deorsum: quia respectu atrij, vbi erat tribunal pontificis, quod erat superius erat deorsum: sicut hoc atrium dicitur foris, quia erat extra atrium iudiciarium, quod in penitiori parte domus situm habebat: vbi Caiphas, vt secretius ageret Christi causam voluit, vt videtur tunc tribunal habere. Nisi velimus dicere per ianuam apud Matthæum non esse intelligendam ianuam exteriorẽ, quæ est proforibus cunctis patens, sed aliam ianuã interiorem, quam Hispanè vocamus, *Puerta de en medio*. Nam in domibus præcipuis, post ianuam exteriorem, est intra domum alia ianua interior post vestibulum domus. Et forte de hac est sermo ianua, cum ait Matthæus, exeunte autem illo ianuam, hoc est cum exisset ianuam, quæ erat in medio domus ad vestibulum.

¶Prima itaque negatio fuit in atrio intra domum, exteriori tamen: quia non erat atrium vbi erat pontifex. Secunda verò negatio fuit ad vestibulum domus sed adhuc intra pontificis domum, & adhuc in eodem vestibulo domus, tertiam compleuit negationem. Quod ergo Marcus inquit, Exijt foras ante atrium, non est quod exiuit foras à domo: quia non dixisset ante atrium: sed significat exisse foras Petrum ad vestibulum domus, quod erat ante atrium, vbi prius negarat Petrus Dominum: & gallicinium primum fuerat editum. Verum post negationem tertiam exiuit foras domũ pontificis & fleuit amare.

Negationũ Petri distinguntur loca.

¶Porro aduertendum est, quod quanuis legamus apud Matthæum duas negationes fuisse Petri à duabus ancillis pontificis metu extortas, & apud Lucam legamus duas fuisse ad vocem virilem, nihilominus fieri potuit, quod ancilla simulatque ministri astantes dicerent Petro, esse Domini discipulum, ideoque nõ oportet ob eam causam multiplicare Petri negationes. Vnde apud Matthæ. & Marc. legimus ancillam dixisse circunstantibus ministris, & hic cum illis erat. Quocirca & fœmina & viri miscuerunt sermonem hunc. Cæ-

Matth. 26. Lucæ. 22.

Marc. 14.

terum quia ancilla viros solicitabat, ideo Matt. & Marc. ancillæ hunc sermonem tribuunt. At verò quia etiam virorum erat immiscentium verba sua cum verbis ancillæ, ideò Lucas, ait & post pusillum vidit eum alius.

¶Tertiam verò negationem ad vocem virilem fuisse omnes Euangelistæ propalant. *Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & doctrina eius.* Non interrogat de miraculis: quippe miracula Christi aperte damnabant inuidiam, & odiũ pontificis, & pharisaicum deprimebant supercilium: ideoque magis studebat pontifex, hæc obliuioni mandare: quia hæc non mulcebant suum in Christum odium. At vel Christi miracula credebat vera esse, aut non vera, sed magica arte conficta. Si credebat vera esse nihil erat quod discuteret de doctrina Christi, quam diuina testabantur miracula, nihil erat quod insectari voluisset discipulos Christi: si veram sectabantur doctrinam. Sinvero credebat nõ vera fuisse, sed fallacia miracula, hinc debuisset exordium sui iudicij facere: siquidem, si miracula erant non vera doctrina Christi non habebat verum fulcimentum.

¶Cæterum pontifex, miraculorum nõ facit mentionem, vt callidus hostis, & non verus iudex. Nempe quia sciebat hæc miracula Christi non habuisse, vnde cauillarentur: siquidem, miraculum illustrati cæci nati, & miraculum resurrectionis Lazari, tam euidentia fuerunt, inter cætera omnia vt essent extra aleam iudicij, & omnis contentionis. Vnde inuiti etiam debuisset fateri illa esse à Deo facta, & non ab hominibus, vel dæmonibus. Vnde Ioan. 9. cæco illuminato dicunt scribæ & pharisæi, Da gloriã Deo, &c. idest, dicito te diuinitus fuisse illustratum, & non ab hoc homine. Et miraculum quatriduani suscitati, nullus fuit, qui macularet, ex hostibus Christi, imò maiestas miraculi, obstruit eorum ora: & demum miraculi maiestas, tanta fuit vt eorum accenderit inuidiam. Pontifex ergo, non meminit miraculorum Christi, ne ipse sibi obstrueret iniqui iudicij viam, sed ad doctrinam, & Christi discipulos format suam interrogationem.

¶De doctrina enim arguebant Iudæi valde Dominum, opponendo illi, quod doceret violanda esse sabbata, & denique quod ipse ea non obseruasset. Et accedebat eodem quia doctrinam nouam illam esse dicebant, Christi aduersarij. Adhæc calumniabantur Christum se magnificare asserẽdo se esse filium Dei. Hoc nanque est præcipuum, quod pontifex extorquere volebat ex Christi confessione. Vt post Christi confessionem si ex ea nacti fuissent vel colorem minimum accusandi Christum coram Pontio Pilato, continuo Christum sisterent coram Pontio Pilato, qui tunc erat Iudeæ generalis procurator nomine Romani Imperij Euangelista verò non explicat, quid interrogauerit pontifex de doctrina Christi, & de discipuli eius. Sed facile est intellectu, quid interrogare promptum erat. Nam interrogare poterat de fundamento doctrinæ, de nouitate eius, de sabbati violatione, quodque offendebat doctrina illa aures procerum qui erant in Iudæa, quod eos turbabat, &c. Et rursus quod discipuli Christi eandem prædicantes Iudæorum animos offendebãt, quia nõ videbatur legi Moysi conformis, & quod Christus speratus à Iudæis, sperabatur in maxima rerum pompa. At ipse erat nulla rerum visibilium nitens pompa, sed in maximo despectu rerum mundanarum degens, beatosque prædicans mundi despectores, & contra diuitibus væ pronuncians habentibus consolationem in diuitijs suis. *Respondit Iesus, Ego palam locutus sum mundo: semper docui in synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt.* Ex Christi responsione hac reprehenditur tanquam iniusta Pontificis præmissa interrogatio. Enim uero, doctrina, quæ est nota cunctis, si neminem auditorum offendit, sed illam omnes audientes probant, nõ est necesse, à doctore quærere huius doctrinę, qualis fuerit, vel sit doctrina huiusmodi. Etenim si iudex, eius synceritatem examinare cupit, cum sit doctrina publicè euulgata, ad auditores est recurrẽdum vt ipsi deponant de synceritate doctrinæ. Vnde si ordinẽ iustitiæ voluisset custodire Caiphas, à testibus huiusmodi, scilicet, auditoribus Christi esset illi inchoãdũ. Quod si auditores deposuissent doctrinam nonnihil suspectam esse, tunc posset

Doctrinę publicæ qualitas ab auditoribus est petenda.

set procedere ad capturam, & vincula: at verò corruptus iudicis affectus, corrumpit semper iudicij synceritatem. Ideo pontifex iste corruptissimus præcipitauit iudicium anteuertens capturã, & vincula: ante testimonia enim illa exercuit. ¶Porrò quando doctrina est occulta, & clancularis, siue in angulis delitescens, tunc sanè, quia qualis sit hęc doctrina ab auditoribus plenè probari non potest, exigere licebit doctoris confessionẽ exponentem, quid aut quale sit in angulo quod docuerit: quandoquidem auditores desiderantur, qui plenam in iudicio faciant probationem. Quocirca Dominus ait. *Ego palam, &c.* Multa Dominus locutus est secretò, discipulis suis: verum quia quæ locutus est secretò, erat secundum dispensationem temporis, quia nõdum erat opportunitas ea propalandi in vulgus, ideo ait se nihil in occulto locutum fuisse. Vnde Dominus voluit Christianam doctrinam esse publicam, ideo ait, Quæ in aure auditis prædicate super tecta Matth. 11. Qui ergo in angulo domus vera docet, hic in occulto verè non docet: nempe quia ea docet, quæ palam doceri possunt. Ideoque Dominus, etsi non semper in synagogis, neque semper in templo Salomonis, vbi Iudæi & sacerdotes, & pharisæi conueniebant docuisset, quia nonnunquam in desertis locis ascendens in montes docebat, nonnunquam in naui consistens, docebat existẽtes in litore, nonnunquam secreto reuelabat multa discipulis, semper tamen doctrina illa erat publica, quia in vniuersum orbem tandem publicanda. Ideoq; qui ad docendum priuata tantum loca amant, & priuatas tãtum docere satagũt personas, sunt fugiendi: suspecta est nanque horum doctrina: quia angularis est: vnde hinc exoriuntur factiones hæreticorum contra catholicam ecclesiam, ex angularibus istis doctrinis. Primũ enim in angulis docent, clanculum euomunt virus non se audentes propalare, quousque nacta copia discipulorum arment se contra Dei ecclesiam. *In synagoga.* Sumitur synagoga hoc loco pro synagogis. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quæ locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt. Quid dixerim ego.* Sed quid, num pharisęi, num scribæ essent rogandi, vt dixerint quæ Dominus docebat? Vtique si isti essent consulendi, si horum testimonium esset recipiendum haud dubium testarentur, esse non congruentem doctrinam, & excitantem seditionem. Porro si ad auditores remittit suæ doctrinæ Dominus testimonium, nõ ad auditores, qui animo hostili Christum audiebant, sed ad eos, qui animo candido audiebant Christũ. Pharisæi nanque & scribæ, audiebant Christum aure corporali non mentis aure. Audiebant enim vt eum caperent in sermone Matth. 22. Quo fit, vt similium testimonium non sit recipiendum in iudicijs: quia inimici omnia etiam sanctissima verba, & incontaminata opera detorquent ad calumnias. Cum ergo Dominus ait, Interroga eos, &c. subaudi eos, qui synceritate animi nulla vel inuidiæ vel alterius rei corruptione affecti, me audierunt. Tales enim sunt in omnibus causis accersendi testes. *Hæc cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens, Sic respondes pontifici? Respondit Iesus, si male locutus sum, perhibe testimonium de malo: si autem benè quid me cædis?* Nihil erat in Christi responsione culpandum: sed summæ venerationis fuit veritas responsionis: at vero qualis erat pontifex corruptissimus talis erat suus minister impudentissimus. Siquidem omnibus delatis ad iudicem, facultas est loquendi pro se ipsis, quę pertinent ad suam defensionẽ: ideo seruandi sunt illæsi, quando pro se ipsis loquuntur. Christus autem verissimè locutus fuerat, nullam iniuriam irrogarat vel iudici, vel ministris. Neque expostulabat cum pontifice, quod contra iuris præscripta fuerat captus, & ligatus, sed quod ius & ratio proclamabat hoc exposuit coram pontifice. Diabolus autem, qui pontificem inflamabat contra Christum, & ministros itidem incitabat contra eundem, volens experiri Christi summam patientiam, ministrum animauit contra Christum, vt ipsum alapa percuteret. At verò Christus, non ob hoc incanduit in ministrum impudentissimum, qui vel saltem debuisset Dominũ Iesum venerari, quia ipsum cum alijs dejectum in terra, leuauit sui verbi occulta operatione: & cum ministro suo habenti abscissam auriculam eandẽ restituit. Verum rectè dixit Dominus, Hæc est

Doctrinam Christianam oportet esse publicã, quæ scilicet publicari possit.

Testes accersendi sunt in causis ventilandi, qui nõ sunt inuidia vel alio quouis modo corrupti.

hora & potestas tenebrarum. Tenebræ enim erant omnes, illi siue Gentiles siue Iudæi conuenientes ad tantum perpetrandum facinus. Fuerunt enim ministri diaboli, per tenebram significati in scripturis. Omnes enim isti conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, vt in Psal. 2. proditū est. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania aduersus Dominū & aduersus Christum eius. Siquidem Caiphas, & Pilatus, & ministri horum conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: siquidem Christo irrogatæ iniuriæ, erant iniuriæ contra Dominum, & non solum contra Christum hominem: erat enim homo ille captus & ligatus à Iudæis, & gentibus, &c. verus Deus & Dominus.

¶ Christus autem non obuertit percussus alapa, faciem, vt in altera parte faciei etiam feriatur, vt videtur præcepisse faciendum apud Matth. 5. & Lucæ. 6. vt nos doceret intelligētiam illius sui mandati non esse ad literam sumendam, vt quando quispiam nostram dexteram feriat maxillam, obuertamus illi sinistrā: at sensus est mandati, vt simus patientes iniuriarum, & si opus facto fuerit, ad gloriam Dei omnem ostendere patientiam eam ostendamus. Et est hyperbole, quæ etiam in vsum abijt vulgò loquentium, huic nanque simile dicimus, si hęc vel illa mihi præstiteris, etsi me pedibus calces, feram omnia, non tibi obloquar: etsi alapis me ferias, etsi vapulabo, non repugnabo. Neque enim hæc dicens, intendit, hæc esse passurum, sed vt summam patientiam se habiturum insinuet erga alterum volentem sibi conferre, quæ ipse vehementer desiderat. *Perhibe testimonium.* Idest sufficienti ratione ostende, quod ego malè locutus fuerim. Istud enim sæpe in scriptura est perhibere testimonium. Et malū sumitur nunc, pro si malè, scilicet, locutus fuerim. Sunt autem plura in alijs euangelistis, quæ modo etiā gesta sunt, videlicet, quod Christi hostes, quærebant aduersus Dominum testimonia, quæ sufficerent ad condemnandum Dominum: & nulla inuenerunt neque vera neque falsa. Et nouissimè fuerunt vocati alij testes, contra Dominum testātes, quod ipse dixerit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reędificare illud. Hoc autem testimonium aliter legitur apud Marc. 14. scilicet, Ego dissoluam templū hoc manu factum, & post triduum aliud nō manu factum ędificabo. Et sanè fieri poterat, vt quidam referrent testimoniū primo modo, alij vero secundo modo, cum tamen Dominus Ioan. 2. neque dixerit, Possum destruere, aut, dissoluam templum, sed, soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Non dixit se soluturum, aut posse soluere, sed, Soluite, pro soluetis, imperatiuum vsurpans pro indicatiuo: iuxta scripturæ consuetam phrasim. Et loquebatur, non de templo Salomonico, sed de templo corporis sui. Hoc autem testimonium non multi fecit pontifex, quia videbat hoc testimonium non fuisse cruentum, neque morte dignum: siquidem nihil mali accidebat si soluto templo Christus triduo reędificaret illud. Et si alius dixisset, quam Christus ridenda essent verba: erāt enim verba iactabunda, at nulli noxia. Quam obrem pontifex, nihil dixit de testimonio, quippe quod videbat non esse congruum suo proposito, ideoque insufficientiam testimonij intendit supplere ex verbis Christi, dicens, *Nihil respondes ad ea, quæ isti contra te testificantur?* Et vt hæc diceret, surgit à tribunali, iratus nāmque quia nullum testimonium prędictorum suum explebat desiderium. Iræ impatiens, surgit à tribunali, contra iudiciariā grauitatem agens, & ait Christo, Nihil respondes? intendens ex verbis Christi captare nonnihil, vnde testimoniorum inualiditas iuuaretur. At verò Christus tacuit, siquidem responderat exactissimè iam pontifici dicens, Ego palam locutus sum, &c. Vnde de huiusmodi testimonijs, non erat opus Christo satisfacere iudici: quia si vellet facere sibi satis exquirere poterat ab auditoribus, quando quidem Christi verba publica erāt, quæ ab omnibus audiebantur. Videns autē Caiphas Christi silentium, super testimonijs falsis aggreditur alia via Christum, dicens, Adiuro te per Deum viuū si tu es Christus. Fregit autem silētium Christus super hac quæstione dicēs, Tu dixisti, id quod non est affirmantis, vel negātis expressio, author est Origenes.

Matth. 26. Marc. 14.

Legi-

Legimus autem Marc. 5. dæmones adiurasse Dominum, & Acto. 19. exorcistas quosdam Iudæos adiurasse energumenos per Iesum, quem Paulus prædicabat. Est autem adiurare ambiguæ significationis verbum. Nam est idem quod valde iurare: quia præpositio, ad, est auctiua sermonis. Rursus adiurare, est idem quod coniurare, hoc est, incantationibus quibusdam, aut exorcismis dæmones fugare. Vnde Lactan. lib. 4. Dæmones adiurati per Christum, de corporibus fugiunt. Vnde adiuratio si fiat per incantationes est prohibita, vt rectè dixit Origenes hunc Matth. enarrans locum: si vero per exorcismos & obsecrationes ecclesiæ licita. Caiphas igitur, quia testibus non poterat agere contra Christum, quia testimonia nulla erant, quæ causam promouerent contra Christum, ideo se ad adiurationes, siue ad obsecrationes per Deum viuum cõuertit, vt Christus dicat si ipse erat Christus. Quasi dixisset, Si tu es Christus & dixeris veritatem Deus te adiuuet, si autem non, condemnet. Quam adiurationem nostri iudices vsurpant etiam, quando testes ad causam agendam examinare volunt. Porrò quamquam non expressum responsum exhibuerat Christus Caiphæ, quia indignus erat cui responderetur, quippe turbato iuris ordine procedebat, cæterum subdit dicens, Verumtamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedẽtem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Quanuis enim indignus erat responso Christi Caiphas, verumtamen non est dedignatus Dominus quod nondum expresserat, exprimere, scilicet, se esse verum filium Dei, & hominem verum: nanque vtrumque modo testatur. Dicens enim se esse filium hominis humanæ naturæ veritatem confitetur habere: & dicens se venturum sedentem à dextris virtutis Dei in nubibus cœli, docet se esse verè filium Dei. In primo autem aduentu nõ dicitur venisse in nubibus cœli, neque venisse sedentem à dextris virtutis Dei, ideo de alio aduentu est hic locus explanandus. Et nullus est alius nisi aduentus finalis. Quando videbunt omnes tribus terræ Iesum venientem ad iudicandum viuos & mortuos: & tunc veniet in nubibus cœli, cum maiestate magna. Quippe aduentus hic, non erit in humilitate maxima, vt prior sed erit in potestatis diuinæ suprema visibili demonstratione: videbit enim tunc omnis caro salutare Dei. ¶Huic autem sensui obstat, quod ait, Videbitis à modo, siquidem iudicij dies non speratur à modo, quia nouissimus dies erit. Ideo cum Augustin. alij exposuerunt de aduentu Domini per prędicationem apostolorũ qui vocãtur mystice nubes, Esa. 5. siquidem tum creditus est, quod erat filius Dei & visus est ab Stephano sedens â dextris virtutis Dei, Acto. 7. Per fidem igitur est visus venturus ad iudicandum orbem, & in nubibus, ideſt apostolis venit: verũ prior expositio est germanior. Neq; obest ei, quod ait, A modo: quia sensus est, post hac filiũ hominis videbitur, &c. Voluit igitur Christus deterrere Caiphã & ministros, â tanto scelere parãdo, quale erat Dominum occidere. Et ex duobus deterrere volebat, tum quia ipse erat verus Messias, verus homo & verus Deus, tum quia ipse, qui tunc iudicabatur iniustè erat venturus iustissimus iudex, & pœnas erat sumpturus huius Iudaici delicti, occidendi Domini. At verò cum debuisset Caiphas deterreri, & contremiscere ad verba Domini, quæ reuera erãt tremenda verba, non propterea conteritus est, sed ex verbis Christi fidelibus, suam perfidiam magis auxit, vt verè dictum putes esse sapientis illius dictum. Attende in operibus Dei: quia nemo potest corrigere, quem ipse despexerit. Et obserua quod Dominus, iniquum iudicem, atque impudentes ministros, sciẽbat non detrahendos à crimine ex suis verbis, nihilominus verbis suis non pepercit, vt omnia exhiberet illis, quæ eorum saluti erant necessaria. Ex prauitate tamen ipsorum, verba Christi non habuerunt in eis effectum quem Christus cupiebat, scilicet, vt desisterent ab opere pessimo: imo magis incruduit iniquitas pontificis, atque ministrorum. Vnde audito sermone Domini scidit pontifex vestimenta sua, id quod summæ indignationis id temporis, apud Iudæos erat indicium. Iud. 11. 3. Reg. 21. Iudith. 14. Cõtra quem morem aiebat, Ioel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.

Matth. 25.

Epist. ad Hesichium. 80.

Eccl. 7.

Scindere vestimẽta, olim Iudæis erat lugubre.

¶Caiphas

¶Caiphas igitur audito verbo Domini, indignans vehementer, quasi audisset blasphemiam, vt astantes etiam ad iram contra Dominum promptius excitaret, scidit vestimenta, dicens, Blasphemauit, quid vobis videtur, quid adhuc egemus testibus? Desiderabat iudex iniquus testes contra Deum, quorum, cum copiã non habuisset, quia nullos habebat, audiens Christi verba, credidit sibi sat esse confessionem Christi, ad deferendum eum coram Pontio Pilato. Sic sanè ferũt mores odientium, vt laudes Dei quas ex ore audiunt eorum, quos odiunt, putent esse blasphemias. Christi quidem sermo diuina laus erat: at laudem Dei Caiphas obcæcatus Christi odio blasphemiam esse duxit. Ideò scidit vestimenta sua. Vtique vestimenta pontificis scinduntur ad Christi confessionem, vt velum templi scissum est ad Christi mortem: siquidem sacerdotium illud per Christi euangelium abscindendum erat, à vero cultu Dei: siquidem sacerdotes Iudæi iã non Deo sacrificant sed diabolo. Et verum sacerdotium iam non est apud eos, sed apud Christi cultores: in quos translatum est per mortem Iesu Christi.

Quod Caiphas scidit vestimenta sua pontificatum Iudæorum scindendum esse & perdẽdum significabat.

¶Et obserua huius iudicis iniquitatem: interrogat enim suos ministros, quid vobis videtur? quasi vero hoc exigeret iudicij integritas, vt ad placitum satellitum exerceatur, cum potius secundum Dei placitum sit absoluenda. Ministris autẽ cum commisisset supremi iudicis causam ipsi, pro sua impudentia depositafronte, expuunt Dominum, & creatorẽ suum & colaphizant, & colaphis cędũt, nihil memorantes, quod dudum in horto illis acciderat, videlicet, quod ex solo Christi verbo audito ceciderunt in terram retrorsum. Imo veluti vlciscentes casum iniustum illudunt iniustè Dominũ magna exultatione. Dominus autem, qui ministro colaphizanti vultũ suum dixerat, Si malè locutus sum perhibe testimonium de malo: sinautẽ benè quid me cædis? nunc omnibus ministris colaphizantibus, & illudentibus nihil respõdit nihil loquitur, siquidem iam suam innocentiam & potentiam ostenderat dicens, se venturum in nubibus sedentẽ à dextris virtutis Dei & nihilominus magis incanduerant in eum, & veritatem diuinam, quam eos docebat, dixerunt esse blasphemiam. Ideo modo nihil loquitur: sed tanquam ouis coram tondente se, silet & factus est sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem. Sequitur in Ioanne. *Et misit eum Anas ligatum ad Caipham pontificẽ.* Græcè, Απεστειλεν αυτον ὁ Ανας. Misit eũ Anas: non habetur, & misit. Et poterat verti, miserat eum. Nam diximus superius ex Cyrilli lectione, Ioannem nunc referre quæ prius intermiserat, quando dudum de Caipha fecerat mentionem. *Erat autẽ Simõ Petrus stans, & calefaciens se: Dixerunt ergo ei, Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit, Non sum. Dicit ei vnus ex seruis pontificis cognatus eius, cuius abscidit auriculam. Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & statim gallus cantauit.* Quæret forsan aliquis, cur omnes euangelistæ diligentissimi fuerunt in enarrandis Petri negationibus? Vtique quia sic expediebat, vt admonerentur ecclesiæ pontifices propriæ fragilitatis, & non contemnerent, fragiles subditos, neq; cõtra illos insolescerent. Siquidẽ si rectè sapiunt memorabuntur Petrũ apostolorum principem, & à Domino dilectum, ad vocem fœminæ vilis, & ad vocem ministrorum Dominum negasse. Vnde non sunt exterrendi, si subditos aduerterint delinquere, sed potius ipsi qui sunt spiritaliores in spiritu lenitatis subditos corripient. Sed si forte adhuc quæritat quispiam, Petrus, & Ioannes sequuntur Dominum ductum in Caiphæ domum, etsi Petrus à longe, Ioannes propius. Et Ioannes introducit Petrum in Caiphæ domum, quam prius ingressus fuerat. Quid ergo est, quod Ioannes non negat Dominum, neque solicitatur vel ab ancillis, vel à ministris pontificis: at vero Petrus, ab omnibus istis solicitatur, vt neget? Deniq; Petrus à Deo permittitur labi, Ioannes non permittitur? Equidem Petrus se immiscuit ministris pontificis: stat cum illis, sedet cum illis, vt se calefaciat, & dissimulet interim Christi discipulatum, ideoque quia cum iniquis se immiscuit, Deus permisit lapsum Petri. Et quia ipse intendebat occultare se esse discipulũ Christi, Deus hanc intentionem supplicio negationis affecit, Petrum negare Christum permittens.

Psal. 37.

Negationes Petri sunt documentũ prælatorum pro moderandis rebus subditorum cum humilitate.

mittens. Sed rogemus Petrum, Vbi vir animose tuæ sunt vires, vbi tua gloriosa illa verba, Si oportuerit me commori tecũ non te negabo? Quid est quod in horto virum, quem induisti, nunc exuis in domo pontificis? Nõ cum pontifice modo agis, sed cum ancilla, & times? Vbi gladius est ille, quem exemisti contra pontificis seruum? Non timebas cohortem, non pauebas propter magistratum, turbamque multam te circumuallantẽ, & modo times ancillulę exilem vocem? Vbi tuæ beatitudinis illa vera laus, Beatus es Simon Bariona? vbi tuus apostolicus principatus? Nunquid bonum tibi videtur si ad vocem puellæ vnius deijciantur hæc vniuersa?

¶At verò in horto virũ te præstitisti, & in domo pontificis corruisti. Quippe hortus ille angelica erat habitatio, Christi erat oratorium, locus erat diuinæ laudis: nanque in eum locum solebat. Christus sæpe conuenire. At vero domus Caiphæ habitatio erat dæmonum, Christi derisio & opprobrium, locus blasphemãtium verum Deum. Ideoque Petrus in horto fortis stat, in domo pontificis debilitatur, & ruit: nã cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris.

¶Fuit autem permissus solicitari ab ancilla & â ministris pontificis, & nõ Ioannes, vt discant qui ecclesiæ possident culmina, eos frequentius esse solicitandos à dæmone, & ab alijs humani generis hostibus, quam ij, qui humilia tenent loca: siquidem fulmina, & ventorum impetus, altissima montium facilius feriunt iuga, quã valles & subsellaria loca. Quo circa quia contra illos sęuit tempestas infernj, necesse est, vt armentur spirituali armatura, ne ruant: quia eorum ruina, subditorum est lapsus. Quod si Petrus in palatio pontificis negauit Christum, quem in horto defendit cur ipsi regum palatia frequentant, cur aulas principũ versant? *Et statim gallus.* Cap. 13. prædixerat Dominus hunc Petri lapsum. Non cantabit gallus, inquit, donec, ter me neges. & Lucæ. 22. Matth. 26. & Mar. 14. & si Ioannes non numerat particulatim Petri negationes tres, vt cæteri Euangelistæ, sed solum generatim. Obseruandũ est autem Matthæum ante gallicinium, tres expressisse Petri negationes: at vero Marcus expressius hoc tradidit de gallicinio, scilicet, Antequam gallus cantet bis, ter me negabis. Vnde quando gallus cantauit secundo, tunc tertio iam negarat Christum. Itaque negatio tertia quando gallus cantabat iam erat cœpta & completa. Est igitur sensus, Antequam gallus secundum gallicinium perficiat, tu tertio me negabis: siquidẽ exordiente gallo suum secundum cãtum Petrus suam tertiam perfecerat iam negationem. In atrio igitur negauit primo: dein in vestibulo domus pontificiæ negauit secundo: & ibi post pusillum, vt inquit Marcus, vel vt Lucas interuallo facto vnius horæ negauit tertio. Et hanc cum compleſſet negationem gallus secundo cantauit: & non fuit consummata negatio antequam secundum gallicinium compleretur. Marcus igitur tradit, postquam Petrus semel negauerit cantasse gallum, at Matth. post tertiam negationem gallum cantasse scribit: & vtrunque verum est. Augustinus autem lib. 3. de consen. cap. 2. has negationes edisserens ait. Sed quia ante primum galli cantum cœpta est illa trina negatio, attenderunt illi tres euangelistæ, non quãdo esset completurus Petrus, sed quanta futura esset, idest, quia trina, & quia ante galli cantum: quamquam in animo Petri & ante primum galli cantum, tota possit intelligi. Quanuis enim verbis negantis ante primum cœpta, ante secundum galli cantum peracta sit tota illa negatio trina, tamen affectione animi, & timore Petri, ante primum tota cœpta est. Et hoc dixit Augustinus de negatione secundum intentionem, vt ostendat etiam verum esse ante omnem galli cantum Petrum negasse Dominũ, illa trina negatione secundum animi intentionem, vt sit verum, antequam gallus cantet, ter me negabis. Porro quia Marcus commemorat, Non cantabit bis gallus, &c. non cogimur recurrere ad negationem animi Petri, vt seruetur verbi dominici veritas: siquidem de negatione vocali saluatur, vt prædictum est. Diuus autem Augustinus lib. de consens. Euangel. 3. cap. 6. putat Petrũ secũdo negasse Dominum, cum esset ad focum in domo Annæ: at quod exiens domum foras, & dein regressus, eandẽ in domum, & foco astans

astans negauit dominum. Credit enim in domo Annæ Petrum negasse dominū. Itaque primo ingressu sedebat ad ignē, & tunc solicitatus ab ancilla cuius nam discipulus erat, negauit: postmodum exiens foras domum, rursus regressus ad ignem stabat, & tunc secundo negauit timens aliam ancillam, idem replicantem quod prima dixerat: & demum pauens ad vocem ministrorum tertio negauit. Verum supra magis probauimus Cyrilli sententiam negationes has fuisse inceptas & completas in domo Caiphæ. Petrus autem ad primam galli vocem, nō resipuit, sed ad secundam, tunc enim venit in eius mētem verbum domini, Prius quam gallus cantet, ter me negabis, & fleuit amare: tametsi huius fletus Ioannes non faciat mētionem, sed solum alij euangelistæ. Qui tamen omnes non memorantur respexisse dominum in Petrum, sed solus Lucas hoc memoratur dicens. Et conuersus dominus respexit Petrum. Hanc autem conuersionem, & respectionem non fuisse oculis corporalibus, inde videtur intelligendum, quia dominus erat tunc negāte Petro in atrio superiori, & Petrus in atrio deorsum: vnde non apparet, quomodo posset corporali visu dominus videre Petrum: nisi dixeris forte per cācellos, at hoc spacium non concedebatur illi à sathanæ ministris. Ideoque Aug. lib. 3. de consens. euāge. cap. 6. ad respectionem spiritualem hunc locum retulit: siquidem dimiserat Petrum Christus aut despexerat eū in prima & secunda negatione, ideoque etiam si gallus iam cantarat ante primam & secundam negationem, nihi lominus ipse persistebat Christum negans. Post tertiam verò negationem, dominus aspexit Petrum, quia eius tunc est misertus. Namque hoc est aspicere, etiam in vulgato sermone, scilicet, misereri: vnde pauperes clamant ad ostia ecclesiarum iacentes. Aspicite, plagas & videte dolores, idest, ad misericordiam vos excitent nostra vlcera vt nobis subueniatis. Quare psalmus, Respice, ait, in me & miserere mei. Quamuis igitur gallus cantet, hoc est, quamuis prędicatores, diuinum verbum stentorea proclament voce, surdo canunt, nisi Christus conuertatur ad misericordiam & nostrā misericordiæ respiciat. Quando igitur Christus fuit conuersus ad Petrum non faciei vultu, sed misericordiæ munere, tunc Petrus fleuit. Diuina vox igitur est necessaria gratia quæ peccatores pręueniat, quę prævenies per vocem prædicatorum excitat mentes, abalienatas à Deo, vt ad Deum conuertantur. Qua submota, nō est peccatoris conuersio. Ideoque Petrus negat primo, & non flet: negat secūdo, & non flet: negat tertiò & flet, quia tunc eum respexit Christus, & nō prius. Sed cur tunc & non prius ipsum excitauit, quis nouit arcanum? Nisi quod dimittuntur sępe peccatores à Deo multiplicare peccata, vt excitati magis peccata erubescant: & ad non peccandum deinceps cautiores euadant, & humiliores coram Deo, maiorem misericordiam exhibuit Petro Christus respiciendi eum post tot negationes quam si post. 1. tantum respexisset. Nam oculi domini in pauperes respiciunt psal. 9.

Prædicator nihil proficiet auditori nisi Christus respiciat.

¶ Verbum igitur domini quod habuerat ad Petrum priusquam gallus cantet ter me negabis obliuioni erat mādatū à Petro: etenim mortis timor vehemens quo corripiebatur, ancillarum voces obstrepentes, & ministrorum clamores cōtendentium Petrum esse ex comitatu Christi Petrū turbarunt adeò vt neque sui, neque verbi domini recordaretur: sub timorem enim mortis violento omnis rerum memoria gerendarum absorbetur. Cæterum respiciente domino, & intima sua operatione excitante per gallicinium Petri mentem in memoriam vocat domini verbum, & fleuit amare. Lege Augusti. contra Cælesti. & Pelagium lib. 1. cap. 46. Theophilactus videtur exponere locum Lucæ prænotatum de intuitu corporali, quamuis non lucidè quid senserit expromat. Verum, vt dicebam, non videtur aliter intelligēdum locum, quam intellexit Augustinus. Est autem Ambrosij locus difficilis qui commendans Petri lachrymas confessioni, & satisfactioni detrahere apparet, cuius verba sunt lib. 10. in Lucam, Petrus & doluit, & fleuit, quia errauit, vt homo, non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit: lachrymas eius lego, satisfactionem, non lego. Sed quod defendi nō potest lauant lachrymę delictum, quod vo

ce pu-

ce pudor est confiteri, &c. Idem sermone de Petri pœnitentia. 46. cui astipulatur Maximus Taurienſis episcopus sermone de pœnitentia. Gratianus dist. 1. de pœniten. de publica pœnitentia interpretatur Ambrosium, itemque Magister Senten. 4. lib. dist. 17. At verò Petrus eo tempore non tenebatur ad confessionem vocalem, sacramentalẽ, quia id temporis nondum vrgebat præceptũ vocalis confessionis: ideò non legitur cõfessio Petri. Satisfactioni autem Petri satisfuerit illud quod ibãt apostoli gaudẽtes, &c. Quæ enim Petrus pertulit pro Christo, satisfactio erat, pro delicto. Quid quod tanta potest contingere fletus amaritudo, & contritionis vehementia, vt per hæc fit satisfactum Deo pro peccato admisso sine vlteriori satisfactione, vt Petro contigit, & Magdalenę, etiã si horum non legeremus alias satisfactiones. Verum vt dicebam, Petrus multa pertulit pro Christo, quem secutus est vsque ad mortis imitationem: id quod non solum suffecit ad satisfactionẽ, sed adeò exundauit hæc satisfactio, vt reponeretur cum alijs sanctorum apostolorum, & martyrum satisfactionibus in ecclesiæ thesaurum. Ambrosio verò respondebis, quod Petri satisfactio specialis non legitur, præter ea quæ ipse cum cęteris apostolis pro Christo tulit. Caute etiam legendus est Origen. in Matth. homil. 35. qui ediſſerens Petri fletum, videtur astruere, negantem Christum post quam fidẽ eius in baptismo est professus, non posse restitui ad gratiam Christi per pœnitentiam. Id quod Clemens Alexandrinus lib. 2. stromatum præceptor eius, primò asseuerasse videtur. Duas enim solas pœnitentias præfert: alteram ante baptismum, alteram post baptismum: qui error fuit Nouatianorum. Verum si Petri iam baptizati negantis Christum semel, atque iterum, & tertio fletus, à Deo admittitur, & à Christo, fuit conuersus ad gratiam priorem, cur alij negantes post baptismi fidei professionem, non admittentur ad pœnitentiam? Verum forsan Origenes, ad deterrendum homines à tanto scelere negandi Christum, scripsit dogma & sæpe verba doctorum istorum, non sunt capiẽda in sensu, quem faciunt, sed in sensu, in quo fiunt. Aut si fortasis fuerunt huius opinionis, reijcienda est eorum opinio, quam ecclesia reijcit. *Iterum gallus cantauit.* Ioannes exponit duo gallicinia: nã dicens iterum gallus cantauit facile docet, iam alias semel cantasse, Quanuis Marcus solus rẽ elucidauit manifestius, dicens trinam negationem Petri fuisse ante duplicem galli cantum. Matthæus autem, refert tertio negasse Petrum ad vocem ministrorum. Post pusillum, ait, accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro, verè & tu ex illis es. At verò Lucas, non multos hanc negationem Petri extorsisse, sed vnum solum docet fuisse. Interuallo, inquit, facto quasi horæ vnius, alius affirmabat dicens, verè hic, & cum illo erat: Ioannes etiam vnum non plures esse scribit. Cæterum, vt Augustin. lib. de consen. 3. cap. 6. conciliat, vel sumitur pluralis numerus pro singulari, & singularis pro plurali, aut forte vnus erat horum, qui magis vrgebat Petrum, etiam si illum alij adiuuabant: ideò quidam Euangelistæ vnum esse tradũt, alij plures. Ioannes autem explanat hunc fuisse cognatum eius, cuius Petrus abscidit auriculam.

¶ Sed quid est quod Petrũ non capiunt, postquam certo cognouerunt fuisse Domini discipulum, vt ex illo caperent testimonium doctrinæ Christi? At verò, quia non ex zelo Dei, sed ex prauitate cordis, tantum facinus tentarunt, non veraces testes, sed mendosos quærebant qui blandirentur odio sacerdotum, & pontificum, ideoque Petrum non capiunt, quem ad manum habebant, si in eum voluissent manus inijcere: sed odij totum pondus, in Christum deponunt, & in eum sagittas suæ nequitiæ solummodo infigere volunt. Et quidem non sine summo stupore legi potest, quod hominem optimè de Iudæis meritum, & miraculis, & doctrinis, nihilominus nulla habita ratione horum, tot probris affecerunt, quantis nullum etiam maleficentissimũ afficerent. Miracula enim si magica esse causabantur, nulli tamen nocuerunt, sed omnibus contribulibus summopere profuerũt. Vnde ob hæc nihil mali cõmerebatur. Imo ex hoc haud dubiũ colligebatur, ea esse ex Deo, quia ad salutem populi, non ad inanem fastũ

authoris

Ambrosius & Maximus exponuntur.

Origenes & Clemens cauté legendi.

Nouatianorum error.

authoris celebrabantur. Quid quod lucidum erat, artes omnes magicas, cæcos non posse illustrare, aut mortuos suscitare. Doctrinam autem nullatenus poterāt cassare, siquidem, quod verbo asserebat, opere diuino confirmabat.

¶ Ad hæc quando cessarent hæc vniuersa, ne Christo illuderent, ne eum tot indignissimis iniurijs afficerent, mansuetudo patientis, debuisset molle facere Iudæorum plusquam adamantina corda, ne in patientissimum agnum, tam stolidè debaccharentur.

Enarratio secunda.

¶ *Adducunt ergo Iesum ad Caipham in prætorium.* Augult. admodum insudat in elucidando loco isto: siquidem Caiphæ domus, non erat prætorium iudiciale. Est enim prætor, dictus, quasi præitor, siquidem præest alijs, vel in iure dicendo, vel in exercitu ducendo: inde enim prætorium est dictum, vbi magistratus ius dicit. Verum Iudæi non poterant ius dicere in causa sanguinis, ipsis confitentibus, Nobis non licet interficere quemquam, quomodo ergo verum est, quod apud Caipham erat prætorium? Augustinus ergo solicitè inuestigat istud. Vnde excogitauit, vel quod Caiphas, ex aliqua incidenti causa, tunc petierat domum Pilati, ideoque ibi ex casu erat Caiphas tunc. Aut quod domus Pilati, erat amplissima, ideo partita in partes duas, alteram colebat Pilatus, aliâ verò Caiphas. Verum, inspecta veritate Græca, non est opus ad hæc confugere diuerticula siquidem veritas Græca habet. Ducunt igitur Iesum à Caipha in prætorium. Glossa autem interlinealis, exposuit, Adducunt ergo ab Ana. Verum quî constabit hoc, siquidem Christus, fuit adductus primo ad Anam, & ab Ana, ad Caipham, & à Caipha, ad domum prætoris, qui erat tunc Pilatus, qui erat authoritate Romani imperij procurator Iudææ? Illusum Dominum, consputum collaphizatum, ligatum, & sexcentis iniurijs onustum ducunt ad Pilatum prætorem, vt Pilatus sibi persuaderet, grauia esse crimina hominis, quem sui contribules, tam sine vlla misericordia tractauerant. *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium ne contaminarentur.* Bonam partem noctis, insumpserant, in accersendis falsis testibus contra Iesum, illis tamen non inuentis, qui pro prauo desiderio occidendi sufficerent coram Pontio Pilato: quippe sibi pro sua perfidia, & hostili odio, quiuis testes sufficerent, etiam falsissimi, si ipsi fuissent tūc prætores. Verū proh animi humani cęcitatē, ipsi nō intrant in domū Pilati, in ipsum prætorium iudiciale non audent ingredi ne contaminarentur, erat enim tūc feria sexta, quæ erat tunc primus dies azymorum, quare se abstinuerunt ab accusatione iudiciali, ne contaminarentur, sed sine contaminatione vescerētur azymis, erat enim primus ille dies maximæ obseruationis: ideo rogant Pilatum forsan, vt exeat foras prætorium. Crediderunt enim, accusationes suas non habere formam iudicij, si in prætorio non ederentur. Ideo apud Lucam legimus, cap. 23. Cæperunt eum accusare. Iudicia les igitur facere accusationes ducebant esse crimen, in primo die azymorum. Vnde Lucas ait, Cæperunt accusare, quasi dixisset, non ausi sunt in longum iudicialiter producere accusationes, sed exordia tantum accusationum produxerunt aliquas damnationes causas præsidi, non proferentes, sed insinuātes. Euangelista non expressit clarè si Pilatus exiuit foras domum suam, ad preces Iudæorum, sciens quod Iudęi ob legis suæ cæremonias, non ingrediebantur in domum suam die illo azymorum, quia reputabant se esse immundos ex ingressu in domum gentilis, qui erat Pilatus. Quod si hoc ita accidit, Christus fuit introductus in domum Pilati, à gentilibus ministris, non à Iudæis. Verum, quia Ioannes, ait, Introiuit Pilatus iterum in prætorium, videtur Iudæos ingressos in domum Pilati, non tamen in prætorialem locum, vbi ipse sedens pro tribunali, ius dicebat Iudæis, & non Iudæis. Et ob hanc causam videtur eos abstinuisse à prætorio die illo, neque voluisse accusationes sub forma iudiciali formare, vt pacatiore, & tranquiliore animo obseruarent azymalē diem. Quāuis communis sit opinio, quod ipsi non introierunt in domum Pilati, credentes domus gentilis ingressum eos contaminare: cæterum ex scriptura istud nō conuincitur. Christus ergo fuit introductus in prætorium ab ibi agentilibus ministris,

Prętor vnde.

ſtris, videlicet à Romanis ſatellitibus, quos Pilatus ad miniſterium huiuſmodi alebat. At Iudæi nō introierūt in prętoriū ſed precibus obtinuerūt, vt eos audiret cōtra Chriſtū extra prętoriū: & Pilatus annuit eis, & exiuit foras prętoriū: cęterū intra domū ſuā. Prius autē, quā Dominū duxiſſet, narrāte Matth. inierunt conſiliū omnes principes ſacerdotū: ſcilicet, Annas, & Caiphas, & alij ſunt accerſiti, qui hoc eodē pōtificatu functi iā fuerant, qui omnes vocātur principes ſacerdotum, & ſeniores plebis, quib⁹ iudicia committebantur de alijs cauſis. Et addit Marcus ſcribas accerſitos ad hoc cōſiliū: & vnanimi decreto, damnauerunt eū, dicentes eſſe reū mortis. Lucas vero ait, factum fuiſſe conciliū hoc cū factus eſſet dies, ideſt, ſub aurora: ſiquidē poſt noctis mediū fuit in domo Caiphę, vbi fuit illuſus, &c. vt diximus, Dein vero diluculo cōuenerūt ibidē principes ſacerdotū, & ſcribę, vt decernerent dānationem Chriſti. Et quia audierāt iā Dominū dicentē apud Caiphā, ſe venturū in nubibus cœli, decreuerunt eſſe reum mortis propter blaſphemiā, quā ipſi confinxerunt, eum dixiſſe. Et quāquam ad interrogationē illā, ſi ipſe eſſet Chriſtus, Dominus reſpōderat prudentiſsimè, dicēs, Si vobis dixero, non credetis: ſi autē interrogauero non reſpondebitis, neq; dimittetis, nihilominus ne putarēt, quod timebat eos, quia dixerat, Non dimittetis, ſubiecit. Ex hoc autē erit filius hominis ſedēs à dextris virtutis Dei: id quod ipſi tantum de Meſsia intellectum habebāt, ex loco illo pſalmi, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Ideo audientes Dominum dicere, ſe ſeſſurum à dextris Dei, confeſſum eſſe duxerunt à Chriſto eſſe ſe regem Iudæorum, ſeu Chriſtum, id quod etiam blaſphemum eſſe accuſabant. Vnde rurſus inferunt, Tu ergo es filius Dei. Etenim ex verbis Domini intellexerant, ſe iactare eſſe filium Dei, id quod ſupra apud hunc Euangeliſtam, Chriſto improperabant dicentes, Quem te ipſum facis? Et rurſus aiebant, de bono opere, nō te lapidamus, ſed quia homo cum ſis, te Deum facis. ¶Qua propter, cùm ſe proferat modo Chriſtus ſeſſurum à dextris Dei, inferunt, Tu ergo es filius Dei.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Pſal. 110.

Ioan. 8, Ioan. 10.

Quam illationem Dominus non negat, quia verum erat conſequens, & bona conſequentia: neque tamen expreſſe affirmat, quia indigni erant audire: ſiquidem non interrogabant ad ſalutē ſuam, ſed vt haberent vnde patentius Dominum damnarent. Potuiſſet autē dicere, Ego iam prædicaui, & miraculis probaui me eſſe Chriſtum, meque eſſe filium Dei à Deo miſſum: cæterum, non hoc dixit ne acueret ad maiores inuidię faces corda malignantium: ſed mediam elegit reſponſionem, neque negans, quod verum erat, neque affirmās, quod illis fuiſſet noxium audire. Soluto verō hoc malignantium cōcilio, vbi defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, vbi exarſerunt contra Dominū, ſicut ignis in ſpinis, vbi acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes contra Chriſtum, & ſicut nouaculam acutam. Quia venenum aſpidum ſub labijs eorum, & linguis ſuis doloſè agebant: & ſub lingua eorum labor illis & dolor, nobis vero requies, & lætitia. Et quia prouerb. 5. in terra, quæ Deus odio habet, lingua mendax eſt ſummi odij, quanto Deo fuerit odio lingua horum, qui mentiti ſunt contra diuinam veritatem quis expendet? ¶Soluto autem hoc Satanę concilio, & ideo in tenebris facto, diluculante die luceque prima, iterum conueniūt in domū Caiphæ pōtificis Satanæ illi ſatellites, & venenati illi, atq; viperei pōtifices. Nā hac nomenclatione eos dedignās Dñi præcurſor, appellauit dicēs, Genimina viperarū, quis vobis demōſtrabit fugere à ventura ira? Ineunt igitur ſecūdo cōciliū iſti viperarū digna progenies, vt ſecundo dānarent Chriſtū ad mortē. Iā damnauerāt primo ſub nocte profunda dicentes, reus eſt mortis. Nūcvero ſecūdo ſub luce lucis oſores cōueniunt, vt quæ malè iudicarant, pœnis ſtabiliant: cōueniunt enim vt Chriſtum morti tradant: hoc eſt, vt exequerentur quod iam decreuerant. Ideo ſequitur in Ioanne. *Adducunt Ieſum.* Adducūt mane Ieſum vinctū ad Pilatū præſidē. Matth. enim inquit, quod duxerūt eū vinctū, at Marcus non vinctū, ſed vinciētes Ieſum Ioā. & Luc. de vinculis nō fecerūt mētionem. Verū nihil diſcordię eſt, ſiquidem Matth. dixit vinctū, & Marc. recapitulādo dixit, quod miſerat. Vel forſan laxa

Pſal. 63. Pſal. 5. 13. 9. 139.

Matth. 26.

Concordia Euāgeliſtarū

runt Domini vincula apud Caipham, & deinde cum adduxissent ad Pilatum, mane rursus ligarunt Dominum.

¶ Sed dicet aliquis, Cur mane hoc fecerunt? cur tam velociter causam Domini egerunt? siquidem post accusationem, inscriptis datam reis, datur illis spatium se defendendi, & se compurgandi à maculis, quibus aspergũtur, itẽ spatium, vt testes arguãt de falsitate, aut eos ostendãt fide indignos, aut quia hostes, aut quia periuri, aut quia ebriosi, &c. Verũ hinc expẽde infernalẽ horum furorẽ, nõ datur Christo locus vllus defensioni, sed ocyssimè præcipitant iudiciũ. ¶ Et quid si ipsi dicebant, Dominũ esse confessum, ideo non esse testibus opus, vbi est rei confessio. Vtiq; secundũ iura mitius agitur, cum confesso quam cum conuicto: cur igitur tam pessimè agebãt cum Domino? Verum isti, non causam Christi agere cupiebant, sed suũ explere plusquam hostile odium curabant. ¶ Vnde Iudas venditor tunc dicens illis, Peccaui tradens sanguinem iustum, & pecuniam illis restituens tanquam iniustè partam, debuisset eos summopere retrahere à pessimo opere. Sed neque hoc retraxit: sed aiunt, Quid ad nos, tu videris. Sed quid ò pessimi iudices, nihil ad vos, quod iustus sit, quẽ vos condemnatis, vt iniustum? Quis probabilior testis, & fide dignior, quam Iudas hic Domini discipulus? Nunc non recipitis verum testem, & falsos probatis & quæritis? Cur Iudam se confitentem proditorem sanguinis iusti, nõ capitis, non ligatis, non damnatis, vt reum mortis, quia immane scelus proditionis admisit, & Dominum innocentissimum apprehenditis, ligatis, illuditis, conspuitis, & ad mortem damnatis? Siccine iudicia sunt ferenda? Decernunt iura optabilius esse absoluere nocentem, quam damnare innocẽtem, vos contra omnia iura absoluitis nocentem, & damnatis innocentem. Et qui gloriamini in lege, contra legem facitis lex enim vestra insontes prohibet damnare. Insontẽ ait, & iustum nõ occides, vos vero summopere desideratis innocentem morti tradere. Vt verè de vobis dictum sit, veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem, Psal. 13. *Erat autem mane.* Prima luce consilium Satanicum congregarunt, vt Dominum ducerent ad Pilatum: vt eum morti traderent. Et mane etiã soluentes concilium, veniunt etiam mane ad Pilatum: siquidem tẽpus matutinum habet latitudinem, ideoque prima luce coegerunt conuentum suũ, de quo prædictum erat, Genes. 49. Simon, & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia in consilium eorũ non veniat anima mea, dein vero prima luce seu aurora diei transacta, ad huc autẽ cum esset mane, ducunt Dominum ad Pilatum.

Exod. 23.

¶ Festinant autem tradere morti Christũ, timentes plebem ne concitata forte per apostolos aut alias, aut ex miraculorũ memoria insiliant in eos, & abducant Christum ab eorũ potestate: ideoq; festinantissimè rem absoluere cupiunt. *Ipsi vero non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha.* Sunt qui arbitrantur Dominũ, id temporis legali tempore comedisse agnum paschalẽ, & seruasse dies azymos, at verò Phariſæos & pontifices, non obseruasse legitimum tempus legis, quod erat vt. 14. die mensis primi vẽscerentur agno ad vesperam, Exod. 12. Sed potius tunc comederunt agnum paschalem feria sexta ad vesperam. Ideoque exponunt Ioãnis hũc locũ pontifices, non fuisse ingressos prætorium præsidis, quia gentilis erat, & putabãt se ex ingressu cõtaminãdos, ideo vt se seruarent incõtaminatos ad comedendũ agnũ ad vesperam illius diei, ob hoc, nõ fuisse ingressos tũc. Et ad hãc rationẽ Cyrillus exposuit in hæc verba, Illud multo ridiculosius est, quod vt agnũ comederẽt (qui nihil aliud quã Christi mysteriũ figurabat, cauẽt ne inquinẽtur) in ipsam veritatẽ autẽ insaniũt. Eodẽ modo alij doctores Græci locũ exponũt. Cæterũ nullũ est vel testimoniũ scripturę, vel sufficiẽs argumẽtũ, quod hoc dogma cõuincat: siquidẽ, vox hęc, pascha, est polysima, in scriptura: iã enim azymos, iã agnũ ipsum typicũ, iã dies festiuos azymales denotat, vt in. 4. Sen. & supra. 13. satis diximus. Quocirca, q̃ modo ait, sed vt mãducarẽt pascha, significat, vt celebrarẽt primũ diẽ azymorũ, qui in id tẽporis inceperat à vespera fer. 5. quãdo Dñs comedit agnũ paschalẽ, cũ discipulis suis. Et hoc modo intellexi-

mus

mus locum, Ioan. 13. Ante diē festum paschæ, scilicet, ante primum diem azymorum. Puto autem probabiliter, non ideò credidisse se cōtaminandos propter ingressum solum in prętorium gentilis, siquidē magis contaminabat colloquiū cum Pilato, quā nudus ingressus in prætorium gentilis hominis. Rursus quia illud prætorium necesse erat Iudæis sæpe ingredi, vt pote quod erat vbi quotidie ius erat illis dicendum. Verum pontifex & cæteri socij, intendebant, Pilatum trahere vt de plano & sine strepitu iuris, neque seruata figura & forma iudicij Dominum adigeret morti. Ideoque non ingrediuntur prætorium, vbi causa erat ventilanda non de plano: sed obseruata forma iudicij. Ducebāt autem isti, sic procedere in illo die primo azymorū esse contaminationē: ideoque prætoriū detrectant intrare, ne contaminarentur, si illo die procederent contra Christum prætorialiter, & obseruata forma iudicij. Vnde paulo infra Pilato petente, Quam accusationem affertis aduersus hominem istum, subterfugiunt iudicialem formam, & respondent. Si non esset hic malefactor, &c. Quasi dixissent, Hodiernum tempus non est aptum proferēdis iudicialibus accusationibus: sufficiat tibi nostra authoritas pontificia & omnium astantium desideria, quæ tibi offerunt hunc tanquā malefactorē: hoc tibi sat sit pro accusatione. Et quidē dānare innocētē siue seruata forma iudicij, siue illa violata est immane facinus, etsi multo immanius violata iudicij forma.

ENARRATIO. III. In caput decimumoctauum.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quā accusationē, affertis aduersus hominē hunc? Responderunt, & dixerunt ei, si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo Pilatus, Accipite eum vos, & secundum legē vestrā iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi, nobis nō licet interficere quēquā.

IVcas commemorat, Iudæos cœpisse accusare Dominum dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentē nostrā, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christū Regem esse. Hæc igitur tria obijciebant Domino alia autem, quæ in domo Caiphæ eidem obijciebantur à falsis testibus, scilicet, Hic dixit, Possum destruere templum, &c. hæc non afferuntur modo in accusationem, coram Pilato, quia timebat huiusmodi esse contemptorum præsidē, quia ad cæremonias & legalia Iudaica pertinebāt, ideo solum ea referunt quæ poterant accendere animum præsidis ad irā, & vltionem capiendam de Christo: qualia erant Dominum, vt factiosum accusare, & quod prohibebat, tributa exhiberi Cæsari, & demum, quod se Regem faciebat. Christum igitur deferūt, quasi hostem Romani imperij, vt Romanus iudex sæuiret in talem hostem. Porrò tria hæc falsò fuerunt obiecta Domino, siquidem Matth. 22. ipse expresse dicit, quod est Dei, dādum Deo, & quod Cęsaris, Cæsari tribuendū. At verò secundum obiectum, quod ipse erat factiosus, & subuertens gentem Iudaicam, ipse diluerunt inuiti ostendendo quænam esset subuersio hæc. Aiunt enim Lucæ. 23. commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilęa vsque huc. Erat igitur doctrinæ magisterium quod ipsi vocant commotionem, vel populi subuersionem. At verò Christus sua doctrina non excitauit factiones, sed eas potius arcebat: siquidem Pharisæis, scribis, & principibus suū seruauit honorē incolumem dicens, Matt. 15. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, quæ docuerint vobis facite: secundum opera eorum nolite facere. Et sacerdotibus detulit honorem: nam sanatis leprosis, dixit, Ite ostendite vos sacerdotibus Lucæ. 5. Et demum cum ipse legalia obseruauerit exactè, quia non venit soluere legem, sed adimplere, Matth. 5. ideo nullas excitauit seditiones, imo apostolis suis iussit non resistere malo: sed vincere in bono malum. Et dedit in consilijs, vt percussi non repercuterent, vt diligamus denique inimicos nostros, Matthæi. 5. & illis bene faciamus, &c. Nunquid hęc doctrina erat ad factiones excitandas? num ad subuertendos populos? non vtique sed adcomponendam hominum pacē cū inimicis suis. Quod verò docebat,

Accusationes Christi malignę erāt & planē mendaces.

bat, Matth. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium, vnde forsan isti rapuerunt occasionem de factione accusandi, vtique nō dixit, quia ipse ad gladios mouendos vocabat suos, Matth. enim. 26. prohibet gladio ferire. Non ergo de gladijs materialibus intelligebat verbum suum: sed de gladio spirituali qui est verbum, ad Ephes. 6. Hunc enim gladium misit Christus in orbem qui ferit non corpora, sed mentes. Alia demum accusatio, quod se Christum Regem faciebat, temeraria etiam erat: sanè non se fecit ipse Christum sed â Deo constitutus fuit Christus. Et ideo mendacem attulerunt accusationem, quod ipse se fecit Christum: quippe â Deo patre est constitutus Christus, vt nunquā non ipse testatur Ioan. 10. Quem pater ait, sanctificauit misit in mundum: & exiui à patre, & veni in mundum, &c. Neque ipse se fecit regem, imo Ioan. 6. cum turbę, quas pauerat, trans stagnum Genezareth, contendissent ipsum promouere, & salutare tanquam Iudæorum Regem, aufugit. Erat quidem verus Rex, non tamen regna quærebat terrena: qui donaturus erat cœlestia. Et quoniam Pilatus falsas & non probatas videbat accusationes eximit se à iudicio dicens, Accipite eum vos, nam iudex debet iudicare secūdum allegata & probata, &c. Non enim accusatores afferebant testes probantes accusationes, sed solum aiunt apud Lucam, Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, &c. Ipsi accusant de subuersione & non probant per idoneos testes subuersionem, quandoquidem non poterant esse accusatores, & testes. Quo circa Pilatus, ipsis accusatoribus defert iudicium dicens, Accipite eum vos. Sed neque Pilatus iustè commisit iudicij potestatem accusatoribus Christi: siquidem iudex non potest esse accusator vt neque testis.

L. illicitas. §. veritas. ff. de offi. præsi.

Testes accusator & iudex tres sunt personæ.

¶Iudæi verò nolunt vti hac potestate quā sibi committebat Pilatus occidendi Christum, sed aiunt sibi non licere interficere quemquam. Sed cur hoc dicitis ò Iudæi vobis non esse facultatem occidendi quemquam? siquidem si vobis non adfuit facultas, hæc iam vobis à præside donatur. Existimat Cyrillus potuisse: sanè agere iudices in causa sanguinis Iudæos: at verò noluisse tunc vti sua potestate: vt se magis iustificarent coram populo. Ne crederent ipsos ex odio processisse contra Dominum, ideo remittunt causam Pilato.

An Iudæis erat potestas dicendi ius in causa sanguinis.

¶Item quia primus dies azymorum erat illis sanctissimus, & cum ipsi desiderassent festinantissimè eo die occidere Christum, & videbant sibi non licuisse tunc occidere, ideo aiunt, Non licet nobis occidere quemquam, scilicet, eo die, vt glossa interlinea. censet in festiuis nō licebat diebus interficere, in alijs licebat secundum legem.

¶Sunt alij credentes Iudæis licuisse ius dicere in causa sanguinis, non tamen inferre crucis mortem, quam gentilis præses sibi reseruabat reis inferendam. Et probant, Acto. 7. Stephanus lapidatur, inconsulto præside Romano. Verum hic locus efficit nihil: siquidem tantus furor fuit populi Iudæorum in Stephanum, vt inconsulto iudice Romano, quam putabant blasphemiam Stephani vlti sunt lapidatione. Est autem ratiuncula fauens istis, quia crucis mors non erat in lege præscripta, inferenda reis, sed lapidatio erat præscripta blasphemis puniendis. Ideoque quia non erat præscripta in lege, à solo Romano præside videbatur inferenda. At verò si non erat præscripta, non erat prohibita: vnde. 2. Regum. 21. crucifiguntur posteri Saul. Et apud gentes hoc genus mortis item inferebatur reis quibusdam, Gene. 40. Suspendet te in cruce: Et Iosue regem vrbis Hai, item cruci affixit capit. 8. Quanuis non solum deferebant Dominum blasphemum esse, sed etiam populi subuersorem, & prohibentem Cæsaris iura, & vectigalia. Ideo non intentant contra eum lapidationis pœnam, sed aliam atrociorem & multo viliorem, scilicet, crucis. ¶Et quidem in re hac quid certi statuam non habeo: nisi quod verba hæc, Non licet nobis interficere quemquam, ex plano litę sensu docent Iudęis ademptam fuisse facultatem dicendi ius in causa sanguinis simpliciter, & non solum crucis inferendæ mortem, imo neque alia illis

illis inferre reis fuisse permissa mortis supplicia: etsi interlinealis glossa aliud sapiat.

¶Nihilominus Pilatus hoc ius in causa sanguinis eis modo permittebat quia videbat Iudæos, propensissimos ad Christi fundendum sanguinem, & ideo non iudicialiter, sed pro suo furore agere. Et cum debuisset, tanquam primarius iudex, hunc prohibere furorem, & ad se causam Christi aduocare, & grauiter illam examinare, vt exigebat Christi innocentia, quam ipse est confessus dicens, Non inuenio in eo vllam causam, maluit gratum se exhibere Iudæis, & ideo tandem adiudicauit fieri petitionem eorum. Quasi vero sufficiesset ad damnandum quemuis hominem, quanto magis Christum qui damnari nequibat, sola petitio accusantium, nisi grauissimè allegata, & probata examinentur. *Vt sermo Iesu impleretur significans qua morte esset moriturus.* Matth. 20. Et tradens eum gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Vnde Dominus prædixerat se esse crucifigēdum à gentili iudice, cui erat tradendus à Iudæis. Quocirca Iudæi implent verbum Domini cum se subducunt à crucifigendo Christo, & Pilato tradunt crucifigendum. Propterea ait Ioannes post quam retulit Iudæos dixisse, Non licet nobis interficere quemquam, subdit, Vt sermo Iesu impleretur, scilicet, quod erat crucifigendus à gentibus. Duo igitur Dominus prædixerat, & quod erat crucifigendus, & quod à gentibus erat cruci adiudicandus. Quāuis enim Iudæi Dominum tradiderunt Pontio Pilato, & authores fuerunt mortis Christi, instanter accusantes, & petentes quod crucifigeretur, cæterum Pilatus eum adiudicauit crucis morti. *Introiuit igitur iterum Pilatus in prætorium, & vocauit Iesum, & dixit ei, Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus, à temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus, Nunquid Iudæus ego sum? Gens tua, & pontifices tui, tradiderunt te mihi: quid feciſti?* Apud Matthæum, antequam sistatur Dominus ante præsidem, & loquatur cum Iesu, denarratur Iudæ miserabilis exitus. Ait enim, Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, &c. & post hæc narrat, quæmodo apud Ioannem, denarrantur. At vero quæret aliquis, de qua damnatione Matthæi verba hæc sunt intelligenda. Videns Iudas quod damnatus esset? Quandoquidem fuit primo Dominus damnatus in domo Caiphæ, vbi omnes dixerunt, reus est mortis, Et rursus in domo Pilati, quia Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. De prima autem damnatione videntur verba Matthæi intelligenda. Tunc, enim ait, Videns Iudas, qui tradidit eum quod damnatus esset: id quod subiecit post primam damnationem. Verum hæsitabit forsan quispiam dicens, Imo videtur quod post secundam siquidem, ex eo Iudas laqueo se commisit, quia viderat iam Dominum damnatum, cuius damnationis ipse fuerat autor. At vero prima damnatio non erat peremptoria, quia poterat sperare à Pilato absoluendum Christum: vnde non erat cur se statim suspēderet post illam damnationem, quasi desperans Christi incolumitatem.

¶Est sanè verum, quod potuisset sperare, quid ageretur in prætorio Pilati, verum ipse intellexit post primam damnationem, secundam esse secuturam, ideoque laqueo se suspendit. Antequam enim damnaretur à Caipha, ipse sperabat forsan Christum miraculo se eruturum à manibus Iudæorum, vt sæpe fecerat, ideoque detinebat suum suspendium. Videns autem, tunc quod iam esset damnatus, suspendium non distulit. Et res miratu digna, agnouit miser suum crimen esse atrociſsimum, & illud confitetur, se docens tradidisse sanguinem iustum, & argenteos, quos ceperat, tanquam pessime partos restituit, & doluit vehementer de patrato facinore: quia Matthæus ait, Pœnitentia ductus. At vero & pœnitentia interior, & confessio exterior, & satisfactio illi non profuerunt: quippe non pœnituit secundum Deum, neque propter Deum, sed potius ex naturali quadam tristitia, quę malè facta solet consequi. Nam si propter Deū esset, non elegisset suspendiū,

Glossa interlinealis credit Iudæis se festis diebus non licuisse interficere nocentes, & in non festis licuisse.

Iudę proditoris infaustus exitus.

Iudas cōfessus suum crimen, & dolens de illo & pecuniam restituēs æternō perijt.

vt Achitophel eligit, videns suum consilium quassatum esse. Quoniam hic credidit à Dauide esse atrociter puniendum, ideo se suspendit, Iudas vero forte reputans Christum post mortem resurrecturum in magna potestate, & formidans tunc à Christo perdendum, male se præuenit suspendio. Sunt qui putant Iudam non periisse suspendio, sed quod longa tentus cæcitate, leui cursu transiens curru cõpressus est, effusaq; esse eius intestina. In hanc sententiam æcumenicum habes, in collectaneis ad acta aposto. & Euthimium in comm. Matth. Nam ait, quando se laqueo suspendebat à quibusdam, fuisse ablatum viuum de suspendio, & tranfacto certo tempore, præcipitẽ se dedit, vnde sunt effusa viscera eius. Cæterum acta apostolica aliud docent, vbi traditur suspensus crepuit medius, & diffusa sunt viscera eius. Ideoque videtur iuxta hoc testimonium Iudam ex suspensione obiuisse, quia suspensus crepuit medius. At si sola suspensio non fuit causa effusionis viscerum, verum poterat contingere ex causa alia concomitante, quod effunderentur viscera eius. *Tu es Rex.* Tria erant Christo obiecta, & quod erat subuersor populi, & quod erat impediens iura Cæsarea, & quod se Regem faciebat. At verò Pilatus solum meminit vltimi, cætera supprimit. Etenim subuersorem non esse populorum Christum oculis patebat, & quod ipse iussit tributa exhiberi Cæsari Pilato constare poterat, siquidem ipse cum esset præses Romanus, diligens fuisset, vt animaduerteret in prohibentem tributa exhiberi Cæsari. At verò de regno mentionem facit siquidem fama publica increbuerat Christum esse Regem Iudæorum, quia à multis credebatur tũ verus Christus. Propterea, cum vidisset Christum, sine pompa regia, & illusum, & conspurcatum, ex parte altera, & ex altera vulgatam sententiam, quod ipse erat Rex qui sperabatur venturus Iudæorũ, vel ex animi curiositate, aut ex irrisione, quærit an sit ipse Rex Iudæorum. Christus vero interrogatione alia Pilati interrogationem deludit. Sciebat sanè, quid esset respondendum, si dignus fuisset Pilatus Domini responso: at verò indignum responsione, noua interrogatione intercludit. *A temetipso ait, hoc dicis, &c.* Sciebat sanè quod non à se ipso hoc dicebat, sed ex instillatione Iudæorum, quare Pilatus ait, *Num ergo Iudæus sum*, &c. Quasi dicat, Ego non possum à me ipso hoc dicere, siue interrogare, nisi habuissem ex Iudæis mihi dicentibus. *Gens tua*, inquit, *& pontifices tui, &c.* Vocat pontifices Anam, & Caipham, non quia ambo erant simul põtifices, sed quia Anas anno superiori functus fuerat pontificatu, *Quid fecisti.* Stupenda res, peccati minister examinat facta authoris iustitiæ, & sanctitatis. Et se permisit Dominus iudicio peccatorum, qui iudicaturus est omnes, & iustos & peccatores. At hoc instituit Dei sapientia, vt qui erat iudex viuorum, & mortuorum, se subderet iudicio hominum pessimorum, vt dignitatem iudiciariam vniuersalem erga vniuersos homines subiens iudicium peccatorum dignissimè habere promereretur. *Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicis quia Rex sum ego.* Interrogabat Pilatus Dominum, quid fecisti? & non respondit, ad hanc postremam interrogationem, sed ad priorem illam, Tu es Rex Iudæorum, dicens, Regnum meum non est de hoc mundo. Quanuis autem ex hac negatiua non infertur affirmatiua, siquidem ex negatione non sequitur euidenter affirmatio secundum dialecticam obseruationem, verum iuxta vulgatam loquendi consuetudinem sequitur non nunquam. Ideo ex verbis Domini, intulit Pilatus, Ergo Rex es tu. Dominus autem, quia semper prudentissimè loquebatur, vt neque Caiphæ, neque Pilato occasionem daret magis insaniendi, & etiam ne porcis spargeret margaritas sui sermonis, & sanctum Euangelium porrigeret canibus, ideo modo nõ ait, Ego rex sum, cœlestis & non terrenus: & quanuis cœlestis sum, terrena tamen sunt, omnia mea, Nõ hoc dixit, ne eos vehementius ex asperaret clare docẽs veritatem: at temperauit suũ sermonem,

nem, neque apertè se declarans esse regem cœlorum, neque obscure insinuans se cœlestem habere monarchiã. Et subdit rationem propositionis quã dixerat: quia si regnum suum esset mundanum, haberet quoq; mundi ministros: qui decertarẽt in fauorẽ suũ, ne caperetur à Iudæis: at nullos habuit ministros seculares, qui defenderent ipsum, ne caperetur. Infert igitur, Regnũ meum non est seculare regnum. Pilatus autem quippe qui erat animalis homo, non capiebat quæ Dei erant: non intelligebat Christum loqui de regno æterno, & non de regno caduco, quale est seculare regnũ sed potius credidit esse aliquod regnum Christi remotum à Romanorum iurisdictione. Ideo intulit, Ergo Rex es tu? Christus vero eodẽ temperamento, quo solebat, respondet dicens, Tu dicis quia, pro quod Rex sum ego. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimoniũ perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Pilatum admonet Dominus his verbis, se innocentissimũ: quippe ait se natum ad hoc, & venisse in mũdum, vt testimoniũ perhiberet veritati, idest, vt perhiberet testimonium, quod ipse erat verus Christus. Nam hoc testatus est, & voce euangelica, & miraculis. Ideo subdit, Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam: hoc est, Omnis electus ad vitam æternam, audit vocẽ meã. Hunc enim vocat esse ex veritate electos enim scriptura vocat filios Dei, & oues Christi. Cum ego Deus sit veritas ideo omnes isti, quos Deus elegit ad vitã possidẽdã æternã, sunt ex veritate, siquidem amant veritatẽ Dei, quę est euãgelica veritas. Cæteri omnes, qui hãc veritatem negligunt quanuis sint creaturæ Dei, nõ dicuntur esse ex veritate, sed ex mendacio, quia diabolus mẽdax est, & pater mendacij. Vnde Dominus neglectores diuinæ veritatis appellat esse ex diabolo dicẽs, Vos ex patre diabolo estis. Pilatũ igitur insinuat esse ex patre diabolo, quippe qui cũ nõ audierit Christi vocẽ, non erat ex veritate: igitur erat ex mẽdacio. Nõ enim filius est veritatis sed filius mẽdacij, qui veritatẽ Dei, quã corã se habebat, nõ venerabatur. Et sufficeret ad venerationẽ Christi, magnitudo miraculorũ, quę ediderat in Iudęa, & Galilæa. Cęterũ Deus huius seculi obcęcauit mentẽ eius, & mentẽ Iudæorũ, vt suo malo veritatẽ, negligerent. *Dixit ei Pilatus, quid est veritas? & cum hoc dixisset, iterũ exiuit ad Iudæos, & dicit eis, Ego nullã inuenio in eo causam.* Qui nolebat credere veritatẽ, curiosè inquirit, Quid est veritas? vt vel inquisitione hac, se studiosum veritatis esse simularet. At Dominus non dignatur eũ responsione huius dubij: imperti nens enim esse ducebat, docere veritatẽ, cõtẽptorẽ veritatis. *Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittã vobis in pascha, vultis ergo dimittam vobis regẽ Iudæorũ? Clamauerunt rursum omnes dicentes, Nõ hunc sed Barabam: erat autem Barabas latro.* Iniustus præses, confitetur nõ esse cõtra Dominum causam, cõfitetur Dominũ esse innoxium, cur ergo petit assensum plebis Iudaicæ, quã sciebat hostẽ esse Christi ad dimittendũ Christũ? Etenim cũ penes eum solum esset ius dicendi in causa sanguinis, & nõ penes Iudæos, non erat opus facto requirere beneplacitũ accusantiũ Iudęorum. Cũ exploratũ erat Pilato hos esse hostes Christi. Fuit ergo hæc petitio simulata, cum vt gratum se exhiberet Iudæis, tum vt profiteretur nihilominus se non ex animo sed inuitum crucifixisse Christum. Poterat enim, & omnino tenebatur Christum absoluere, ab iniusta accusatione, quam accusatores probare non potuerunt. *Vultis.* Sermo hic magis proritabat irã Iudæorum cõtra Christũ: eũ enim appellãs regẽ Iudęorũ, ipse optimè sciebat infestam esse hanc appellationem Iudæis. Nihilominus appellat Iudæorum eum regem: vnde auidius Iudæi Christi mortem procurant. Vnde Pilato etiam videtur Christi mortem, placuisse, etiam si exterius apparebat, eandem impedire. Vel saltem si displicebat, vt apparet ex euangelistis, fuit displicentia inefficax, cum tenebatur efficaciter absoluere Christum ab accusatione: & non exquirere tot meandros in causa euidenter iniusta.

¶ Tu considera interim, vt conueniunt gentes, & Iudæi ad necem Domino inferendam, Pilatus, scilicet, præses Romanus, & Caiphas pontifex Iudæus: ille cũ suis ministris gentilibus, iste cum suis ministris Iudæis. Et quia Roma erat caput gentium, & Hierosolyma caput

Iudæorum, duo mundi capita concurrunt ad ſummum ſcelus patrandum occidendi Deum & hominem Chriſtũ, vt neque glorietur gentilis in ſua innocentia, neque Iudæus in ſua lege, ſiquidem ambo ſunt rei ſanguinis Chriſti. Omnia igitur teſtante Paulo cõcluſit Deus ſub peccato ſubaudi infidelitatis, vt omniũ miſereatur. Etſi infideliores fuerunt Iudæi, quam gentes, quia ſuum Meſsiam non crediderunt. Cæterum omnes fuerunt damnabiles ex peccato infidelitatis: ideoque iuſtificans eos Chriſtus ſiue gentes, ſiue Iudæos, gratis iuſtificat ſecundũ ſuã miſericordiam. Hoc eſt quod pſaltes ille Pſal. 2. mirabatur ſpiritu Dei plenus dicens, Quare fremuerunt gẽtes, & populi meditati ſunt inania, aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtũ eius: ſiquidem Pontius Pilatus nomine Gẽtium, & Caiphas nomine Iudæorũ, quia Caiphæ ſuffragantur ſcribæ & Phariſæi, & promiſcua plebs Iudæorum fremuerũt cõtra Chriſtũ. Pilatus quidẽ adigens eũ morti, Caiphas verò & cæteri petentes eiuſdem mortem. Et vt Petrus eos increpans ait, Act. 3. virum ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis donari vobis homicidam: nam Barabas homicida erat. O humanam vecordiam, o peſsimam electionem, authorem vitæ negare, & deſtructorem vitæ eligere: à Chriſto dignum ducunt diſcedere, & homicidæ diabolo ſe ſociare cupiunt. In Luca autem traditur, hunc Barabam fuiſſe homicidam, & ſeditioſum: at verò Ioannes tradit eum fuiſſe latronem. Vtrunque igitur fuit & homicida, & latro, ſeditioſus: ij enim qui ſunt graſſatores vtrunque faciunt, & homines occidere, & occiſos ſpoliare. Et quia Matth. ſcribit hũc fuiſſe vinctum inſignem, videtur fuiſſe hunc Barabam, notabilem graſſatorem viantium, ſeu, vt alij vocant aſſaſsinũ: ſunt enim quandoque homines huiuſmodi, inſignes malefactores. Ioannes non meminit, quod Lucas retulit. Pilatum remiſiſſe Dominum ad Herodem: credebat enim, quod eſſet de Herodis iuriſdictione. Quia accuſatores, deferebant Dominum de ſubuerſione, populorum, quam inceperat à Galilea, & prorogauerant in Iudæam vſque. Herodes autem iſte, non erat ille, ſub quo natus eſt Dominus Matthæi. 2. Nam hic erat Iudeæ Rex, poſt cuius mortem diuiſum eſt regnum in tetrarchias Lucæ. 3. quas diſtribuit Romanus Cæſar, in filios Herodis Regis, videlicet, in Herodem filiũ, Philippum, & Liſaniam Abilinæ. Herodes ergo iſte non Rex, ſed Tetrarcha erat, etſi Nicolaus falſo tamen oppoſitũ ſentire videtur. Cæterum res certa eſt ex Euſebij eccleſi. lib. 1. cap. 9. Nam poſt Herodem primum illum Regẽ Iudeæ Archelaus filius eius ſucceſsit in regno, quo munere abdicatus poſt decem annos fratres eius Philippus, & Herodes iunior ſimul cum Liſania ſuas ipſorum tetrarchias, ideſt, quadripartitas Iudeæ præfecturas obtinuerunt. Pilatus autẽ pulſo Archelao fuit Rex Iudeæ, decemque annos continuos regnum hoc obtinuit vſque ad Tiberij occaſum, vt ibidẽ traditur: quanuis Lucas non refert Pilatum regem eſſe, aut tetrarcham, ſed ſolum procuratorem Iudeæ. Et forte Pilato maior erat poteſtas collata à Romano Cæſare Tiberio, quam cæteris, qui tetrarchæ dicebantur: ideo Euſebius eum vocat regem fuiſſe, & non vocat ſcriptura tetrarcham. Ioſephus eum vocat Iudeæ rectorem. lib. antiqui. 18. ca. 15. Et quidem non ab re Caiphas, & cæteri Iudæi cauſam Chriſti ad Pilatum detulerunt, & non ad Herodem iuniorem tetrarcham Galileæ, etiam ſi optime ſciebant Dominum apud Galileos diu egiſſe, & ibidem educatum fuiſſe: & ipſi in ſua accuſatione, iſtud accuſabant Dominum ſubuertiſſe populum incipientem à Galilea, & rurſus, quia magis forte amabant cauſam Chriſti agere coram Herode, quem ſciebant eſſe profeſsione Iudæum, quam coram Pilato profeſsione & natione gentilem. Et denique Herodes Hieroſolymis cum eſſet illis diebus, quod non primo adeum detuliſſent cauſam (id quod poſt modum Pilatus fecit) videtur admonere, eminentiam poteſtatis Pilati, ſuper cæteros Paleſtinæ præſides. Pilatus igitur quãtum videtur, & coniecturæ datur, nõ remiſit Chriſtum ad Herodem, quia ad hoc tenebatur propter diuerſam iuriſdictionem: ſed quia exonerare ſe volebat ab hoc iudicio. Et quidem Matth. 27. vxor eius illi nuntiarat, dicens, Nihil tibi & iuſto

Nicolaus 2d Lucam. 23.

Cur Euſebius Pilatum vocet Regẽ Iudeæ.

iusto illi, multa enim passa sum per visum propter eum. Ob hanc igitur rationem, & quia non inueniebat causam intendebat Christi causam in Herodem remittere, sub hoc prætextu, quod ex Galilæis erat cum tamen causa hæc, non auocabat causam, ad tribunal Herodis, quia si reatus fuisset, qui Domino impingebatur, etiam in Iudæa admissus fuerat. Quanuis opinor neque Pilatum, neque Herodem, in Iudęos veram & legitimam habuisse iurisdictionem, sed potius tyrannicam. Quoniam hæc iurisdictio deriuabatur à Rom. Imperio: at vero Romani vsurpauerunt vi & fraude Iudæorum dominationē, vt extat apud Ioseph. anti. lib. 18. cap. 4. & apud Euseb. lib. 1. cap. 6. Nam Pompeius veniēs Hierosolymā violētia expulit à regno, & sacerdotio Aristobulū, & trāstulit regnum Iudæorum in imperium Romanorum, nullo iure, sed potius multa tyrannide. Quocirca etiam si Dominus nō fuisset Deus, non erat subditus Pilati, aut Herodis potestati, quæ tyrannica erat. Vnde ipse inquit liberos esse filios, sed euitandi scandali gratia soluendū tributum: de qua re alibi.

¶ Et obserua, vt ex malis nostris Deus elicit bona, adducitur Dominus ad Pilatum gentilem à teterrimis hostibus, & nihil deliquisse inuenit. Adducitur itē ad Herodem professione Iudæum, & nihil cōmeruisse Dominum declarat. Præses igitur Iudęæ, & præses Galilęæ ambo declarant Dominum esse innocētem solum perfidi sacerdotum principes instanter accusant Dominum, & contendunt eum interficiendum: vt verum sit illud, Principes persecuti sunt me gratis. Coram Herode verò Christus tacuit, siquidem desiderabat Christum videre, ad curiositatem, non ad salutē suā parandam. Qui autem sunt huiusmodi, indigni sunt, qui doceantur. Credebat miser ille, Dominum facturum aliquod signum coram eo, vt ad eam rationem eius benenolentiam captaret, vt dimitteretur: id quod magorum est & circulatorum, non Christi, qui spōtaneam subijt mortem, quippe qui oblatus est quia ipse voluit.

¶ Antequam autem hanc enarrationem absoluam, expediens est circa prædicta nonnulla annotare, de Domini sanguineo sudore, quem solus Lucas commemorat, dicens, Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram. Et quidem expensione non est indignum differere, an hic sanguineus sudor Domini, natura, an miraculo accederit. Verum enim verò sunt qui existimant, Dominum non sudasse sanguinē, quippe hoc natura non habet, sed Euangelistam dixisse sudasse sanguinem prouerbiali figura, ex qua dicere solemus homines vehementissimè laborātes sanguinem sudare, vt valde, & amarissimè flentes sanguinem flere. Domini igitur sudor aquosus fuit iuxta hoc placitum, vt alij nostri sudores, sed vehementissimus, & guttarū grossarum, quia litera Græca pro guttis, habet θρομβοι, quę vox guttas grossas, seu magnas significat. Ad hanc rationem Theophi. in Lucam, & Euthimius locum hunc exposuerunt. Et Lucas ait has guttas esse sicut guttæ sanguinis, id quod similitudinem, & nō naturam sanguinis videtur significare.

An sanguinea Christi exudatio miraculo sit tribuenda, an causam naturalem habuerit in Christo.

¶ At verò, quod ad exaggerationem figurata hac locutione locutus fuerit Lucas, si esset locus alius in scriptura, qui eandem figuratam loquendi formam ostenderet, non esset difficile creditu, hunc locum itidem fore intelligendum: at non recolo alium similem tropum extare in scriptura.

¶ Iam verò si de sudore sanguineo est intelligendus Lucas, qui erat verè sanguis, vt videtur intelligendus, siquidem obstat nihil, quod tradatur sicut guttæ sanguinis, quia huiusmodi dictiones in scriptura, non excludunt naturæ veritatē, vt diximus tomo. 1. ad cap. 1, Ioan.

¶ Beda igitur comm. ad Lucam credidit hunc sudorem sanguineum miraculo esse tribuendum. Nemo, ait, sudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam est sudare sanguinem. Sed potius intelligat, per hoc nobis declaratū, quod effectum iam suæ precis obtinebat, vt, videlicet, fidem discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret. Augustin. in lib. sent. prosperi. ad mysterium retulit hunc sudorem, dicens, Orans etiam cū sudore sanguineo Dominus significabat de corpore suo, quod est ecclesia, ma-

Placita varia de sudore sanguineo.

natura martyria. Nicolaus poblematicũ insinuat esse, vel quod naturaliter dominus sudauerit sanguinẽ, videlicet, quod pellendo humores aquosos per sudorem illos etiam tingeret sanguis, vel quod ex diuino miraculo sanguis sudaretur.

¶Caietanus ad Lucam naturalem arbitratur hunc sudorem sanguineum fuisse siquidẽ ex anxietate fortissima, ex morte imminente sibi humor aquosus totus aruerat, & ideo cũ deesset aquositas sanguinis, pulsus fuit sanguis ipse ex violentia agoniæ, quam Christus sustinebat.

¶Est autem vnum certum in disputatione hac, sudorem sanguineum quibusdã accidisse naturaliter, vt Aristo. tradit ca. 5. lib. 3. de animali. par. & eorum causis. Vbi inquit, quosdam cruentum quoddam excrementum sudasse, propter vitiatum corporis, habitum, scilicet, cum corpus laxum fluxumq; esset, sanguisque præ cruditate humescceret imbecillitate caloris, qui exiguus venis inclusus concoqui non possit. Vnde secundum Aristo. sanguis hic qui sudatur, est sanguis crudus & valde dilutus, quia ex debilitate caloris non potuit concoqui & crassescere. Et in libro de histo. anima. 3. cap. 19. item inquit sanguinẽ nonnunquam humescere nimis, & in saniei speciẽ dilui, adeoque excrescere, vt iam nõ nulli sudore cruento exudauerint. Vnde ex hoc loco item liquet, quia sanguis fit valde aquosus, atq; serosus, inde procedere hanc exudationem. Quanuis hęc est altera causarum, quippe alteram iam præscripserat dudum, scilicet, corporis malum habitum, nimiamque eiusdem laxitatem, & porositatem, id quod etiã Michael Ephesius Arist. interpres, itidẽ testatur propter viciatum corporis habitum, contingere cruentam istam exudationem. ¶Sunt igitur duæ causæ naturales huius cruentæ sudationis, altera serositas sanguinis: vnde redditur admodũ stillabilis, & plusquam satis fuisset liquidus, & itidem fluxibilitas corporis, seu laxitas eius, non potens sanguinem illum continere. Quibus omnibus, Galen. in libro, cui titulum fecit Methodus medendi subscripsit per omnia.

¶Cum ergò corporis Iesu Christi habitus, non fuerit viciatus, sed optime fuerit cõstitutus, quippe quod in vtero beatissimæ Mariæ ab Spiritu sancto fuerit concinnatum, & rursus sanguis Christi optimam habuerit temperaturam in calido, sicco, humido, frigidoque, summãque mediocritatem in crasso, & subtili, hinc exorta fuit difficultas, vnde cruenta hæc exudatio domino acciderit, & ideò creditur à quibusdam miraculosa.

¶Et quidem quod Caietanus affirmat, dominum exudasse cruorem, quia exhausto corpore tristitia aquositas deerat, non est rationabile. Sanguis enim probantibus philosophis & medicis, quanuis corpus sit exhaustum, non potest destitui aquositate sua, quæ sanè sibi est natiua, vt neque lac est, quod sero non fruatur suo: ideoque sanguis domini sub illa agonia, tunc suam habebat aquositatẽ. Neque naturaliter poterat ab illa destitui: ideoque alia est tentanda causa dominici sudoris. Puto igitur hunc sudorem fuisse naturalem Christo.

¶Enim vero si causas consideramus huius sudoris, liquebit quod ex illis naturaliter processit. Etenim tristitia Christi tunc fuit supra omnẽ tristitiam, id quod ex causis quatuor facile disces. Quarum prima est ex generalitate passionum. Passus est nanque dominus in omnibus & internis & externis bonis: in fama, quæ læsa est maximè, in amicis, qui omnes eum destituerũt, in vestibus suis, quibus fuit exutus, in corpore flagellis cęso, in manibus, pedibus, capite, latere, &c.

¶Secũdo ex ipso passionis genere, quia crucis mors est acerbissima: nam clauis confixus pendebat à cruce, at manus & pedes sunt valde sensitiua, quę tamen rũpebantur ex clauis tenentibus corporis molẽ. ¶Tertio ex magnitudine doloris qui in Christo maximus fuit ex nobilissima eius complexione & tenerrimo tẽperamento. ¶Quarto fuit acerbissimi doloris causa, quia dolens ex parte vna, purissimè sentiebat dolorem in alijs: nos enim sæpe absorbemur ex magnitudine vnius doloris, vnde alia non sentimus dolorifica. Cum ergo Christus huiusmodi dolores, quos esset passurus considerasset, anxietate maxima supra omnem anxietatem hominum angebatur, & in meditatione grauissimorum horum malorum, quæ clarissima scientia cernebat esse euentura sibi exardebat ignis, &

iuxta

Aristo. de par. ani. & eorum causis. 3. ca. 5.

De cruenta exudatione philosophorum & medicorum placita.

Corpus Iesu Christi optimi habitus fuit & sanguis purissimus sine aliquo vitio

Caietanus nõ probatur.

Quatuor de causis, domini tristitia fuit maxima

iuxta illud, In meditatione mea exardescet ignis, Psal. 38. quia spiritus vitales & animales incendebantur vehementer tunc: & æstuante corpore laxati sunt pori, & venarum tunicæ distentæ, vnde & pori laxabantur admodum, ex quibus laxatis aquosus defluebat sudor copiosus, & ex distentis venis eidem miscebatur sanguineus sudor, qui duo pariter commixti decurrebant super terrã. Ex incomparabili igitur mortis sibi imminentis, quam clarissimè cernebat imminere, omniumque illi morti annexorum tristitia concepta, naturaliter æstuabat vehementissimè Christus, & angebatur: indeque naturaliter fuit consecutus sudor sanguineus simul & aquosus. Quanuis esset optimi habitus corpus suum, & sanguis purissimus, at non ob defectum horũ sudauit sanguinem, sed ob superuenientem mærorem maximum ex causis quatuor dudum commemoratum.

¶ Ferunt quendã nobilem Pinciæ fuisse decapitatum, & ex angore mortis sanguinẽ sudasse: fortasse hic cacochimus erat: puer item quidam Salmanticę fertur ex capite sudasse sanguinem, quia etiam cacheticus erat. Quidam memoriæ prodidit se vidisse hominem, qui ad certa temporum interualla, ex latere sano sub epate & integro, sanguinem manabat: & ipse sanguis vltro fluebat, itaque pori ipsi, se se naturaliter laxabant ad fluxum sanguinis, & se comprimebant, ad consistentiam. Hoc itidem tribuendum cachimiæ vel ad vitium sanguinis referendum & corporis malum habitum. Quippe scissa vena epatica salutem attulit. Videtur autem mihi, nullum bene habitum corpore, & nõ vitiatum habentem sanguinem, ex causa naturali posse cruorem exudare, neque ex mortis imminentis consideratione etiam vehementi: quippe nulla tam vehemens tristitia poterit esse, quanta fuit Christi vt diximus: etiam si quispiam sibi videat paratas flammas, vbi sit adurendus, vel quæuis alia tormentorum genera. In nullo enim hominum possunt tot congregari causæ, concipiendæ tristitiæ, vt in Christo: qui reliquit suam partem sensitiuam, vt ageret omnia, quæ sua erant: ideo non arcebat tristitiam vberrimi fructus redemptionis consideratio.

Reuenenius liber de medẽdis quibusdam occultis morbis.

ENARRATIO. I. IN caput decimumoctauum.

¶ *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas.*

ANTEQVAM Pilatus flagellandum traderet Iesum, referente Matthæo, multa alia acciderunt, & quod vxor Pilati misit ad eum, vt dimitteret Iesum, quia iustus & innocens erat, & quod Pilatus clarè est testatus Dominum innocentem esse, & contendisse dimittere Iesum, propter festi consuetudinẽ, ex qua vinctus vnus erat dimittendus. Tria allegans ad dimittendum Iesum, & quod nullam in eo inueniebat causam, quam etiam Herodes nullam in eo inuenerit, & demum si noluissent hoc probare Iudæi, saltem propter festi cultum paschalis dimitterent Iesum, qui cultus introduxerat consuetudinem dimittẽdi vnum vinctum: & hæc etiam Marcus, & Lucas referunt. Rursumque pontifices persuasisse turbis, vt peterent sibi Barabam, Iesum verò peterent crucifigendum. Et quidem etsi Pilatus dimittere satagebat Christum ex parte vna, ex parte altera nolebat displicere pontificibus Iudæorum. Et forte quia erat pecunia corruptus, aut ex pusillanimitate animi, non est ausus Iudæorum voluntati repugnare, aut forte timens tumultus excitandos in populo, aut quia timuit, ne Iudæi obloquerentur de eo, apud Tiberium Cæsarem accusando, quod Dominum permisisset viuere, qui se regem constituebat Iudæorum, contra imperialem Romanorum maiestatem. Et hæc fuit potissima causa, quam Ioannes exprimit, hoc capitulo. Postquam ergo in optione Iudæorum Pilatus reliquerat, vel eligere Christum, vel Barabam, & ipsi Barabam sibi elegerunt, tentauit alia via placare implacabilem Iudæorum, furorẽ scilicet, flagel-

flagellãdo dominũ, & sum mis iniurijs illum afficiendo, vt Ioãnes modo inquit. *Tunc apprehendit Iesum Pilatus & flagellauit.* Pilatus iusit ministris, vt Iesum flagellarent, & hoc est, quod ait, Apprehendit, &c. Non enim propria manu flagellauit, id quod præsides in vsu non habẽt sed quia eius autoritate ministri apprehenderunt dominum, & flagellauerunt, ideo, quod autoritate præsidis factum est, præsidem fecisse Ioannes commemorat. Matthæ. vero & Marcus solum dicunt, Pilatum tradidisse dominum flagellis cæsum, seu flagellatum, & non aiunt, quod Pilatus eum flagellauit, vt modo Ioannes commemorat. Cæterum Matth. & Mar. insinuare videntur dominum flagellatum, & morti traditũ fuisse, antequam illuderetur, &c. Vnde quidam colligunt dominum fuisse flagellatum bis, & bis illusum in domo Pilati: primo antequam traderetur, & secundo postquam traditus est Iudæorum voluntati. Enim vero Matth. & Mar. referunt illusum dominum post flagella, & postquam tradidit eum Pilatus. At verò Ioãnes hoc loco meminit flagellationis, & illusionis, & posteà multis interpositis, meminit quod traditus est Iudæis à Pilato. Porro apud Lucam. 18. Postquam flagellauerint occident eum. item Mar. 10. Vnde videtur, quod postquam fuit flagellatus, fuit cruci traditus, ideo non bis, sed semel fuit flagellatus, proximè antequam morti adiudicaretur. Nam autore Hiero. Romanus mos erat reos primo flagellare, & dein cruci adiudicare. Matth. & Mar. sunt per recapitulationem intelligendi ex Aug. lib. 3. de consensu. ca. 9.

Secũdũ quod dã dominus fuit bis flagellis cęsus.

¶ Qualia autem, & quot fuerint hæc flagella euangelistæ non referunt, contemplatiui quidã suspicantur immania fuisse, & innumerabilia. Atqui si fuissent innumerabilia, & sæuissima, dominica caro delicatissima illa ferre potuisset? Vtique periret flagellatione. Sunt quædam flagella in Africæ Tingitania prouincia confecta ex funiculis coriorum camelorum, adeò sæua, vt flagellatus homo, ex flagellatione pereat, etiam si sint pauca flagella, si ilia tamen, aut stomachus flagellentur: ideoque cauẽt ne hæc duo ex flagellis istis verberentur, solum enim terga verberant ex istis flagellis. Et nonnunquam si delicatior sit verberandus, etiam num ex hac tergoris verberatione loquendi munere orbatur, ea est horum flagellorum crudelitas. Quo circa forte flagella domini, non fuerũt adeo cruda, vt illa ferre nequiret caro Christi, nisi fingas miraculum, quod tunc accidisse necessarium non puto concedere. Flagella igitur hæc admota sunt, eo animo à Pilato, vt diximus, vt lenteſceret furor immanis Iudæorum: ideoque permisit vt domino illuderent, & inspuerẽt in faciem eius. Et fuit hic ordo: primo fuit morti addictus, & deinde flagellis est verberatus, deinde verò est illusus, & insputus, & corona spinea redimitus, & tandem executioni mandata crucis sententia. Sed quid est quod Pilatus, tam sęuit in Christum, quem innocentem & planè virum iustum esse est confessus, cur ipse iubet eum flagellare? cur iusit militibus, vt tot probris, & illusionibus eum afficerent? cur quod caput eius spinis pungeretur? Hæc nãque omnia cum pateretur iniustissimè, non erant irrogãda à præside. Quod enim ait, emendationis gratia se facere, vnde ait apud Lucã, Corripiam ergo illum, & dimittam, & supra dixerat apud eundem, Emendatũ ergo dimittam, cum non excusat, cum ipse planè sit confessus, nihil esse in domino criminis. Si nihil erat in domino corripiendum à præside, nihil emendandum, cur ergo ait, corripiam ergo illum aut emendatum dimittam? Vtique Pilatus optime nouit, se iniuste agere contra dominum, idco lauit manus suas dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius id quod Remigio testante tũc moris erat volentibus coram populo innocentiam suam demonstrare. At verò sciens se iniustè facere, nihilominus fecit, & vt complaceret iniustitiæ Iudaicæ, damnauit Dei iustitiam. Quod ergo dixit, Emendatum dimittam, &c. non eò dicebat, quo ipse credebat in Christo esse nonnihil corripiendum, vel emendandum, sed quo traheret Iudęos, ad Christi compassionem: quasi diceret, Si quid habet emẽdandum, sat sunt verbera hæc & illusiones, pro emendatione. Tantis enim opprobrijs est hic homo onustus, vt deinceps, non se audebit profiteri esse regem Iudæorum, sed potius se subducet ab hominum

minum conſpectu & conſuetudine, ne contumelijs afficiatur. Porro Pilatus qui lauat manus aqua, non lauit cor ab iniquitate, & reatu iniqui & fœdiſsimi iudicij. Nihil illi proderat aquæ lauacrum, quandoquidem ſanguinem innoxium ſcienter fundi iubet. At verò flagellatur Dominus, quia dixerat Matth. 10. apoſtolis ſuis. In ſynagogis ſuis flagellabunt vos, &c. Quia ergo viderat ſua beata, & incomprehenſibili ſcientia martyres ſuos multa probra, variaſque contumelias ab infidelibus tyrannis fore paſſuros, ideo ipſe primum dignatus eſt illa omnia ſuſcipere: vt martyres ducem ipſorum, atque principem videntes fidei flagellatum & tot tantiſque iniurijs affectum, ipſi æquo animo ſuas iniurias ferrent: & non ſolum ipſi ex hoc ſolarentur, ſed & omnes alij fideles in ſuis laboribus reficerentur. Flagella ſane peccatorum ſunt docente pſalmo, multa flagella peccatorum, & innocētiſsimus agnus flagellatur, non ob ſua, ſed ob noſtra abluenda peccata, vt ex liuoribus, flagellorum ſuorum nobis paretur antidotus peccatorum, nam Eccle. 28. flagelli plaga liuorem facit: ideo liuore eius ſanati ſumus, Eſa. 53. Vnde in Pſal. 34. Dauid in Domini perſona dixit, Congregata ſunt in me flagella, & in Pſal. 37. In flagella paratus ſum. *Et milites plectentes.* In opprobrium Domini milites hanc coronam ſpineam plexuerunt. Etenim illudentes, & ſubſannantes regia Chriſti, quam accuſabant Iudæi, poteſtatē, hæc meditabantur: quare inſignia regia ad Chriſti vituperium, eidē offerunt. Sunt nanque corona, ſceptrum, purpura, adoratio, inſignia regum. Volentes ergo milites, oſtendere Chriſtum non ſeriò, ſed ioco eſſe regem, ideo iocoſa, & opprobrioſa regum inſignia, illi offerūt. Quales autem fuerint ſpinæ huiuſmodi, Euāgeliſtæ tacent: etſi corona hæc fuit infixa capiti Domini adeò, vt ſpinæ beatiſſimū pungerent caput, non exprimūt: ſed ſolum quod capiti eius impoſuerūt coronam de ſpinis.

¶Verum ea erat miniſtrorum illorum atrocitas, & impudentia, vt admodum ſit veriſimile, coronam illam non ſolum fuiſſe Domino leuiter impoſitam: ſed infixam capiti eius. Nanque ſi non intendiſſent aliud, quam regiam Chriſti deridere poteſtatem ex corona impoſita, vtique non plexuiſſent illam ex ſpinis: ſed ex alia materia non pungente. Verum quia volebant, & irridere, & nocere, admodum torquendo Domini caput, ideo plectentes coronā de ſpinis illi impoſuerunt. Vnde crudeliter Domini caput torſerunt, primo infigendo coronam, & item non auferendo illam continuò, ſed ad ſummam torturam dimittendo illam in capite Domini infixam, vt eſſet Domino immenſum & iuge capitis tormentum. At quia ſpinæ ſignum ſunt peccati primi, ſiquidem Protoplaſtis dicitur à Domino Geneſ. 3. Spinas, & tribulos germinabit tibi, &c. ideo, quæ iſti diabolici miniſtri, ad ludibrium Domini, & contemptum faciebant, Deo diſponente, erant noſtræ redemptionis ſacramētum. Quo circa corona hæc ſpinea denotabat Dominum per mortem ſuam triumphaturum de ſpinis noſtris: quia de peccato damnauit peccatum ad Roma. 6. At vero, quid ait, milites conuocaſſe cohortem, videtur hoc geſtum fuiſſe vel authore Pilato, vel eo nō inſcio, neq; repugnante: milites enim erant Pilati, qui cū eſſet ſicut prorex Iudęæ prouinciæ nomine Romani imperij, vt ſupra diximus ex Euſebio, habebat milites Romanos in ſuum præſidium, vt apud nos proregibus eſt conſuetum.

¶Sed equidem etſi vos milites ſpineam diuino infigitis capiti coronam, ſcitote coronam ſpineam iſtam ſuperare omnes veſtras triumphales coronas, omnes obſidionales, omnes gramineas, omnes ciuicas, omnes murales, omnes caſtrenſes, omnes nauales, omnes denique ouales coronas. Apud vos enim triumphales coronæ imperatoribus veſtris in honorem triumphi dabātur, obſidionales verò ducibus liberantibus ab obſidione Romanos. Primæ ex lauro primum erant conſertæ, dein vero ex auro, ſecundæ verò ex gramine. Ciuicas coronas ciues donabant eis, qui ciues liberabant ab hoſte, & hoſtem trucidabant. Murales vero eæ erant, quæ donabātur ab imperatore ei, qui primus murum ſuperaſſet, inque hoſtium oppidum primus aſcenderat. Caſtrenſes autem eæ erant, quæ

Corona triūphalis.
Ciuica obſidionalis.
Muralis, caſtrenſis ouālis.

Lege Gelliũ attic. noct. libro. 5. c. 6.

quæ donabantur ijs, qui hostium castra primi introierunt: sicut naualis ea erat, qua donari solebat qui primus in hostiũ nauem vi armatus transiliuit. Qualis denique myrtea erat, qua donabantur ij qui, vel iniusto nomine aggressi sunt hostem, vel qui victoria potiebãtur, sed nõ cruenta, vel quæ ex hoste humili, quales erãt serui, aut piratę reportata est. Christus autem has omnes iustissimis nominibus promeruit coronas, excepta vltima: siquidem non reportauit victoriam ex hoste humili, sed ex hoste potente, qui orbem sibi subiugarat. Et cruenta fuit hæc victoria, quia sanguine rubens infernales subegit sibi potestates. Neq; iniusto bello inuasit aduersarium, sed iustissimo titulo, quia contra vniuersalem hostem, & tyrannum totius generis humani bellum iniuit. Et quia hunc superauit, non armorum vi sed sanguine suo, ideo triumphalem promeruit coronam ex auro purissimo. Cur ergo vos spineã illi infigitis? Rursus qui primus ingressus est muros inferni, & ianuas illas plusquam ferreas penetrauit, & secum detulit spolia sanctarum animarũ, Christus est. Et qui primus muros cælestis ciuitatis introiuit ipse est, an non donandus erat murali corona cur ò scelesti spineam illi infigitis? Ad hæc si ciuicam promeruit obtinere coronam, qui ciuem liberat ab hoste, hostem opprimẽdo, quis obsecro liberat ab hoste maligno fideles omnes, qui sunt ciues sanctorum & domestici Dei, nisi Christus? Cur igitur spineam coronam tanto assertori infigitis, ò pessimi satellites? Si obsidionalem is vẽdicat coronam, qui ciues liberat ab obsidione hostili, vtique omnes homines obsessi eramus à satana: Christus autem ab hac obsessione nos vindicauit. Obsidionalem igitur debuit obtinere coronam; cur ergo vos spineam violantes vestra iura ei infigitis? Si Castrensem sibi vendicat coronam, qui primus irruit in hostilia castra, vtique Christus dirupit diaboli acies omnes. Namque etsi diabolus fortis erat, & fortiter custodiebat stationẽ suam, venit tamen Christus eo fortior & conquassauit vires eius & fregit potẽtiam eius, & eum subiecit hominibus. Nam apostoli Christi virtute omnia idola, in quibus diabolus colebatur, dissipauerunt. Ex idolis autem, ceu ex castris quibusdam, diabolus vindicabat hominis dominium fraude attrahens ad se homines. Hęc autem castra dissipata sunt à Christo. Demum si nauali corona donãtur, qui in nauali pugna hostilem primũ transiliunt nauem, vtique omnes homines in mundo hoc tanquam in mari quodam tempestuoso, & periculoso, versamur. Diabolus autem, per hoc mare grassans nauem onustam ferebat semper animarũ, quas deuehebat ad tartara: at vero Christus in hanc nauem primus transiliuit, & nauem hanc dissipauit, vt iam ex mundo hoc pateat via ad æthera, quæ prius patebat ad tartara. Cur ego ò miseri spinea donatis corona hominem, qui omnes honorificas & illustrissimas sibi optimo iure vẽdicat coronas? Siquidem solum oualem non amat coronam, quia hæc non illustris est corona: siquidem, nobilissimus hic princeps, nobilissimas solum sibi vẽdicat coronas. Quod si oualis corona quæ concedebatur ouantibus ex hostis victoria, non tamen triumphãtibus indigna est Christo, cur ò infelices dignam iudicastis beato capiti spineam coronam? Cæterum hæc spinea corona triumphus est Christi, triumphus est sanctorum, deiectio est dæmonum, summũ gaudium est angelorum. Pungebant spinæ istæ Christi caput, at mulcebant Dei patris contra nos iram, contra homines diuinum placabant furorem, Dei erga nos conciliabant misericordiam. *Et veste.* Sunt qui notant dominum non induisse vestem hanc, sed circundedisse: at verò apud Mar. indutum Christum hac veste & exutum legimus. At quod Matth. ait circundederunt eum, itemq; Ioan. ideo dictum puta, quia milites non induebãt dominum hac veste, animo induẽdi, sed irridendi: & ideo non appositè, & cõcinnè induerunt dominum, sed quantum satis eis erat, ad suum ludibrium exercẽdum. Porro Matthæus hanc vestem dixit esse non purpuream, sed coccineam dicens, Induerunt eum Chlamyde coccineam. Vestis purpurea erat olim insigne regum & imperatorum, & ex gratia magna alijs à regibus concedebatur purpura. vt. 1. Mach. 10. conceditur Ionathę vt in auro bibere. Purpura autem est piscis ex genere ostreaceorum, aut conchilium,

Purpura & coccineum quid.

lium, qui iugulatus purpureum effundit colorem: vnde tinguntur pretiosissimæ vestes, quibus vtebantur olim soli reges & primores populorumque principes, vt de Holoferne legimus sedisse in purpura. Et Exod. 16. Cortinæ tabernaculi fœderis erant purpureæ, & velum de Hyacinto, & purpura. At verò, quia pro purpurea veste, quæ erat regiũ insigne Dominum induerunt chlamydem coccineam, ideo credit Augustin. lib. 3. de consens. Euang. cap. 9. Ioannẽ, dixisse induerunt eum purpura, item & Mar. 15. Hoc est, induerunt coccineam chlamydem, loco purpureæ vestis.

Concordia Euãgelista-rum.

¶ Est autem coccinea vestis, rubra vestis, quia ex cocco tingitur. Coccum autem baphicen dixere Græci, id est granum tinctorium, quod habet frutex nomine ilex. Est autem & coccos, dictus scolecius, indeque coccinum, reddit Hieronymus vermiculum, vnde vermiculare. Galenus autem in Hipocratem, coccon absolute prolatum, dixit denotare granum gnidium, siue enidium, & granum infectorium siue tinctorium granum, legendus libr. 27. capit. 9. Plinius. Coccinea ergo vestis rubens vestis est, vnde Genes. 38. obstetrix ligauit coccinum in manu Phares ad gemellorum distinctionem. Et vestes huiusmodi erant etiam nobiles vestes: vnde. 2. Regum. 1. Vestiebat vos coccino. Et color iste est sanguineus: ideo Esaiæ primo peccatorum macula coccino confertur. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum. Dixit autem Augustin. loco prænotato esse speciem purpuræ cocco quam simillimam, ideoque chlamydem illam coccineã, quam induerunt Dominum, appellatam à Mar. & Ioan. purpuram. Cæterum Aulus Gellius nocti. atti. lib. 2. capit. 26. omnes colores, scilicet, igneum, flammeum, sanguineum, & croceum, & ostrinum, & aureum sub rufo contineri, & à rubore trahere appellationem indicat. Sed cum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum aliter coccus has singulas rufi varietates latina oratio singulis proprijsque vocabulis non demõstrat: omniaque ista significat vna ruboris appellatione. Qua propter ostrinus color, qui est purpureus color, quippe ex quibusdam ostreis desluit iugulatis, est rufus color, differens ab alijs rubeis coloribus secundum intensum & remissum. Vnde Cantico. 7. rufas comas ex purpura significat Salomon dicens, Comę capitis tui, sicut purpura. Et olim ideo appellabantur ostreæ vestes quæ subrubebant teste Nonio Turpi. Inspexit virginem vestitam ostrinam. Quare vestis rubens, quæ est coccinea vestis, etiam potest appellari purpurea vestis.

Color ostrinus.

Ostreæ vestes sub rubeæ vestes.

¶ Chlamys autem est genus vestis militaris: quia militibus cum corona ilignea solebat exhiberi, vt scriptum est in quadam comœdia Cæcilij. Aduehuntur cũ ilignea corona, & chlamyde. Dij vostrã fidem. Vocat autem ilignean coronam ciuicam coronam, quæ texebatur, ex fronde querna, lege Gellium libro. 5. capit. 6.

¶ Dominum autem induunt hac chlamide coccinea, quæ forte est ea quam Hispani vocant, *Capellar de grana*. Etenim, quia peccata nostra rubra sunt, vt coccinum & instar cruoris, nos maculant coram Deo, ideo vt nos subdoceret ex hoc facto Deus, Christum accepisse quantum ad pœnam in se ipso omnes iniquitates nostras, Esa. 53. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrũ, propterea indutus est hac coccinea veste. Et Ezech. 16. Vidi, ait, te conculcatã in sanguine tuo: & infra, Et emundaui sanguinem tuum. Vbi per sanguinem nostrum, intellexit peccata humani generis, induitur igitur veste sanguinei coloris, vt discamus, quod per sanguinem suum emaculat sanguinem nostrum. *Coccineam*. Pro quo Græce coccinam. *Et veniebant ad eum, & dicebant, Aue rex Iudæorum*. Quandam veluti scænam irridendi regis, isti oculis astantium exhibere studuerunt. Et ideò post exhibita alia insignia regia, scilicet, vestis, & coronæ, alia irrisoria signa nunc prosequuntur, videlicet, salutandi Christum in Regem Iudæorum. Et equidem etsi donemus Pilatum hoc permisisse, vt placaret Iudaicos contra Christum succensos animos, isti tamen milites, cum cohorte tota, non hoc animo spectaculũ istud protulerunt: sed potius animo irridendi, & illudendi Christi. Vnde sequitur. *Et dabant ei alapas*. In domo Caiphæ, etiã fuit cæsus alapis Dominus: & modo rursus

alapis

alapis cæditur: & diuinus in quem desiderant angeli prospicere vultus, saliuis impiorum fœdatur. At verò quanuis apud pontificem Caipham, ministro alapam impingenti dixerit, Si male locutus sum perhibe testimonium de malo, si autem benè cur me cædis? Porro modo nihil respondit: sciebat enim quãdo erat opportunum responsum, & quãdo erat opportunum silentium: salutant autem in regem, cuius subdi regno repugnant. Sicque salutant isti in regem, vt Iudas salutauit in magistrum, dicens, Aue Rabbi. Hæc est impiorum salutatio fraudulenta, aut irrisoria. Et si fraude salutauit Iudas: quia osculo tradidit Christum, isti vero non osculantur fraude sed palam alapas impingunt in salutatũ. Sed ò scelestissimi carnifices, quid proritat vestram iram aduersus agnum mansuetissimum? Quando reus fuisset, mansuetudo, & incomparabilis æquanimitas Christi, vos debuisset ad commiserationem flectere: at nihil vos flectit, ò duriora adamante corda. Gentiles quidem estis, & corde Iudaico in Dominũ fremitis. Matthæus autem, & Mar. arundinis Christo exhibitæ meminerũt quæ illi oblata est illius deludentes sceptrum regium: ideoque percutiebant ex arundine caput sacrosanctum. Et hoc est quintum eorum, quæ ad ludicrum spectaculum isti contulerunt. Primo enim conuocant totam cohortem Pilati: secũdo congregatis carnificibus Christum denudant, si vsque ad carnis ostensionẽ, Euangelistæ non exprimunt. Nam poterat fieri denudatio saluo interiore sindone, scilicet, linea veste, quam vocant camisiam. Verum ea fuit insana rabies horum, vt non sit incredibile etiam sindonem exuisse Domini. Tertio induerunt eum chlamydem coccineam. Quarto nectunt spineam coronam, & capiti Christi infigunt. Quinto arundinem Christo exhibuerunt in dextera, tegebantque inuiti sacramentum, quod calamus quassatus non erat à Christo confringendus, & lignum fumigans non erat ab eo extinguendum, Esa. 41. Sextum autem est geniculatio tanquam regi exhibita Christo. Et sicut Iudæi dicebant, Prophetiza nobis Christe, item & isti aiunt, Aue rex Iudæorum. Septimo

Decem ludibria Christo illata in domo Pilati.

Christi diuinam faciem saliuarum, & execrationum asperginibus commaculârunt. Octauo Christi malas alapis sæuissimis verberarunt. Nono arundine Christo porrecta semel aufertur èmanu eius, & ex ablata caput eius crudeliter percutiunt. Quasi verò non sat fuisset, caput ex acutis spinis tanquam ex acicu lis vehementer pungere, sed partem nõ punctam capitis, arũdinis percussione lædunt, vt verum sit, quod in eo nõ erat sanitas. Est autem decimum ludibrium, quod Dominum exuerunt chlamydẽ coccineam, aut coccinam, vt textus habet græcus, & induerunt eum ex proprijs indumentis. Quod si carnes Christi immaculatissimæ prorsus erant nudatæ, vsque ad ablationem intimi sindonis, vtique tristissima fuit hæc gemina denudatio corporis sui Christo. Quãuis enim non habebat peccatum, vnde erubesceret ex sua nuditate vt primi homines erubuerunt: at verò, quia sciebat carnifices illos ad vituperium Christi, eum nudasse, ideo ex hoc tristabatur summè. *Et veniebant ad eum.* Græce non legitur. *Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quod ego in eo nullam inuenio causam.* Equidem si ad amante duriora diximus esse corda ministrorum Pilati, vtique multo durius erat Pilati cor, qui sciens Dominũ, quẽ sæpe est professus esse prorsus innocentem, nihilominus si non iussit, permisit tamen quod toties vilipenderetur, & toties indignissimè cruciaretur. Cuius enim vel lapideum non mollisceret ad cõmiserationẽ cor, videns innocentissimũ hominẽ, ex tot & tantis cruciatibus patientissimũ? Vnde videtur, quod etiã Pilato cruciatus Domini placebant, siquidem tam acerba, & dura tormenta eum subire permittebat, si non iubebat. Et cum esset præses & prorex Iudææ, nesciebat, non esse facienda mala, vt proueniant bona. Quare, etsi intendebat, Dominum à morte crucis liberare, iniquis tamen medijs hoc procurauit. Dominum, diris affligens cruciatibus, vt expleretur animi Iudæorum, & ab accusando saltẽ commiseratione cessarent. Etenim vel erat in Christo quicquam puniendum, & legitimè probatum, & tunc punire oportebat, vel nihil erat, vt ipse

Pilati & militum suorum durissimum cor in Christum.

Iudices vt neque alij non iudices non sunt facturi mala vt veniant bona.

ipse est secundum veritatem professus, & tunc protinus erat absoluendus. Neque erat cur timeret Iudæos delaturos eum coram Cæsare Tiberio: siquidem delatio vana foret, quæ non poterat legitima probatione fulciri. Promptum enim erat innocentiam Domini Romanis ostendere. Verum quod ipse timebat spoliari principatu ex Iudæorum calumniatione coram Cæsare si Christū absoluisset, hoc euenit idem non absoluēs, vt ex Iosepho habetur vt etiā Iudęi, qui ex timore Romanorum præferunt Dominum morti tradidisse, per mortē Domini, ipsi funditus perierunt Hierosolymitani ciues. *Exiuit.* Postquam Pilatus nouit Christum flagellatum, & insputum & ad satietatem vsque derisum decreuit, Christum proferre populo Iudaico expectanti. Ideo iterum exiuit foras. Primo enim exierat quando à Caipha ductus est Iesus in domum Pilati.

¶ Secundo exiuit Pilatus postquam interrogauit Dominum, Quid est veritas.

¶ Tertio exiuit foras, quando abduxit Dominum foras prætorium flagellatum vt modo Ioan. meminit. Et tunc tertio dixit ad illos, Quid enim mali fecit, Lucæ. 23. Et in quibusdam codicibus mendosè legitur, Tertio die dixit ad eos.

¶ Et quarto exiuit foras vt insinuatur à Ioanne, dum ait, Exinde quærebat dimittere eum. Iudæi autem clamabant, Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris: siquidem extra prętorium erat cum hęc verba faceret Iudæis: nam ipsi non ingressi sunt in prætorium ne contaminarentur.

Pilatus pluries testatus est publicè Christi innocentiam & nihilominus egit contra suam cōscientiam.

¶ Quinto exiuit quando Dominum adduxit foras, & sedit pro tribunali. Egrediebatur enim foras extra prętorium Pilatus, vt loqueretur cum Iudæis, & manifestaret innocentiam Christi: & rursus obrutus ex clamoribus Iudæorum ingrediebatur in prætorium, vt loqueretur cum Iesu: & semper in istis quinque egressibus, testatus est Christi innocentiam. Quare quinquies protulit testimonium de Christi inculpatissima vita, id quod magis fuit ad Pilati damnationem. Et sunt nostrates iudices huiusmodi non pauci qui corrupti vel pretio conducti, vel amicitia illecti, aut consanguinitate, violant Dei iura, & corrumpunt Dei iudicia damnantes innocentes, & absoluentes nocentes. *Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dicit eis, Ecce homo.* Græcè, exiuit foras. Data opera Christum flagellatum, conspūtum, alapis cæsum, & illusum adduxit Pilatus foras, vt Iudæi commiseratione commoti furorem, quo debacchabantur in Iesum, deponerēt cessarentque à tanta immanitate. Nam sæpe cum inimicos cernimus multis pressos calamitatibus ira nostra satiata commiseratione flectitur. Ideo ait, Ecce homo, quasi diceret, Ecce aduersarium & inimicum, quem putatis vestrum, sexcentis onustrum probris: nihil iam vobis poterit nocere, fractas cernitis eius vires. Quam obrem, non est iam cur eum timeatis: quia non timendus adest sed miserādus videtur. Desinite igitur à vestro furore, siquidem multam satis vltionem de eo accepistis. *Ecce homo,* qui vos sua doctrina terrebat, suis miraculis offendebat, iam factus est vt homo non habens in ore suo redargutiones factus est tanquā ouis coram tondente se obmutescens. Si tantam in hoc homine experti estis patientiam, quantam in nullo alio experiri poteritis, quid est quod eius necem non doletis? *Cum ergo vidissent eum pontifices, & ministri clamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum.* Proh, nefandum scelus: veh miseram humanæ petulantiæ conditionem: quod debuisset ad commiserationem flectere, etiam ferreos animos, non flectit sed indurat vehementius. Ideo clamant & pontifices, & ministri gentiles, Crucifige, crucifige. Quasi dixissent, Non explebis desideria nostra, si solum occidas hunc hominem, nisi morte turpissima, quæ est crucis mors, illum corripias. *Dicit ei Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam.* Pilatus vrgebatur ex conscientiæ testimonio, docente Christum non esse dignum morte: ideo, causam remittit pontificibus, dicens, Accipite eum vos, &c. Quasi dicat, Ego non possum iure Romano occidere, sed si vobis alia iura patent meliora, accipite

Psal. 37. Esa. 53.

eum vos, & cruci affigite. Supra cap. proximo dixerat idem, Accipite eum vos, & iudicate secundum legem vestrã. Quasi dixisset, Secundum legem meã, ex qua ego sum iudicaturus, quæ est Romana lex, non possum eum morti adiudicare, si ex vestra lege potestis hominem insontem damnare, facite. Insinuat hoc sermone Iudæos neutiquam posse Christum damnare. Nulla enim lex neque diuina neque humana insontem damnat. *Responderunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundum legem debet mori: quia filium Dei se fecit.* Græcè, secundum legem nostram. Equidem nulla lex erat Iudæorum secundum quam Christus erat crucis morte plectendus, etiam si ex impossibili reus fuisset: siquidem reatũ, quẽ illi impingebant, erat blasphemiæ. Cæterum blasphemia, non cruce, sed lapide multabatur Leuit. 24. Verum obserua maledicorum petulantiam, non dicunt, Dixit se esse filium Dei, sed vt crimen exaggerent dicunt, Filium Dei se fecit: siquidem aliud est se facere opere filium Dei, aliud se dicere. Capite vero. 8. tulerunt lapides vt iacerent in Dominum, dicentem se esse antequam Abraham nasceretur. Hanc autem refricant modo accusationẽ contra Christũ, postquam à priore ceciderant. Accusarant enim, quod Regem Iudæorum se fecerat Christus, id quod Pilatus, cum neglexisset, ex alio capite Dominum inuadunt deferentes quod filium Dei se fecit. Et falsò hoc deferunt: siquidem non se fecit filium Dei: nanque cum ipse esset verè filius Dei, nõ se fecit filium Dei, siquidem quatenus homo erat non se fecit filium Dei, & quatenus Deus non se fecit filium Dei, quippe non est factus sed genitus à Deo patre. Imo hic homo demonstrato Christo, non est factus filius Dei: quia ab æterno fuit filius Dei, etsi in natura humana ex tempore est filius Dei. Dixit ergo Christus quod erat filius Dei, at nõ se fecit filium Dei, si non esset filius Dei & dixisset se esse filium Dei, tunc fecisset se verbo esse filium Dei. Nam hoc significat se facere hoc vel illud, arrogare, videlicet, quod suum non est. Vnde Iudæi. 8. Quem, aiunt, te ipsum facis? ideſt, cur tantum tibi tribuis, cum quod non est tuum tibi arrogas. Et hoc est quod modo obijciunt dicentes, Filium Dei se fecit, ideſt, sibi arrogauit diuinitatem. Vnde tu expende Iudæos non de filiatione adoptiua habere modo sermonem, sed naturali: ideoque multo melius intellexerunt verba Domini dicentis se esse filium Dei, quam Arriani intellexerunt. Christus autem dicens se esse filium non sibi arrogauit quod suum non erat. Quia non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: imo quod suum erat nobis impartit. Nam quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri. Obserua Iudæos non dixisse, Secundum legem nostram debet crucifigi, sed mori debet etiam si supra dixerant, Crucifige, crucifige. Quippe etsi ex odio Christi crucem illi petebant, at ex legis scientia sciebant non esse dignum cruce etsi errabant dignum esse morte credentes.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. Et ingressus prætorium iterum, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit. Dicit ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & dimittere te. Cur timuerit Pilatus Euangelista exponit, cum audisset hunc sermonem, scilicet, quem delatores deferebant, filium Dei se fecit. Timuit igitur ne forte ipse filium Dei cruci affigeret, & pater Deus pœnas sumeret de tanto facinore. Nanque apud Romanos, Deos generare alios Deos creditum erat, vt ideo audiens, Christum se fecisse filium, forte cogitauit genitum à Ioue, vel Saturno, ideoque timuit. Quamobrem regreditur in prætorium, vt diligentius hoc discutiat, ideò quærit, vnde es tu? Hoc est, quæ sunt tua natalia, quæ tibi origo? At verò Pilatus non erat capax huius mysterij, vt illi Christi natalia patescerent, Christus responsum non dedit. Nam quantum ad alia, quæ quilibet sciebat Christum esse natione Iudæum, & natum in Iudæa, non erat opus facto Pilato respondere, quod omnibus patebat. Cæterum etsi quantum ad hanc interrogationem Christus respondit nihil. Tacuit enim coram Caipha, & coram Herode, & coram Pilato, cæterum ad subiuncta, respondit,

dit, quia erat necesse. Pilatus enim, arbitrabatur esse Christum purũ hominem, & ideo ait, mihi non loqueris an ne scis, &c? Verum etiam si esset purus homo nihil potestatis habebat Pilatus in innocentẽ Christum: iudices enim nihil possunt contra insontes. Est enim iudex legis minister, lex autẽ non propter iustos, sed propter iniustos posita est. Cęterum nonnunquã ex arcano Dei consilio, permittũtur iusti pati iniurias. Istud non est quia iudex iure potest illas inferre, etsi de facto inferat: sed vel quia ad profectũ propriũ vel aliorũ permittere expedit. Permisit autem Deus, vt Christus à Pilato & Iudæis torqueretur, & iudicaretur, non ad Christi spiritualem profectum, etiam si cessit tortura huiusmodi ad Christi corporalem gloriam, cæterum ad totius generis humani salutem, hoc permissum est. Et quidem est stupenda hæc Dei sapientia, qui cũ posset hominem à potestate Sathanæ eruere multifariam, quia omnia illi subduntur, elegit tamen viam hanc per mortẽ & passionem vnigeniti filij sui, nos liberare. Et quia à Dei sapientia hoc est constitutum dubio procul nulla fuit congruentior via. Deus enim & natura, de possibilibus faciũt quod optimum est. *Respondit Iesus, Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Idest, nihil potuisses me lædere, nisi tibi esset permissum à Deo. Etenim Christus, vt Deus erat nulli erat subditus, qui est Dominus omnium: vt homo autem erat iustissimus: ideo Pilatus non poterat secundum ius quicquam contra Christum. Quod verò de facto, & non de iure fecit, permisio fuit diuina. Rursus Christus vt homo ex vnione hypostatica erat superior omni creata potestate, ideò nihil poterat in eum Pilatus, nisi ex Dei permissione. Sunt qui exponant, vt Caietanus, & alij, Non haberes potestatem nisi tibi à Cæsare Romano data esset hæc potestas. Vnde colligunt clericos subditos esse regiæ potestati, sed ex priuilegio principum esse exemptos. At verò quidquid de collectione, non benè colligitur ex loco isto: siquidem Dominus dicens, Nisi tibi data esset desuper non intellexit Cæsaris, sed Dei permissionem, hoc est enim quod de super datum docet. Nanque Romana potestas non est desuper, quia terrena est. Per datum ex phrasi scripturæ subaudi permissum, & ex verbis suis Pilatus condemnatur. Etenim in Pilato erat positum cur non absoluebat innocentem? *Propterea, qui me tradidit tibi maius peccatum habet.* Hoc est, quia ergo innocens ego sum, & contra innocentes non est iudicum potestas. Cum igitur nihil contra me ex iure possis, ideo quid quid iussisti aduersum me fieri contra ius fecisti: & contra me deliquisti. Propterea tu peccasti, & qui me tibi tradiderunt multò magis peccatores, quia fuerunt incentores tui ad tantum flagitium admittendum, Tradidit autem Dominum Iudęis Iudas: & Iudæi tradiderunt Pontio Pilato: ideo sermo est de põtificibus, & populo, quia isti tradiderunt Christum Pilato. Vnde ait, Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Vtique clarè manifestat Dominus Pilatũ in culpa fuisse Dominum adiudicantem morti & pontifices etiam culpabiles esse: at vero grauius esse peccatum Iudęorum, quam Pilati. Enimuerò, qui agit contra alium ex odio, peccat grauius, quam qui ex timore. Pilatus autem egit contra Dominum, ex timore Romanorum, quorum vices gerebat. Pontifices autem, & populus Iudaicus eis connexus, ex odio. Sciebat ait, Euãgelista quia per inuidiam tradidissent eum. Cum tamen, Dominus dicat maius esse peccatum Iudæorum quam Pilati, demonstrat, Pilatum peccasse, quippe comparatio positiuum exigit in extremis. Iam vero hinc disces, peccata omnia non esse æqualia, sed esse inęqualia contra Stoicorum dogma. Neque solum ob rationem commemoratam pontifices, & Iudæi grauiorem admiserunt culpam, quam Pilatus, sed etiam quia ipsi ex lege, & prophetis erant instructi de Messia venturo & omnia conueniebant Christo: ideo que tenebantur Christum credere esse verum Christum. Verum qui debuissent credere, necem Domini auidissimè procurarunt, quia excęcauit eos malitia eorum. *Et exinde quærebat Pilatus, dimittere eum.* Græcè & ex eo quærebat, &c. vt sit sensus, ex tũc quęrebat Pilat⁹,

Grauius est peccare ex odio quam timore.

Grauius peccauerunt Iudęi procurando necẽ Christi, quam Pilatus, eũ adigens crucí.

vt sit sermo de tempore. Tametsi Augustinus ad causam torquet, vt non sit sensus, & ex tunc, sed ex ea causa. Puta quod intellexerat ex Christi verbo peccatũ se admissurum damnando Christum: ex hac causa volebat dimittere eum, ne corruptum faceret iudicium. Et quidem semper hoc studuerat Pilatus Dominum absoluere à culpa sibi falsò imposita: verum se attemperabat odio Iudæorum, & in eos referendã volebat causam, Iudæis repugnãtibus. Quippe Iudæi erant suspecti ex odio aduersus Christum, idcircò, per authoritatem Pilati curauerunt sedulo, suum iniquũ absoluere animum, vt facinus quod intentabant, apud plebem iustificaretur. *At illi clamabant dicentes. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari.* Primo clamauerũt dicentes, non hunc, sed Barabam: dein clamauerunt dicentes, Crucifige, crucifige. Tertio clamant, Si hunc dimittis, no es amicus Cæsaris. Quarto & finaliter clamant, Tolle, tolle, crucifige eum. Allegarant iam multa contra Christum coram Pilato, videlicet, quod se filium Dei fecerat, quod iuxta legem suam debuisset mori, & cætera, quæ tamen aure surda cum pertransisset, aliam excogitauerunt viam, vnde sua desideria absoluerẽt, dicentes, *Si hunc dimittis, &c.* Sed ò infelices Iudæi, vnde se Regem fecit Christus, qui in deserto pascens innumeram turbam, eandem declinauit sciens, decretum esse apud illam eum promouere in regem? Et tu infelix Pilate, cur trepidasti, vbi non erat timor? Quid mali impẽdit Romano imperio propter Christum? Christus pauper, pauperibus sociatus discipulis, paupertatem prædicans, pauperes spiritu docens esse beatos, omnia mundana relinquenda docens propter regnum cœlorum, vnde ergo times ne labefactetur Romana maiestas propter Christum? Verum Iudæi nolunt Christum in regẽ, & tu times, ne ex Christo Romana lædatur potestas. Repugnantibus ergo & Iudæis, & Romanis, ipse est rex regum & dominus dominantium, & regnauit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Et huic Christo colla submittet non solum Romana maiestas, sed omnis creatura, quæ sub cœlo, & supra cœlum est, & inimici eius terram lingent. Et quod vos timebatis, vobis eueniet. *Iudæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Sed ò pessimi cauilatores, vnde inueniſtis Christum contradixisse Cæsari, cum potius, illi fauerit dicens, quod est Dei, date Deo, quod Cæsaris Cæsari? *Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbata.* Tandem Pilatus magis obediens iniquis persuasionibus Iudæorum, quam veritati, & in Iudæorum sententiam, & dicturus non ius, sed iniustitiam, sedit pro tribunali, in loco strato lapide, qui dicitur Hebraicè Gabbatha, idest sublimis locus. Erat enim vt videtur in domo Pilati hic locus lapide stratus, qui excelsus & eminẽs erat vbi erat tribunal Pilati, in quo sedebat dicturus ius populo. Bis autem puto Pilatum sedisse pro tribunali, in Christi causa. Primo vt audiret Christi causam, & secundo vt eãdem iudicaret, Matth. enim. 27. legimus sedẽti Pilato pro tribunali, vxorem legationem misisse dicentem, Nihil tibi & iusto illi, & tunc sedit ad audiẽdum Christi causam. At nunc legimus sedisse pro tribunali in loco strato lapide, qui Hispanè vocatur, *Enlosado*. Et fortasis, erãt duo tribunalia Pilati, aliud ad audiendum causas, & aliud ad iudicandum de causis. Augustinus autem credit Matthæum esse intelligendum per anticipationem. Vnde iuxta eum vxor Pilati tunc misit ad eum, quando sedebat in Lithostroto, vbi erat tribunal iudicij. Verum non esse hoc necessarium facile patet ex dictis. Quod si vnicum erat tribunal, tunc in suo tribunali sedens, cum audisset Christi causam, vxor misit ad eum dicens, per ministrum, aut per schedulam verba prædicta, Nihil tibi, & iusto illi, & post modum ibidem sedens pro tribunali iudicauit seu protulit sententiam contra Christum. *Erat autem parasceue paschæ, quasi hora sexta.* Quia Marcus scripsit Dominum crucifixum, hora tertia, & Ioannes ferè hora sexta, ideò non leue excitatum est dubium ex apparente collisione horum locorum. ¶ Theophila.

Collisio apparens scripturæ soluitur.

phil. duas indicat super cõcordia horum locorum sententias. Quidam enim scripturæ schema in causa fuisse affirmant, quod varia legatur crucifixionis hora apud Ioannem, & Marcum. Græce enim suos numeros literis & characteribus literalibus significant. Tertium ergo significatur characterе hoc, Y. Litera autem quę sex significat, est hæc, S. Verisimile igitur est literã gamma, ab scriptoribus non attentis quibusdam mutatis transisse, in characterem episemi, quo sextus numerus significatur. Vnde tertia hora fuit scripta apud Ioannem, verum ex errore scriptoris fuit mutata in sextam. Et quod hoc placitum sit verisimile probat Theophi. siquidem tres euangelistæ Matth. Mar. Lucas, concorditer scripserunt hora sexta tenebras factas esse super vniuersam terrã, vsq; ad horã nonã. Igitur cum Dominus ante sextam fuit crucifixus, priusquam fierent tenebræ fuit hora tertia crucifixus, vt Marcus scripsit, & Ioan. similiter, quanuis scribentium error mutauerit gamma in episemi characterem. Verum huic placito, cui videtur annuere Theophila. obstat quia Ioannes ait, Erat quasi hora sexta. Si ergo ipse scripsit, non sextam, sed tertiam, oportet legere, Erat quasi hora tertia. Verum hoc Marcus non scripsit, sed erat hora tertia, sine particula diminutionem significante, Quasi. Alij vero existimarunt. Marcum esse intelligendum, de hora pronuntiatæ sententiæ à Caipha. Etenim cum esset Dominus in domo Caiphæ, ipsi & qui cum eo erant dixerunt Dominum esse reum mortis. Itaque tunc crucifixus est non in effectu, sed sententia damnante ad crucem. At verò Ioannes dicens hora erat quasi sexta effectum sententiæ exposuit. Inter sententiam autem à Caipha prolatam, & executionem eius, multa interuenerunt, scilicet, Barabæ dimissio, flagellatio Domini & illusio, &c.

¶ At verò huic placito obstat quod Caiphas, non protulit sententiam de crucifigendo Christo, sed tantum ipse & alij circunstantes dixerunt, reus est mortis. Verum Marcus non ait, Hora tertia interfecerunt eum, sed crucifixerũt eum, oportet igitur Marcũ intelligere de sententia mortis ad crucẽ, & non de sententia mortis absolute. Quidquod sentẽtia Caiphę non erat damnatoria neque peremptoria: siquidem ipse cum alijs fatetur, Non licet nobis interficere quemquam. Igitur tum neque lingua crucifixus est Christus Dominus: quia nõ erat sententia illa proprij iudicis in causa illa, ideo nulla erat. ¶ Quod verò Theophil. insinuat, nihil obesse veritati, quod alius dixerit hora tertia esse Dominum crucifixum, alius verò hora sexta postquã omnes conueniunt Dominum crucifixum esse, quod erat principale docendum, horæ autem definitio videtur accessoriũ, non est vtique hoc probandum, quod quidam Cornelius Agrippa alioqui probauit, sed sinistrè. Enimuero si aliquà admittimus mẽdacium vel minimum in oraculis diuinis, eorum labefactatur authoritas. Quia si in minimis admittis mendaciũ, iã ergo scriptura non fuit edita dictãte Spiritu sancto, qui est infallibilis veritas. ¶ Porro. D. Augu. lib. de consen. 3. cap. 13. etiã enumerat aliquot de re hac placita: quorũ alterum non discrepat à recensito. 2. loco â Theoph. Aliud vero est Dominum hora nona noctis fuisse à Caipha damnatum ad mortẽ, & hora tertia diei fuisse crucifixum. Quæ hora noctis. 9. est tertia noctis iuxta computationẽ nostram: hæc autem tertia diei, erat hora sexta parasceue. Quippe ab hora noctis. 9. vsque ad tertiã, diei fluunt sex horæ, tres diurnæ, & tres nocturnæ. Et colorat Augusti. hanc expositionem, quandoquidem Ioannes non ait, Hora diei quasi sexta, sed hora erat parasceues paschæ. Quia igitur Christus est pascha nostrum huius typici paschatis fuit parasceue, hoc est, præparatio abhora noctis. 9. quãdo pronuntiatur Christus immolandus, & hora quasi sexta fuit immolatus. At hęc expositio non videtur literalis, sed mystica potius. Nanq; Christus est pascha nostrum mysticè, & spiritualiter. At Ioan. loquens de præparatione paschæ, de illa præparatione materiali loquitur, quam exercebant Iudæi ad ornando suum festum paschale. Etenim Ioãnes volebat nos doceret quale erat tempus, & hora crucifixionis Christi. Et ideo dixit, Erat parasceues quasi hora sexta. Porro autem forsan aptius di-

Cauendum in Theophil.

cemus, iuxta euangelicam parabolam illam de vinea, ex qua docemur diem apud Hebræos diuisam fuisse in quatuor partes, in primam, tertiam, sextam, nonam, & vndecimam. Et istæ partes nuncupãtur à suis exordijs, vt quod exiuit pater familias hora tertia, interuallum denotat decurrens inter tertiã, & sextam, nomen sortitum hoc interuallum ab exordio suo, scilicet, tertia. Et quandiu, non est completa illa quarta pars diei decurrens à tertia in sextam, appellatur adhuc hora tertia, item dicito de alijs horis. Istæ quartæ ergo diei, appellantur à suis exordijs. Ideoque qui conduceretur tunc post horam tertiam, videlicet, iuxta nostram computationem si conduceretur ad vineam hora decima vel vndecima diei, vel etiã ante duodecimã, adhuc dicebatur apud Iudæos hora tertia esse conductum ad vineam, vel ad aliud opus faciendum. Quocirca, re vera Dominus fuit crucifixus hora parasceues quasi sexta: quia tamen nondum peracta erat hora illa sexta, non ait, quasi sexta, ideſt declinante sole iam ad sextam horam, quæ est meridiana hora: ideo retinuit nomen sui principij, à quo cœpit illa quarta diei, scilicet, à tertia hora. Vnde Marcus illam vocat tertiam horam, & Ioannes esse quasi sextam. Quod verò ait esse horam quasi sextam parasceues paschæ, Iansenius expendit non ab re dixisse Ioannem parasceues paschæ, & non sabbati: siquidem, vt ipse existimat, Iudæi in feria illa sexta celebrarunt esum paschalis agni, ideoque ante sextam diei præparauerunt se ad huiusmodi esum. Quocirca Ioannes dixit, erat parasceue paschæ, & non sabbati. Porrò hoc esse falsum supra ostendimus quippe iam feria quinta ad vesperam à Domino, & à Iudæis comesus fuerat agnus paschalis: ideo hæc parasceue fuit, sabbati: feria enim sexta parabant edendos cibos in sabbato. Cæterum, quia sabbatum illud cõcurrebat sub diebus azymorum, ideo duplicabatur festi celebritas. Quocirca fiebat tum celebrior præparatio. Vocatur igitur sabbatum illud à Ioanne pascha, quia intercurrebat inter azymales dies, qui ex agno comesto in illis vocitabantur paschales

Cap. 18. & 19

Deo autem dispensante factum est vt in diebus paschalibus quando omnes Iudæi & Hierosolymitani, & Galilæi conueniebant Hierosolymam celebrando festo paschalis agni, vt palam esset ab omnibus tam pontificibus quam turbis Iudæorum Dominum fuisse negatum & destitutum. *Et dicit Iudæis, Ecce Rex vester. Illi autem clamabant; Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Respondernnt pontifices, Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Sciebat Pilatus molestum esse pontificibus illis, Christum vocare regem eorum: nihilominus hac nomenclatione Christum appellat, ad maiorem contemptum Iudæorum, & vt eos prouocet magis ad pudorem: quos non potuit flectere ad commiserationem. Ideoque indignãs facinus quod faciebant ex importunis clamoribus Iudæorum actus, ait, Ecce rex vester. Quasi dixisset, Pudeat vos regẽ vestrum crucifigere. Etsi non flectimini commiseratione, saltem ex pudore declinate à tanto flagitio, propter vestrum honorem, ne dicant alienigenę adeo truces vos fuisse, vt vestrum regem crucifigeretis. ¶ Aduertendum est, Christum clarè non dixisse se esse regem Iudęorum, sed solum implicitè. Nanque dicens se esse Christum, & Messiam, affirmabat se esse regem Iudæorũ. Et hoc est, quod hoc modo ait, Ecce rex vester, ideſt, quẽ turbæ Iudæorum credebant paulo ante esse Messiam vestrum. Nanque quãdo Dominus glorioſè intrauit Hierosolymã, dominica proxima ante hanc feriã sextam, omnes clamabãt Hosanna filio Dauid, &c. ¶ Expende autem quanto odio Iudęi ferebantur in Christũ: quippe quod Iudæis erat molestissimum Romanum imperium, nam ferebant Romanorum tyrannidem iniquo animo: gratũ modo habẽt: quod erat illis summi tędij. Nempe vt odium suum expleant, quod gerebant temerè cõtra Christum. Iustissimè igitur Iudęi miseram patiuntur seruitutẽ, agentes semper post Christi necem sub Dominis non suis: quippe suum legitimũ regẽ & Dominũ Iesum Christũ, abiecerunt: & spõte elegerunt Cęsarẽ Romanũ, prefercẽtes tyrannum, legitimo suo, & vniuersorum Domino.

Tunc

Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Victus Pilatus ab iniquis Iudæis, tradit Dominum voluntati Iudæorũ, qui omnibus quibus potuerunt vijs, extorserũt à Pilato, hanc Christi traditionẽ. *Suscepe runt autem Iesum, & eduxerunt eum.* Milites Romani, susceperunt Iesum in domo Pilati, postquam adiudicatus est morti, & eduxerunt eum de domo Pilati. Antequam autem eum educerent, vt ex alijs extat Euangelistis, exuerunt chlamydẽ coccineam, qua indutus erat Dominus, & induerunt eum propria veste, vt melius ab omnibus cognosceretur. *Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Calvariæ locus.* Græcè, baiulans crucem suã. Romani milites imposuerunt crucem in humeros Domini, quia Iudæi crucis hoc supplicium auersabantur, quia maledictum putabant suspensum in ligno, Deu.21. Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Et quanuis legamus, Maledictus à Deo omnis, qui pendet in ligno, at Hierony. lib.2. comm. in Paul. ad Gala.3. hoc esse adiectum credit à maleuolis, odio habentibus religionẽ Christianam, vt Christianis obijcerent credere in maledictum à Deo. Et Paulus ad Gala.3. non citat locum cum adiectione à Deo, sed, Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Cæterum Christus, non suscepit maledictionem culpæ, quia peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, sed suscepit maledictionem pœnæ, crudelem mortem patiens, vt nos â maledictione culpæ erueret. Et hoc est quod Paulus ait, Christus nos redemit de maledicto legis, quia factus est pro nobis maledictum. Est autẽ maledictio legis in omnes præuaricantes leges: quia maledicti sunt omnes dixit psaltes, qui declinant à mandatis tuis. Cum ergo omnes declinauerunt, & non sit qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, & omnes nos sicut oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, tam Iudæi, quam gentes, ideoque omnes comprehendimur sub maledicto legis: nisi quod Iudæi, maledicto succumbebant, præuaricantes legẽ Mosaicam, gentes autem præuaricantes legem naturalem. Christus ergo, vt tam Iudæos, quam gentes erueret à trãsgressionis maledictione suscepit maledictionem pœnæ, permittens se crucifigi in ligno, quæ pœna maledictionis erat, quia erat ignominia plena.

Christus non suscepit maledictionem culpę sed pœnæ vt nos liberaret à maledictione culpæ.

¶ Romani igitur milites, & gentiles ministri Pilati imposuerunt crucem super Iesu beatissimos humeros, nihil commiserantes hominis flagellati, & cæsi, & insputi: qui totam noctem duxerat insomnẽ, à cœna venientis in hortum, & ibi orantis, & ab horto ducti in domũ Annæ & ab Ana, in domum Caiphæ, & à Caipha in domum Pilati, & à Pilato, in domum Herodis iunioris, alio nomine Antipatris, & ab Herode hoc rursus in domum Pilati, & in domo Pilati crudeliter sauciati. Et nihilominus illi iam tormentis debilitato grauẽ imponunt crucem ferendam. Et Pilatus ipse, qui videbatur suffragari Christi causæ nõ iussit suis, vt Dominum iuuarent in ferenda cruce. Et qui videbatur misericors, se item crudelem ostendit. Aptè quod ecclesi. ait, congruit Domino. Circundederunt me vndique, & non erat, qui adiuuaret. Aspiciens eram in adiutorium & non erat qui aspiceret. Et quidem res est maximę admirationis, quod is qui pauerat turbas in deserto bis, & qui cæcos illustrarat, & mortuos suscitarat, & docuerat populos legem Dei, & trahebat post se turbas suspẽsas ex verbo suo in Galilęa, & Iudæa, à nullo nunc iuuetur, sed ab omnibus deseratur. Et nullus afficiatur commiseratione hominis optimè meriti de Iudæis, & de gentibus: quia etiam gentibus exhibuerat misericordiam. Vide quo pergit humana iniquitas Deo permittente, vt omnia hæc Christi tormenta verterentur in antidotum, saluberrimum hominum. *Hebraicè autem Golgotha.* Hoc nomen est Chaldęum: at vero vsurpabatur ab Hebræis tanquam Hebræum: & ideo Ioannes dixit, Hebraicè autẽ Golgotha. Nam Hebræi vocant Caluariam hominis Gulgoleth, & Golgoltha profertur à Chaldæis. Postquam autem Domino imposuerunt crucis pondus ab eo ferendum, cum iam illam ferret ad deputatum crucifixioni locum, non potens diutius ferre ex nimia membrorum debilitate, qua effectus erat ex flagellis, & nocturnis, & diurnis cruciatibus, tradiderunt crucem Domini Simo

Ecc.51

ni Cyrenenſi venienti de villa patri Alexandri, & Rufi, vt Matth. & Marc. & Lucas denarrant. Hic ſolus inuentus eſt, qui vellet crucem Domini ferre, qui erat peregrinus, & non indigena. Et quãuis pictores pingant Simonem hunc ſimul cum Domino ferre crucem, at ex Euangeliſtis, non hoc videtur: ſed quod Simon iſte ſolus portabat crucem Domini, quam ſuſcepit ab humeris Domini, poſtquam ex debilitate illam baiulare non poterat. Primus ergo Dominus crucem portat, vt ex Euangeliſtis colligitur: deinde iſte forſan in medio itinere, crucem accepit: etſi videtur in initio itineris crucem accepiſſe, quia Matthæ. ait, Et exeuntes inuenerunt hominem Cyrenenſem nomine Simonem. Non vacare geſtum hoc à myſterio Hieronymus arbitratur, quod alienigena & peregrinus inueniatur, qui crucem Domini geſtet: quippe in hoc Simone adũbrabatur gentilitas, quæ relictis gentilium erroribus, ſuſceptura erat crucem Chriſti, loca cœleſti baptiſmi lauacro, Chriſto, commoritura proculcans peccata, & donanda vita gratiæ. Et hæc baiulatio crucis Domini, ad magnum ceſsit honorem Simoni iſti, & filijs ſuis: quod ſolus ille promeruit lignum in humeris ſuis ferre, vnde pendere debebat ſalus, & redemptio vniuerſi. Mulieres autem lamentaſſe Dominum in hoc itinere ſolus Lucas commemorat. Mulieres enim ex ſexus deuotione cum vidiſſent Dominum innocentiſsimum pati dira tormenta, & ferri ad ſupplicium crucis inter duos latrones, dolebant, ex pietate affectus pijſsimi in Chriſtum. Dominus autem, eas docet potius eſſe flendũ, ſuper ſe ipſas, quam de ſe Chriſto, ſignificans iſtis verbis, ſuam mortem cito finiendam, & euaſuram in magnam gloriam, & ſe non mori coactè, ſed ſponte morte, ad conciliandam vitam vniuerſo.

¶At verò ipſę erant digniſsimæ, quæ plangerentur, ipſę ſcilicet, cum ſua prole: quia maxima illis imminebat calamitas, abſque ſpe remedij. Quæ accidit illis, & ciuibus omnibus Hieroſolymitanis, ſub Tito, & Veſpaſiano: vbi verè executioni data ſunt deſideria Iudæorum dicentium, Sanguis eius ſit ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et hucuſque ſanguis Domini clamat contra eos, interim dum Chriſto nolunt obedire.

¶Quia diſperſi ſunt in nationibus, & contemptui ſunt omnibus gentibus. Quippe maximis vbilibet afficiuntur iniurijs, & ſub tributis & exactionibus multis premuntur: maximè apud Turcas, & Saracenos, apud quos maximè commorantur. Vnde in Africa calceorum vſum illis non permittunt Saraceni, niſi ſint regis, aut militum quæſtores. Et quando illis tranſeundum eſt per domum regiam excalciare, illis incumbit calceos, ſi qui eos habent, & pedibus nudis viam calcare, vbi ſita eſt regia domus. Et ſubiecit Dominus rationem, tantæ venturæ contra eos calamitatis, quia ſi in viridi ligno hæc fiunt, in arido, quid fiet? Quaſi dixiſſet, Si ego innocens tanta patior, ſine merito malo meo, vos nocentiſsimi, quanta patiemini. Vocat ſe viride lignum, quia gratiæ viror primus in Chriſto eſt, & nunquam exaruit ariditate culpæ. Iudæos autem vocat lignum aridum, quia ex infidelitate adeò aruerunt, vt fructus meritorij operis ex eis non naſcitur. Vnde Dominus male dixit ficui, in qua non inuenit fructus, quos quærebat, ſignificans ſynagogam per ficum. Quæ ſanè inſtar illius ficus maledicta eſt à Domino propter infidelitatem ſuam: qua vſq; in hodiernum afficitur diem. Obſerua perro, quod quanuis Iudæi, & gentes conueniunt in occidendo Domino, ex Iudæis nihilominus, & gentibus Domini commiſerentur: ex gentibus quidem Simon Cyrenenſis, ex Iudæis vero mulieres, quæ Dominum lamentabantur: quia ex gentibus & Iudæis erat congreganda eccleſia: tametſi maxima pars eccleſiæ Chriſtianę ex gẽtibus eſt coalita. Ex Iudæis enim pauci receperunt fidẽ Ieſu Chriſti: quia dilexerunt maledictionem, & maledictio opprimit eos. Et quia noluerunt benedictionẽ Ieſu Chriſti, benedictio eſt elongata ab eis: & induerunt maledictionem, ſicut veſtimentum, & facta eſt eis hærens ſicut zona, qua ſemper præcinguntur, vt pſaltes prædixerat. Noluit ſanè populus ille benedictionem, quippe clara voce dixerunt, Non hunc, ſed Barabam, & rurſus,

Iudæi maledictionẽ quã expetierunt quotidie patiuntur.

Lucæ. 11.

Non

Non habemus regem nisi Cæsarē. Quo circa benedictio Iesu Christi est ab illis elongata. Et iustè, siquidem elegerunt homicidam, & authorem vitæ neglexerunt, & suum regem Christum, contempserunt, & illi Cæsarem tyrannum prætulerunt. Quamobrem semper laborant hac maledictione, quam sibi ipsis, ipsi expetierunt, & vsque ad iudicij diem, ab eis non auferetur. Propterea igitur non ab re hymnidicus canebat huius populi præuidens calamitatem venturam. Induit maledictionem sicut vestimentum, Psal. 108. Siquidem vt vestimentum totum tegit corpus, ita hęc maledictio omnes comprehendit Iudæos. Et intrat hæc maledictio sicut aqua in interiora Iudæorum, & sicut oleum in ossibus eorum: siquidem non solum premit eos extra, subdens eos seruituti durissimæ alienigenarum, sed etiã premit mentes eorum: quia obcęcati sunt, ne videant lucem Dei Euangelicam, exceptis paucis, qui diuina munificentia, ab hac maledictione sunt liberati per fidem Iesu Christi. *Ibi crucifixerunt cum.* Cur hic locus sit nominatus Caluariæ locus, apud priscos authores non satis est exploratum: siquidem Origenes, tract. 27. super Matthæum, Venit, inquit, traditio quædã talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, vbi crucifixus est Christus. Cui subscripsit Epiphanius in fine primi lib. aduersus hæreses. Mirari, ait, licet Dominum nostrum crucifixum in Golgotha, & non alibi, quam vbi corpus Adæ iacebat. Idem Atha. sermone de passione Domini: Cyprianus sermone de resurrectione, & Ambro. lib. epist. 5. epist. 19. & in Lucam. 23. & Euthi. in Matth. 27. Hieron. verò in Matth. lib. 4. fabulosum hoc cẽset, sed ideo appellatum locum Caluariæ, quia ibi erat locus damnatorum. Et suffragatur Hieron. locus Iosue. 14. vbi Adam traditur sepultum fuisse iuxta Ebron. Cæterum hic locus non conuincit de falsitate placitum aliorum primo iam recensitum. Dicerent enim se ingenuè fateri ibi primo Adam sepultum, sed quid vetat inde translatum fuisse in montem, vbi Christus fuit crucifixus? vtique nihil, & quod ibi esset locus supplicij damnatorum, nisi etiam esset locus sepulturæ, non ob illud appellandum Caluariæ locum, sed potius suppli cij locum. Etenim caluaria significat caput cadaueris sine cute, & capillis. Vnde si ibi sepeliebantur cadauera punitorum, ex sepulchris sæpe extrahũtur Caluariæ mortuorum, & ossa, vt alijs fit locus sepulturæ, apte dicebatur Caluariæ locus. Cæterum si ad eum locum translatum est Adæ corpus, scilicet, ossa, & Caluaria eius, item legitimè appellari poterat Caluariæ locus, propter quandam excellẽtiam, quod continebat Caluariam primi plasmatis. Et iuuatur horum sententia ex vulgata pictura, quippe pictores, depingentes, siue sculpentes crucifixum, ad pedem crucis vnicã affingunt Caluariam, Adæ significantes Caluariam. Verum vtcunque dicatur, res incerta est mihi: scripturæ tamen veritas non pendet ab opinione nostra. Certum est illum locum Caluariæ esse locum: siue ex Caluarijs ibidem punitorum, & sepultorum, siue ex Caluaria primi hominis, me latet. *Ibi crucifixerunt.* Domini crucem tulit in hunc vsque locum Simon ille Cyrenensis: & secutæ sunt mulierum turbæ, lamentãtes Domini iniustum supplicium. Dominus autem visus est fletum carum prohibere dicens, Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, &c. Vnde quidam arbitrati sunt prohibendas esse lachrymas ex memoria dominicæ passionis ab oculis defluẽtes. Ex quorum sententia est Erasmus, & nostra ętate plurimi ausi sunt huiusmodi lachrymas damnare, proferentes ad sui dogmatis fauorem, mortem Domini non esse lamentandam, sed potius maximo recolendam gaudio. Quippe morte sua mortem nostram destruxit, & nobis reseranit regna cœlorum. Cæterum legimus apostolos tristes fuisse de nece sui Domini. Quod si apostoli tristabãtur de Christi morte, quis audet damnare tristitiam & lachrymas fidelium recolentium Domini mortem? Est sanè vnde gaudeamus ex Christi morte, & est vnde lachrymis suffundamur. Quatenus enim innocentissimus omnium hominum ob nostra delicta, acerbissimam sustinuit passionem, & quatenus nostra delicta tanta fuerunt, quanta eguerunt secundũ Dei

Caluarię locus cur hac appellatione donatur.

Nõ sunt prohibendæ lachrymæ recolẽtes Christi passionẽ.

sapiẽtiam, morte expiari immaculatissimi agni si consideramus quis temperet à lachrymis hæc memorando? At vero, quatenus mors Christi nobis conciliauit vitam, hac ratione ex ea maximè gratulandum est nobis. Non me latet Theophila. ad Lucam. 23. nonnihil suffragari Erasmo, ait enim non esse lamẽtandum Christum, qui spontaneam subiuit mortem. Item Beda lib. 6. cõmen. in Lucam, Ne me, inquit, lamentemini, cuius citare surrectio mortem soluere potest, cuius mors, & omnẽ mortẽ, & ipsum mortis destructura est autorẽ. Porrò autẽ facultas Parisiensis in suis censuris contra Erasmica opera, hoc Erasmi dogma inter errata recenset Erasmi. At verò, vt dicebam dogma hoc est citra rationem. Etenim si Christus fleuit Lazarum mortuum, quẽ mox erat suscitaturus, quis audebit damnare fletum mulierum super passionem Christi? Et quid nonne Lucæ. 2. scribitur, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius? Et apud Zachariam, Et plangẽt se super eum, & apud Hieremiã. O vos omnes, qui transitis per viam videte si est dolor sicut meus. Thren. 1. Non ergo dominus reprobat quod memoria passionis eius compatiamur cum ait. Nolite flere super me: sed voluit fœminis plorantibus ostendere calamitatem illis impendentem vnde erat potius illis flendũ. *Et cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Iesum.* Iudæi, vt suum prorsus explerent odium, & satiarent suam, quam gerebant contra Christum inuidiam, nihil non tentauerunt, quod cederet ad Christi maiorem ignominiam. Quamobrem & educentes dominum ad crucis patibulum curant, vt societur iniquis, vt inde reputaretur Christus iniquus. Et plebs videns Christum duci ad suppliciũ cum iniquis, sibi persuaderet, Christum esse similem illis. Vulgus enim nesciens causę veritatem, ducitur facile istis apparentijs. At verò diuina erat dispensatio, vt homines praua sua satiantes desideria diuinam implerent dispensationem, vnde prophetarum de Christo absolueretur vaticina. Quale erat illud Esa. 53. Et cum iniquis deputatus est. Matthæus autem expressit hos duos iniquos esse latrones, & quod alter à Christi erat dextris, alter vero Christi teneret sinistram. Marcus etiam idem commemorat: & mysterium explicat dicens, Et impleta est scriptura, quæ dicit, & cum iniquis deputatus est. Lucas verò genus maleficij non explicat sed solum ait, ducebantur cum eo alij duo nequam. O admirandam plane Christi humilitatem? qui paulo ante fuerat inter Mosem, & Eliam, inter legislatorem, & prophetarum diuini honoris summum zelatorem, æquo tamen fert animo, quod inter duos latrones, feratur ad supplicium quasi malefactor. Et qui medius est in sanctissima Triade inter patrem, & Spiritum sanctum hic) stupẽdum dictu) vadit modo ad supplicium crucis inter duos nequam constitutus: vt sic planè doceret, se mediatorem esse pro peccatoribus, ideo medius vadit inter illos. Cyrillus ad allegoriã referens, duos populos adumbrari in latronibus istis scripsit, videlicet, Iudaicum, & gẽtium. Ambo populi nequam, quia & gentes, & Iudæi peccatores: nam non est qui faciat bonum omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt. Inutiles sanè eos vocat, quia ex se nõ sunt vasa misericordię, sed potius vasa iræ. Quemadmodum seruos suos, docet dominus se profiteri esse inutiles. Quippe ex nobis ipsis non sumus sufficientes cogitare quicquam meritorij boni, sed sufficientia nostra ex Deo est. Inter peccatores igitur populos Iudæos, scilicet, & gentes, se constituit dominus. Quippe ipse fecit vtraq; vnũ, & duos populos sibi copulans per fidem & charitatem, vnã ex ambobus iniquis populis, sanctam conderet Christianam ecclesiam. *Scripsit autem titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt. Quia prope ciuitatem erat locus, in quo crucifixus est Iesus. Erat autem scriptũ Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebãt ergo Pilato Pontifices Iudæorum, Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus. Quod scripsi, scripsi.* Alij euangelistæ idem referunt, vnde refert Lucas fere idem quod Ioannes. Erat autem, inquit & superscriptio, scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis. Hic est rex Iudæorum. Ioannes autem rem hanc amplius patefecit, referens Pilati iussu hunc titulum fuisse supra crucem infixum: & quid continebat

Matth. 27.

titulus

titulus integrè manifestat, quia viderat alios Euangelistas, breuitati studentes, quædam intermisisse, videlicet, Lucas præterimisit, nomen Christi, & patriam scilicet, Iesus Nazarenus. At Matth. præmisit, iussum Pilati de scribendo titulo, & patriam Christi. Quia Matth. solum refert, Imposuerunt super caput eius, causam ipsius scriptam, Hic est Iesus, rex Iudæorum. Et adhuc Marcus breuius rem est complexus dicens, Erat titulus causæ eius inscriptus, Rex Iudeorum. Verumtamen, quanuis explicatius Ioannes retulit hunc titulum, quam cæteri euangelistæ, alij tamen euangelistæ, summam causæ expresserunt, scilicet, Rex Iudeorum. Pilatus autem hunc titulum infigendum iussit supra crucē. Non enim in cruce fuit scriptura hæc, sed supra crucem Domini tabella scripturam continens prædictam fuit infixa, in ipsa videlicet, summitate crucis. Vnde titulus iste non erat pars integralis crucis Christi, sed adiecta eidem nouę tabella. Quocirca quando ab Helena fuit inuenta crux Domini, sine titulo sibi cohærente fuit inuenta, quia seorsum inuētus fuit. Quamobrem, latebat, quænam trium inuentarū esset Christi crux siquidem inuentis tribus crucibus, ignorabatur, cuius ipsarum esset inuenta superscriptio: ideoque nesciebatur quę nā earum esset Christi crux. Quod si titulus esset in ipsa cruce inscriptus, ipsa crux Christi ex titulo se proderet. Ideo diuino miraculo, fuit demonstrata Christi crux, quæ humana industria experiri nequibat.

Titulus crucis non fuit pars crucis Christi.

¶ Intentio autem Pilati fuit Iudæorum gentem ignominia affiecre, ex hoc titulo: quippe ostendere volebat, Iudaicam de rege suo gloriationem, vanam esse: quippe quem turbæ Iudæorum die palmarum prædicabant in Regem suum, ipse cruci affixerat. Item ad Christi ludibrium hunc titulum capiti eius admouit: exprobrans ei ex hoc titulo quod se frustra fecisset regem Iudæorum, quem ipse alioqui cruci affixerat. Et præterhęc, quia vt traditur à Nicolao mos erat Romanis, crucifixis causam crucifixionis affigere super crucem, vt omnibus perspicua esset tam ignominiosæ mortis causa. Adhæc duxit Pilatus hoc futurum sibi gloriosum, quod regem Iudæorum crucifigeret: & ideo scripsit titulū ex tribus: idiomatibus, & Hebraico, & Græco, & Latino. Et enim ad festum illud agni paschalis, quod tunc celebrabatur conuenerant ex omni orbe vtetiā Luca commemorante, acto. 2. ad festum Pentecostes, conuenerant Hierosolymā ex omni natione quæ sub cœlo est. Et multò magis, ad festum paschalis agni, quod erat multo celebrius, conuenisse est credendum: ideoque non soluin aderant Hebræi, qui Hebraicè nouerant, sed etiam, qui Græcè, & Latinè. Nouerant enim idiomata suarum nationum, in quas dispersi erant. Quidquod cum Pilatus esset præses Romanus, & milites, habuisset Romanos, & cohortem duxisset ex gentibus, isti nouerant Latinè, & Græcè. Adde istis, quia cum Hierosolyma resplenderet templi singularissimi maiestatè, ex omni natione conueniebant eò, vt templum spectarent, & Deum adorarent. Rursus proselytarum non parua interfuerat turba ad festi cultū, qui ex Græcis collatiuis acciti ad Iudaismum fuerant. Propterea igitur, vt diuersæ nationes conuenientes, tum legerēt titulum, quem ipse scribebat, ideò vario idiomate illum scripsit. Adde, vt sibi pararet gloriam coram Cæsare Romano, postquam certus fieret, ex multorum relatu, Pilatum morti ignominiosæ tradidisse Christum, quia timebat rebellionem contra Romanorum imperium faciendam à Christo. Et ideo vt is qui omnem sopierat rebellionis huiusmodi suspicionem se commendabilem Romano Cæsari præberet. Talia fuerūt diaboli machinamenta: taliaque Dei sunt sacramenta. Omnia enim malaquę diabolus per suos officiales commentus est, Deus vertit ad gloriam sui vnigeniti, & ad salutem eorum, qui in eum erāt credituri. Facta est sanè fides difficilior, at multo fructuosior, & maiori mercedè digna. Scripsit autem tria: primo Iesus, idest, saluator est Christi nomen, quod angelis est prædicatū post natalia Christi, Lucæ. 2. & ab angelo est prædictum ante eiusdem natalia, Vocabis nomen eius Iesum: saluos enim facit omnes volentes sibi obtemperare à peccatis suis. Sunt & alij plerique nuncupati hoc eodem

dem nomine, at verò ex dispari causa alij: vt Iesus filius Naũ, dictus Iesus, quia introduxit populum Israeliticũ in terram à Deo promissam: at verò Christus quia non solum populum illum Hebræum, sed vniuersum genus humanũ introducit ad cœlestem patriam. At si multi non ingrediuntur in requiem Domini, quam ipse diligentibus se parauit, non est ex defectu parantis, sed ex nostro defectu. Nanque cũ neminem cogat ad hanc obtinendam requiem, quia pro sua sapientia homines relinquit in manu consilij sui, ideo sibi obtemperantes spontanee, hos introducit in salutẽ, quam nomen suum Iesus, pollicetur, at verò sibi repugnantes eadem salute vt indignos orbat. Nos de salubri hoc nomine Iesus, fecimus grandem declamationem Esaiam prophetam dilucidantes: quærat qui volet.

Nazarenus duo significat.

¶Deinde 2. loco expressit Pilatus, nomen patriæ Christi, dicens, Nazarenus. Nazarenus autem duo significat, & floridum, & separatum: siquidem si deriue tur à verbo Hebræo Nazar, quod significat separauit, significat separatũ. Quod sanè nomen aptissimè cõgruit Christo, apostolo docente, Talis decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens & impollutus, & segregatus à peccatoribus, ad Heb. 7. Vnde prophetæ omnes, hoc vna voce proclamant Messiam, futurum sanctissimum, & Deo gratissimum, & semotum ab omni peccato. Vnde Hebræi suos religiosos, Nazarẽos vocabant, quia submoti erant à secularibus negotijs, vt Deo vacarent. Inde, & Samson Nazarẽus vocatur ab angelo Iudi. 13. quia Deo & diuinis erat dicandus cultibus, & separandus ab strepitu seculi. Dominus igitur ob hanc causam, multo eminentius cæteris omnibus Nazarẽis, appellatur Nazarẽus. Quippe non solũ ipse sanctus est sanctorum, sed etiam, est fons omnis sanctitatis, & suos vult, à visibilium cura submotos, vt inuisibilia nanscisc antur bona.

¶Rursus Nazarẽus significat floridum, à verbo Naz, floruit, inde Niza flos. Vtique ipse verè floruit, quia de ipso scriptum est, Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Nanque sanctificatio omnis à Christo pendet: & in ipso primo floruit, & flores eius sunt fructus honoris, & gratiæ. Et qui non hæret Christo, necesse est vt marcescat: qui vero illi hæret per fidem, & amorem, ille florebit coram Deo. Pulchra est arbor, floribus vernans, vt turpis spoliata floribus, & fructu. Omnes autem homines flore isto sanctificationis nudati sumus, quãdo protoplastus ille excutiens à se florem sanctificationis, spoliauit nos hoc flore, & turpes redditi sumus corã Deo. At vero si Christo copulamur reflorescimus, & florem iustificationis perditum restauramus. Traditur quod flores odoratissimi: serpentes fugant, & cor, & cerebrum confortant: & item fertur ex floribus odoratis, quosdã suis cibis seruasse vitam. At verò siue hoc verum sit siue falsum, non sit nobis curæ, hoc certum est Christum esse florem, cuius odor fugat dæmones ab hominibus, cuius odor mentes fidelium corroborat, vt difficilẽ viam tendentem ad cœlestem patriam, absoluere possint. Odor denique huius floris vitam spiritualem alit, & vegetat. Est autem Christi odor catholica fides, & syncera Christi charitas.

¶Recte igitur à Pilato scribitur Christus Nazarenus, & quia sanctus sanctorum, & quia floridus est: nam omni genere gratiarum abundat Christus: in ipso enim Deo patri complacuit habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter. Ideo in ipso sunt omnes flores sapientiæ & scientiæ Dei, in ipso omnes flores virtutum. Nam datus est illi spiritus, & non ad mensuram: quippe explenitudine eius omnes homines seruandi erant accepturi.

¶Quamobrem aptè dixit Matthæus, Sicut scriptum est per prophetas, quia Nazarẽus vocabitur. Vtique etsi nullum extet testimoniũ quod specialiter apud prophetas hoc exprimat, at vero quia omnes clamant Christum, sanctum, sanctum, & ab omni peccato alienum, & refertissimum futurum omni gratia, omni sapientia, omni denique virtute, ideo quod verbo non exprimebant, sensu tamen verborum intellectum esse voluerunt. Quidquod Esa. 9. satis colligitur, Christum esse florem. Egredietur ait, virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Etenim ex Iesse processit Dauid,

Dauid, & ex Dauide genus ducit Maria virgo, ex qua natus est flos florum Christus.

¶Pilatus autem non ob has considerationes scripsit Christum esse Nazarenum, sed quia ex communi appellatione Nazarenus appellabatur. Etenim nutritus erat in Nazareth, vnde traxit Nazarei nomen. Quamquã enim in Bethlehem fuerit natus, non tamen appellabatur Bethlehemita sed Nazaræus: siquidem in Nazareth fuit conceptus, & nutritus, & ibi longo tempore egit, & inde conciliauit sibi Nazaræi nomen. Denique expressa persona Christi, & patria causam mortis subiecit scribens, Rex Iudæorum, vt inde, vtiã diximus sibi pararet maiorem gratiam apud Cæsarem Romanum. Et etiam in ludibriũ Iudæorum, & Christi. Iudæorum quidem: quippe ab ipsis exegerat Pilatus vt Christum dimitterent: & quia semper repugnabant, ideo, vt contumeliam irrogaret Iudæis, quod regem eorũ crucifigeret. Videtur autem diuersus ordo enarratus à Ioanne, & ab alijs Euangelistis in re hac. Etenim Ioannes primo crucifixum esse Dominum & dein latrones duos crucifixos, alterum à dextris, alterũ à sinistris, & deinde titulum causæ fuisse infixum vertici crucis Christi cõmemorat: & postremo partitionis vestium, & sortitionis super tunicam meminit. At verò Matth. primo quidem refert fuisse Dominum crucifixũ, & post modum diuisa fuisse vestimenta eius, tertio imposuisse milites super caput eius titulũ, & postremo crucifixos fuisse latrones. Tunc, ait, crucifixi sunt, cum eo duo latrones: & Marcus eundem ordinem insinuat. Lucas verò, simul crucifixos latrones cum Christo insinuat dicens, Ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris, & post modum diuisa esse vestimenta Domini, postremo vero titulum fuisse scriptum refert. At verò ordo relatus à Ioanne, videtur seruatus fuisse, quippe postremus scripsit euangelium postquã aliorum euangelia legerat. Et ideo ordinem quem viderat alios euangelistas nõ clarè distinxisse ipse aperte distinxit. Quocirca quæ aliter videntur enarrari ab alijs euangelistis, per anticipationẽ, aut recapitulationem sunt habenda.

¶Considera autem non vacare à mysterio, quod Dominus medium tenebat locum inter latrones, siquidem latro â dextris, peccatores iustificandos significat, vt latro à sinistris peccatores, qui in suis peccatis morientur denotat. Medius igitur est Dominus tanquam iudex omnibus reis dicturus ius, siquidem iustificatos peccatores, in die iudicij â dextris suis locabit. Et vt iustificato latroni, dixit ius in cruce pẽdẽs Christus, ait enim, Hodie mecum eris in paradiso: ita & iustificatis hominibus Dominus dicet, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est, &c. At verò peccatores, qui in peccatis suis diẽ clauserint extremum cõstituentur à sinistris Christi in die illo nouissimo. Et isti adumbrantur in latrone nequam, qui Domino improperabat, & non petiuit veniam suorum peccatorum, quam creditur petiuisse pius latro: neque confessus est peccatum suum, & ideo in sua iniquitate perijt. Similiter quoque in die illo blasphemabunt nomen Domini, impij quia superbia eorum, qui Dominum oderunt ascendit semper.

¶Neque vacat à mysterio trium linguarum diuersitas, quam titulus ostẽdebat. Etenim id temporis apud Hebræos diuina vigebat religio, vt apud Græcos humana florebat sapientia, & apud Romanos constabat mundi imperium. Vt ergo significaretur, omnia hæc subdenda fore Christo, ideo Hebraicè, Græcè, & Latine, fuit scriptus titulus ille. Enim verò vera religio & verus cultus Dei is solus est, quem Christus docuit, & vera sapientia est euangelica sapientia, & vera potestas est Christi potestas: quare ex lingua Hebræa, & Græca, & Romana scribitur titulus ille. Ad hæc, quia ex omnibus tribubus, & linguis erant vocandi ad fidem Christi, ideo ex tribus illis linguis, quæ sunt nobilissimæ linguarum gentium vniuersitas significatur subdenda Christo. Et ita fuit, quia religio Hebræorum, cessit Christianæ religioni, quippe illa vmbra erat, & hæc lux: & Græcorũ sapientia Christo cessit: siquidem Græci suscepto euangelio, vanitatem suarum superstitionum neglexerunt, vt acta apostolica testantur,

cap. 19. Denique Romanorum maiestas humilitati crucis se subiecit, quando Cõstantinus imperator fide Christi recepta, idola deiecit, & Christi gloriam est amplexus. *Milites ergo cum crucifixissent eũ, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes vnicuique militum partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem, non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit: vt scriptura impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Quatuor fuisse milites, qui Dominum crucifixerunt hic locus ostẽdit, quia iuxta numerum militum crucifigentium sunt quadripartita Christi vestimenta. Cyrillus innuit vestimenta fuisse Christi quatuor præter tunicã, nam inquit, Cæteris vestimentis diuisis in quatuor partes, sortem fuisse iactam super tunicam, quæ non est diuisa aut scissa: quia erat à summo vsq; deorsum contexta per totum, itaque non arte sutoria fabrefacta, sed arte textoria cõtexta erat. Sunt qui diuersum arbitrẽtur, Domini vestimenta fuisse quatuor, sed connumerata tunica. Itaque in quatuor partes vestimenta Domini diuiserunt iuxta numerum militum connumerando ipsam tunicam, quæ erat ceu subucula interior. Et quia inconsutilis erat tunica & noluerunt ob id eam scindere, mansit integra, & miserunt sortem super tunicam, vt qui sorte ea obtineret, cætera cum tunica tolleret. Alia igitur vestimenta Domini partiti sunt in tres partes milites, & cũ tunica iã erant quatuor partes: & conuenerunt milites vt cui obtigisset tunica ex sorte, cętera tolleret vestimenta. Alijs placuit tria fuisse Domini vestimenta, scilicet, tunicam interiorem, & aliam fuisse huic immediatam, quæ correspondebat sagis nostris, & tertiam exteriorem operientem cætera, instar togæ vel pallij nostri. Vnde duo vestimenta, quæ erant exteriora, sunt diuisa in quatuor partes: quippe scissa sunt in quatuor partes secundum numerum militum. At verò tunicam Domini non scinderunt, sed iacta sorte, illi obuenit, cui sors obtigit. Et apparet ex textu euangelico, ita accidisse, quandoquidem sola refertur tunica non scissa, quia inconsutilis erat, sed textilis per totum: ergo alia Domini consuta vestimenta fuerant scissa in quatuor partes. Num. 15. Deut. 22.

¶ Quamquam scriptura non doceat, quot fuerunt hæc vestimenta, sed solum docet plura fuisse, dicens vestimenta, & tunicam. Nam quod Iudæis præcipitur in Nume. 15. fimbriatas in quatuor angulis deferre vestes, qualẽ Dominus habuit Mar. 6. Luc. 8. istud non ostendit, quot fuerint vestes Domini, si quatuor an tres, an quinque.

Vestimentorum Christi numerus nõ explicatur in scriptura.

¶ Hoc vnum certum est, Dominum superfluas non habuisse vestes, sed solum sibi necessarias: siquidem ipse quod docebat, faciebat: at ipse docuerat, apostolos suos Matth. 10. Marc. 6. ne haberent duas tunicas, & præcursor Lucæ. 3. prædicabat, Qui habet duas tunicas det vnã non habenti: siquidem etsi Dominus, & præcursor eius non prohibebant multas vestes, prohibebant tamen non necessarias: ideo dixit duas tunicas, quia etsi tunicam interiorem, & vestem exteriorẽ sit necesse induere, at duæ tunicæ, quæ sunt sub eodem genere vestis, non sunt necessariæ. Præterea scriptura etiam nõ exprimit, si Dominus habebat vestem lineam, seu subuculam, ideſt, camisiam, an tunicam non ex lino, sed ex lana contextam loco huius habuerit: quia si subuculam hanc lineam intimam habebat, iam quatuor erãt Domini vestimenta, tria ex lana, & alterum ex lino.

Christus non habuit vestes superfluas.

¶ Rursus nihil commemorat de vestimẽtis latronum, quomodo illa sunt partita inter quatuor milites: nanque vestimenta damnatorum ad mortem, etiam apud nos sunt carnificum exequentium mortis damnationem, siue suspendẽdo reos, siue iugulando, siue vrendo. Et hoc iure vtentes isti milites vestimenta Domini, sibi diuiserunt, vt etiam nihil refert scriptura de titulis affixis crucibus latronũ. Etenim si verè quidam existimant morem fuisse Romanis crucifixis, causam affigere scriptam, cum latrones fuerint crucifixi, vt Euangelistæ indicant vnde pictura vulgata, quæ eos suspensos pingit, & non cruci affixos mendax est) vtique etiam istis fuit affixus titulus. Cæterum etsi illis fuit superpositus causæ titulus, solum titulus crucis Christi fuit scriptus ex tribus indicatis linguis: ideò solùm titulus crucis Christi fuit relatus

ab Euangelistis. Et Iudæos hic solus titulus male habuit, precantes Pilatum, ne scriberet Christum esse Iudęorum regem, sed quod ipse dixisset se esse Iudæorum regem. Quibus non annuit Pilatus, sed quod semel scripsit, ratum habuit.

¶Præter hæc quod existimant multi tunicam hanc Domini fuisse intimam vestem, non est confessum: non enim est necesse ex nomine tunicæ, subaudire vestem intimam, quæ subucula est: siquidem etiam vestis exterior significari potest ex tunica. Vnde in Genesi legimus Ioseph habuisse tunicam polymitam talarem, quæ exterior & non interior erat. Et Leuiti. 10. quidam sacerdotes tunicis lineis vestiti eiecti sunt extra castra: & istæ tunicæ lineæ exteriores erant. ¶Porrò autem istis missis mirari subit, vnde militibus accesit auiditas tanta scindendi vestimenta Christi, & sortiendi de tunica? Quandoquidē Christi vestimenta hæc si fuissent pretiosa, vt quibusdam arrisit, cessaret omnis quęstio: quando partes scissæ, si fuissent sericæ, aut carmesinæ, vel ex alia pretiosa materia erant ęstimabiles pretio. Porro, quis hoc credit Dominum esse vestibus pretiosis indutum, qui semper professus est summam paupertatem? Non habebat domum propriam ipso testante, Vulpes foueas habēt, & aues cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum: quomodo ergo obsecro, qui domo ex paupertate carebat, preciosis induebatur? Quod si viles erāt vestes, scissæ nullius erant vel exigui erant valoris. Vnde ergo obtinendi scissa & vilia militibus cupido? Quidquod milites erant, & non infimæ sortis homines? Dixerim forte hoc factū esse, quia milites credebant huiusmodi scissuras ex vestimētis Christi, cum tunica esse â discipulis Domini post mortem Domini auide exigenda. Quippe, hæc putabant milites vestimenta, discipulos esse in tanti magistri memoria comparaturos solertia maxima: ideo vt discipulis ea magno pretio venderent, propterea sedulo curarunt illa diuidere inter se.

¶Scito autem Euangelistas non eodem modo, quo Ioannes, hanc partitionem vestium indicasse. Enimuero Matthęus inquit. Diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes. Vnde videtur, non solā tunicam subiectam fuisse sorti, sed etiā cætera vestimenta Domini. Marcus vero, Diuiserunt, ait, vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Et idem videtur significare atque Matthæus. Neque dissonus est Lucas dicens, Diuidentes vestimenta eius miserunt sortes. Ioannes verò sortitionem solum docet fuisse super tunicam. Et in Psal. 21. idem innuitur, Partiti sunt vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem. Cui prophetico testimonio concinit Ioannis euangelica denarratio dicens, super tunicam solum Christi iactam esse sortem alijs vestimentis diuisis in quatuor partes: siquidem diuisio hæc sortes non exigebat. Matthæus autem intelligendus est, non quod sortem miserunt milites super vestimenta alia Christi, sed facta diuisione aliorum vestimentorum Christi, miserunt sortem super tunicam. Quod verò Marcus ait, magis vrget, nam ait, Mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Augustinus tamen exposuit perinde esse dictum à Marco, ac si dixisset, Mittentes sortem cum diuiderentur vestimenta, vt quis quid, ideſt, tunicam tolleret. Aut fortè facta diuisione vestium in quatuor milites, miserunt sortes, quis tolleret omnia vestimenta Christi, quia videbāt forsan partes diuisas, non esse valde conducibiles habentibus: ideo voluerunt post factam diuisionem, iacere sortes, quis omnes illas partes diuisas tolleret cum tunica. Vel tertio, intelligendus Marcus, Diuiserunt vestimenta alia à tunica, & miserunt sortem super eis, ideſt, super partem eorum, quæ erat tunica, vt per synecdochen sit accipiendus locus.

¶Quod si tunica erat camisia Christi seu subucula ex lino contexta, quā beata virgo illi cōtexuerat ab infantia Christi, vt Euthimius existimat, quid ergo hæc camisia solum erat Christo? nonne erat lauanda aliquando, & exuenda? aut erant multæ subuculæ Christi contextæ per totum, quas Christus succesiuè induebat?

¶Allegorizant autem Cyrillus, & Augustinus hæc Christi vestimenta, ea referendo, ad omnes fideles, per omnes

quatuor

quatuor mundi partes diffusos, qui quã uis sint loco diuisi, sunt nihilominus cha ritate coniuncti: quia eorum est vna fides, charitas eadem, atque religio. Nudauit igitur se Dominus Iesus Ioan. 13. loturus discipulorum pedes: verum nõ omnia sua exuit indumenta, sed quæ superiora erant. Nudatus item est contumeliose in domo Pilati, quando exutis proprijs vestibus, induerunt eum purpura. Rursus nudatur cum exuerunt eũ vestem purpuream, & induerunt eum proprijs vestimentis. Denique nudant eum propria exuentes vestimenta, quãdo iam iam eum crucifixuri erant. Et post hanc nudationem Dominus nunquam resumpsit exuta vestimenta. Etenim resurgens ex mortuis non priora resumpsit vestimenta, quippe qui indutus erat summa claritate gloriæ: ideo vestimentis mortalitatis non egebat. Iam hinc obserua, quantis iniurijs fuerit Dominus affectus, in nudationis genere. Latrones enim crucifigendos semel nudarunt ad crucem: at vero pluries Christum nudarunt, & innocẽtissimum Dominum peius tractarunt, quam noxios latrones. Nudatus igitur Dominus pendet in cruce, & nudus creatur Adam in paradiso, Adam autem ex nuditate erubuit postquam præuaricatus est contra legem Dei: vnde illi consuta sunt perizomata tegendæ nuditatis gratia. At vero Christus innocentissimus Dei agnus, nudus pendet in cruce, & non erubescit: erubescentia enim ex peccato profecta est. Nudus pendet, quia nudos amat, non vestibus, sed noxijs affectibus: nudus pendet, quia sua nuditate, martyrum nuditatem consolari curat. Etenim canit de martyribus ecclesia, Nudata pendent viscera, sanguis sacratus funditur: sed vitæ perennis gratia permanent immobiles. *Et milites quidem hæc fecerunt. Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Postquam milites, ex sua auaritia diuiserunt vestimẽta Domini, & super inconsutilem tunicam miserunt sortes subdit Ioannes, *Et milites quidem hæc fecerunt.* Quasi dixisset milites hæc, quæ dudum dixi facientes oracula prophetica impleuerunt: quanuis militum studium non erat implere oracula prophetica, sed suam explere auaritiam, & tyrannidem contra Christum exercere. *Stabat.* Cæteri Euangelistæ nihil expresserunt de assistentia beatę Mariæ ad crucem Domini. Etenim Matthæus inquit, Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa. Marcus autem, Erant mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & mater Ioseph, & Salome. Lucas verò non exprimit mulieres ibi stetisse, sed Christi notos dicens, Stabant autem noti eius à longè. Ioannes verò prope crucem tradit stetisse Mariam virginem & cæteras mulieres, quas supra expresit. Et quidem verba Domini facta ad Mariam matrem suam, & ad Ioannem discipulum suum, non potuissent ab eis audiri sub tanto strepitu turbæ, nisi iuxta crucem essent beata virgo, & Ioannes. Ideo fieri potuit, quando Dominum crucifigebant milites, stetisse à longe. Mulieres, & notos Christi, vt Lucas commemorat, & Matth. & Marcus. Verum postquam Dominum crucifixerunt, accesserunt prope Maria mater Domini, & Ioannes, & Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Vel fieri poterat quod quædam ex mulieribus, sequacibus Domini stetissent longe, & alij accesissent propè. Et priores Euangelistæ locuti sunt de ijs, qui longe erãt, & Ioanes de ijs, quæ prope. Hic autem Cleophas quinam fuerit cõtrouertitur. Qui enim existimant Annam fuisse trinubam, credunt tres habuisse maritos, & Ioachimum, & Cleopham istum, & Salome. Vnde hæc Maria erat filia Annæ, ex Cleopha, & semisoror beatę Mariæ, videlicet, soror ex matre, non ex patre. At verò hoc placitum non admodum consentit cum historia beatam Annam referente, fuisse sterilem, & tanquã sterilem passam fuisse repulsam à templo. Si enim tot filijs erat fœcunda, quo modo sterilis? Alijs vero placuit fuisse monogamam, & solum potitam fuisse coniugio Ioachim, ex quo post diutinã sterilitatem accepisse Mariam virginẽ, & Mariam hanc, quam Euangelista vocat Cleophæ: quæ sanè hoc nomine donatur, non ex patre, sed ex viro cui nupta est: qui appellabatur Cleophas, & apud

Concordia Euãgelistarũ

Anna mater Domini qui busdã est trigama, alijs monogama.

apud Matthæum Alphęus. Nam Iacobus Alphæi erat filius huius Cleophæ: qui cum esset binomius iam vocatur Cleophas, iam vero Alphæus Matth. 10. & Marc. 6. Hæc eadem Maria est, quam vocat Matthæus. 27. Mariam Iacobi minoris: quia hic, qui appellabatur Iacobus Alphæi, dicitur etiam Iacobus minor, filius huius Mariæ, vt discernatur à Iacobo maiore fratre Ioannis Euãgelistæ. Eusebius autem lib. 3. cap. 11. ex authoritate Ægesippi, censet istum Cleopham fuisse fratrem Ioseph viri beatæ Mariæ: ideoque Maria hæc Cleophæ cum esset vxor huius Cleophæ, qui erat frater Ioseph viri beatæ virginis, inde appellatur soror beatæ Mariæ, quippe quæ erat vxor fratris, scilicet, Ioseph fratris Cleophæ. Et huic inituntur testimonio, qui contendunt Annam beata solum virginis prole potitam fuisse: & aliam non habuisse prolem. Cæterum cum Ioannes hanc Mariam absolutè vocet sororem beatæ Mariæ insinuat, aut potius aperte docet, non esse sororem ex affinitate, quam Hispanè vocãt, *Cuñada*, sed sororem carnalem fuisse. Nos verò de re hac non nihil tetigimus superiori sermone, ideo illi supersedendum in præsentia duximus.

¶Obseruabis autem hunc Cleophã, nõ esse eum, quem refert Lucas, cap. 24. cui Dominus apparuit. Etenim si literam Græcã cõsideramus diuersa sunt vtriusque nomina: siquidem apud Ioannẽ hic modo vocatur Clopas, non enim legitur Cleophæ, sed Clopę. At vero apud Lucam, non Clopas legitur, sed Cleopas. Nisi dixerit aliquis, hunc fuisse trinomium, videlicet, & dictũ Alphæum, & Clopã & Cleophã discipulũ illum, cui cũti in Emaunta obuius fuit Dominus. Porrò autẽ interim meminisse iuuabit, fortitudinem, quę submoto pauore, steterunt iuxta Domini crucem vt Domini adessent morti. Et nihil formidarunt militum ferocitatem aut Iudæorum insolentiam: at insigniter diligẽtes Dominum, amorem quem demonstrarãt Domino viuenti, eundem modo profitentur in morte. Nõ latebat eas se nihil posse iuuare Dominũ: cæterũ illi assistunt, vt vsq; ad mortẽ illũ sequerentur. Solẽt sanè fœminæ amare suauiter, at non fortiter: at istæ suauitati amoris fortitudinẽ & robur plusquã fœmineũ miscuerũt. Inter quas beatissima virgo astitit, omnes alias superans animi integritate, & patientiæ in tanta animi mæstitudine, firmitate. Vnde etsi legamus turbatam fuisse in angelico ad eã delato sermone, non tamen legimus turbatam fuisse in Christi filij sui, quam videbat passione. ¶Fuit sanè ingenti tristitia affecta, videns filium suum, quem ipsa sine virili conceperat semine, consputum flagellatum, & crucifixum: at hæc tristitia non irruit adeò in mentem virginis, vt posset eam absorbere, & alienare, vt quidam falso exaggerant. Imo potius nulla fuit correpta animi perturbatione, quæ ipsam alienaret à mentis suæ officio. Dixit ille Simeon Lucæ. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius: id quod sanè fuit impletum, cum stabat iuxta crucem contemplans vnigenitum filiũ suũ, â planta pedis vsque ad verticem capitis vulneratum. ¶Verum hic gladius dolo-ris, nõ distraxit mẽtẽ virginis, vt syncopismũ, aut spasmum aut deliquiũ animi pateretur: sperabat enim firmiter filiũ, quem sub tanta mortis ignominia videbat afflictum, mox resurrecturum cum summa gloria: ideoque resurrectionis mox vẽturę spes certa tantæ ignominiæ temperabat mœrorem. ¶Fuerunt Græci authores, qui nonnihil detrahere videtur honori virginis dicẽtes, sub passione Domini Mariam astantem dubitasse, an esset filius Dei Christus. Quod si hoc verum esset, etiam dubitauit de resurrectione Christi, & mœror virginis non habebat vnde temperaretur. Vnde dixit Origenes homili. 17. in Lucam. gladium illũm, cuius meminit Lucas. 2. cuius dudum mentionem faciebã, fuisse gladiũ scandali, & infidelitatis. Quia sicut apostoli omnes fuerunt scandalizati in morte Domini Domino testante, Omnes vos scandalum patiemini in me nocte ista, ita beata virgo hoc scandalum infidelitatis fuit perpessa. Nam inquit, Si scandalum non fuisset passa, non est mortuus Iesus pro peccatis eius: si autem omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, iustificati gratia eius, & redempti vtique & Maria eo tẽpore scandalizata est. Cui Chrysosto.

Virgo Maria non est passa syncopismum aut spasmum sub passione Domini.

Græcorũ doctorũ placita de fide virginis sub passione Domini.

narrans Psal. 13. consonus apparet. Ipsius, inquit, Mariæ gladius dubitationis pertransijt. Idemq; homilia in Genes. 49. infidelitatis notam videtur alia inurere virgini Mariæ, quando salutata ab angelo, dixit, Quomodo fiet istud, quoniam virum nō cognosco? Et ex Latinis August. hoc ipsum præ se ferre videtur. lib. quæ. noui, & veteris testa. quæst. 73. in hæc verba, Etiam Maria, per quā est gestum mysterium incarnationis Saluatoris, in morte Domini dubitauit, ita tamen vt in resurrectione firmaretur. Vnde videtur hos doctores illò retulisse verba Simeonis, Gladius pertransiuit tuam ipsius animam, ad fidei hæsitationem, si erat filius Dei is, quem ipse genuerat, & appensum in crucis patibulo cernebat. A quibus non abhorret etiam Theoph. Græcus comm. ad Lucā dicens, Fortassis autem, & scandalum dicit gladium quo Maria offensa fuit. Vidēs enim crucifixum fortassis cogitabat, quomodo qui natus est sine semine, qui miracula fecit, qui mortuos suscitauit, crucifixus est, consputus est, mortuus est. ¶Porrò autem locus nullus est, qui suffragetur huic dogmati, in sanctis enim scripturis nullus extat, qui hoc demonstret locus. Nam quod Simeon dixit, Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius, de scandalo, aut de hæsitatione diuinitatis Christi intelligere, cogit nihil: cum apertior sensus, est per gladiū vehementem dolorem subaudire: quo viscera virginis fuerunt affecta, vidētis Christum sibi vnigenitū, tot, & tam dira sustinere tormenta. ¶Et quidem angelica voce erudimur, Mariam virginem fuisse gratia diuina plenā. Si ergo hæsitauit in fide, tunc, vel in conceptione diuini verbi, vtique cum hæsitans in fide sit infidelis, consectarium est virginem aliquanto tempore fuisse infidelem, & dejectam fuisse à plenitudine gratiæ: quo circa necessum erat, pœnitentiam agere de suo peccato, quando vidit Christum resurgentem: id quod piæ aures ferre nequeunt.

Beatissima virgo nihil dubitauit in fide sub Christi passione, & conceptione.

Beata virgo illęam semper custodiuit fidem.

¶Ad hæc angelo testāte, benedicta est Maria inter mulieres, quia ipsa nihil maledictionis sensit, quā sunt expertę omnes aliæ mulieres: si autē infidelitatis labe fuit correpta, non erit ipsa benedicta inter omnes mulieres. Imo mulieres fideles sunt, quæ post susceptam fidē, nunquam de illa hæsitauerunt: & istę essent hac ratione superiores virgine, id quod horrent fidelium aures. Neque ratio Origenica efficax est, quod Maria fuit peccato subdita; & maculata infidelitatis culpa, quia Christus eam redemit; vt & cæteros alios. Vtique redempta est virgo, sed illustriore redemptione, quā cæteri omnes. Ipsa enim fuit redēpta, quia peccatum, quod debuisset lege nascentiū sibi contrahere, ex gratia Dei nō contraxit: sed in summa gratia cōcepta, peccato non est fœdata, vt omnes homines fœdantur. Et quale hoc fuerit nō est diferendum modo, nū contraxit primitiuam culpā. Cæterum extra cōtrouersiā est apud fideles, Deiparā nihil admisisse, quod vel mortale, vel veniale peccatum saperet, nedum ipsum peccatū non cōmisit. Quamobrē dogma tradens virginem infidelitatis habuisse culpam sub passione Domini quia dubitauit tunc filium suum esse Deum, aut sub conceptione hæsitasse, de incarnando Dei verbo in suo vtero error est: & ideo exibilandum dogma est: quanuis non longe ab his diebus quidam diuini verbi proclamator, non formidauit dogma hoc auribus instillare fidelium: verum ipse fuit temerarius doctor hæc docens, & digna pœna tandem fuit mulctatus.

Error est virginis labefactare fidem.

¶Origeni autem respondebis, forsan à falsarijs, hoc illi fuisse impositum, vt pleraq; alia eidem falsò ascripta credimus. Chrysostomo verò, & Augustino respondebis dubitationem, quam ipsi dicunt, non fuisse dubitationem fidei, siquidem dubius in fide est infidelis: ideo hanc dubitationem Maria non est passa: sed apostoli ea sunt correpti. Ideoque legimus Dominum apparuisse apostolis toties post suam resurrectionem, & increpasse eorundem incredulitatem: at verò de Maria virgine istud non legimus. Quippe Maria non egebat apparitionibus huiusmodi vt cō firmaretur in fide, à qua nunquam exciderat: Quanuis credimus, illi apparuisse Dominum post resurrectionē suam, non sane ad stabiliendam illius fidem, quippe hoc stabilimento, non indigebat: sed ad matris gloriam & consolatio-

Hæsitatio duplex alia stuporis alia fidei.

Maria quia maximè fuit affecta dolore ex Christi passione ideo prius, & vberius ex resurrectione fuit exhilarata.

lationem, vt quæ plus doloris senserat in filij morte, prima, & potissimè, ex resurrectione solaretur.

¶Non ergo de dubitatione in fide, quæ dubitantem efficit infidelem, verba commemorata Chrysosto. & August. tu intellige: sed de quadam dubitatione stuporis, & admirationis. Stupuit enim virgo considerans dei filium, quem ipsa genuerat, se subiecisse tot tormentis, & morti crucis. Quanuis enim eam hoc quidem non latebat, at videns oculis quod mente iam aspexerat, stupuit. At dices hic, Stupor non est gladius, siquidem stupor hic, non vulnerat animam culpa: admirari enim ex diuino mysterio, nullius vitij est, sed insignis est virtutis: at vero sancti præcitati videntur affirmare dubitationem fuisse gladium

Sancti doctores aliquãdo proprietatẽ verborũ non seruant.

penetrantem animam virginis. Porrò considerandũ est priscos doctores theologos, non semper in suo sermone proprietatem vocum obseruasse, sed vocibus vtuntur secundum quod suo instituto seruiunt. Quid si contendas vehemẽter eos, ita sensisse, nihil miror, quippe authoritati ecclesiæ & aliorum sanctorum standum est potius. Est autem hæc doctrina ecclesiæ beatissimam Dei param, nullo succubuisse vel criminali, vel veniali peccato: quid quod non succubuerit infidelitatis peccato, vt dudũ prædicebamus? Et quidem non videtur omnino congruere textui, si per gladium intelligamus dubitationem fidei. Etenim si hoc donamus dubitationem fuisse gladium, hæc non pertransit animam dubitantis: quandoquidem dubitatio pendulum tenet animum dubitantis. Et dubitatio fidei, etsi sit infidelitas, at vero non est determinata infidelitas quo vsque adhæreat mens infidelitati: tunc enim pertransit infidelitas animũ, quando illi est adhærens. Cum ergo virgo nõ adhæserit infidelitati, nõ pertransijt gladius iste virginem: vnde neque dubitationi videtur, quod congruat ratio gladij transeuntis. Gladius qua propter virginem penetrans, fuit vehementissima tristitia, quam concepit ex viso Domino cruci appenso. Hic gladius enim pertransiuit animam Mariæ virginis, quia vehementissimè fuit anxiatus spiritus eius ex morte sui vnigeniti, non tamen sic penetrauit eam, vt abstraheret à mentis recto iudicio propter causas iam dudum commemoratas.

¶Habuit autẽ deifera virgo cruci astans coasistentes sibi, & Mariam Cleophæ sororem, quæ sane sociabat virginem ex sororis affectu, & ex Christi compassione & naturali, quia cõsobrinus erat eius Christus, & ex affectu spirituali, quia Domini pedisequa erat. Rursus & Maria Magdalena comes erat virginis. Hęc flebiliter memorabatur, se lauisse pedes, quos modo clauis aspiciebat infixos, & lachrymis tersisse, quos modo sanguine aspersos cernebat. Recolebat se vnguento nardino caput vnxisse, quod modo spinis acutissimis compunctum cernebat. Recogitabat se ad pedes Christi prostrata veniam obtinuisse suorum delictorum, & nunc suum & omnium veritatis magistrum, cuius disciplinam ipsa professa fuerat aspicit cruci affixum, & inter duos latrones collocatum, & ideo amaro se compungit fletu.

¶Ex apostolis autem nullus est qui assistat cruci Christi, quia omnes discipuli magistrum deserunt, excepto dilecto Ioanne. Hic est qui crucem Domini sociat, & crucis tormenta vnus ex omnibus apostolis præsens intuetur, vt dilectionis in Christũ feruorẽ ex hac assistẽtia patefaciat. Petrus verba fastuosa iactauit dicens. Et si oporteat me cõmori tecum non te negabo. Et se esse paratũ iactabat, pridẽ vt sociaret Christi & carcerem, & mortem: at vero, quæ fastuosè iactabat opere non consummauit. At Ioannes verba non profudit, sed opere coruscat, & animi feruorẽ in Christum, quẽ verbo non expresserat, opere perfecit Christo astans, & crucis tormenta & ignominiã sua assistentia mulcens & honorãs. ¶Quãobrẽ, & hoc promeruit priuilegij, vt Christus eidẽ suã commendaret matrem, dicens, Mulier ecce filius tuus, & illi dicens, Ecce mater tua. O beatissime discipule, cui charissimum Christi pignus, quod cœli & terra reuerentur, & summis laudibus prosequuntur, idest, beatissima Maria in tutelam commẽdatur. Beata quidem Dei para Maria ex filio Christo, ex quo benedictionẽ assecuta est super omnẽ creaturã, nanque angelos vincit putitate, &

Petrus fastuosè loquẽs nõ seruauit sermonẽ & Ioãnes tacens diligentius est operatus.

Maria ex Christo & Ioannes ex Maria gloriam & honorem sibi parant.

sanctitatis gloria, nedum homines. At verò Ioannes adoptiuus virginis huius filius, quam adoptionē Christus in cruce pendens fecit, ex noua matre hac, eā sibi comparat gloriā, eam celsitudinem, vt in hac filiatione nullus sit ei conferendus. Nam, quæ maior hac gloria potest esse, quod Ioan. sit filius virginis? Vnicū Maria habet naturalē filiū Christū, ex Spiritu sancto in vtero eius conceptum: alterū etiam filiū adoptiuū habet, Ioannem Euangelistā ex Christi authoritate in cruce pendentis illi adoptatum: vnde Christi frater singulari prærogatiua hac Ioannes est. Dignus hac filiatione Ioannes, qui solus ex Domini discipulis, Christo suo magistro, in crucis astitit tormento. Vtiq; si latebras quæsiuisset, vt alij discipuli quæsierunt, nō tanto honore donaretur à Christo, nō tāta filiatione gauderet. Sed quia latibula nō quæsiuit, sed magistrū suum est secutus, etiam vsq; ad crucis ignominiā, ipsum nō deserēs, ideo in tantū gloriæ est prouectus culmen: vt substitueretur sibi in filium virginis. Fulgebat Ioānes inter cæteros Domini discipulos virginitatis splendore. At si domi esset inclusus, & pietatis hoc officium magistro, & Domino suo Christo nō impendisset, nō promeruisset cœleste illud verbū audire, Ecce mater tua: sicut enim officiosa virginitas Deo est gratissima, ita ociosa virginitas nihil promeretur corā Deo. ¶ Ostupēdā Christi in matrē charitatē? sub crucis tormēto vehemētissimo cruciabatur Christus, & matris cura solicitatur. Et quia ipse moriebatur matrem suā esse sine filio nō patitur: & Ioannē creat in matris filiū & subrogat in locum suū, vt matrē curet diligentissimè, & suo solatio non destituat. Quod si iam iā moriturus tam sedulò matris beatæ curā agit, quantam tu putas egisse quandiu viueret eiusdē curam? Et quidē mortem breuissimam Dominus erat passurus, quia exiguo interuallo dierū erat surrecturus rediuiuus ex sepultura: at pro triduano breuissimo illo spatio, nō sinit matrē suā sine filio esse: & quia naturalem filiū tum erat desideratura, in adoptiuū subrogat Ioannē. ¶ Sciebat enim, quod post modicū tempus erat ascensurus in cœlū: & ideo vt sub morte sua, & post ascensionē

Ociosa virginitas nihil promeretur coram Deo.

suā, curā matris ageret Ioannes, hac causa, Ioanni curā matris demandat. Vnde Cypria. sermo. de passione Domini loquēs Christo ait, Nunc materno moueris affectu, & Thalamū humanitatis tuę, cubiculario dilecto cōmendas, & prouides sedulò benedictę inter mulieres apostolicā clientelā, & obsequium virginis, virgini discipulo tradis, vt non iam Ioseph tanti mysterij oneretur præpositura, sed Ioānes. Quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio, nec vltra pater Christi æstimaretur. Vnde putat Cypria. Ioseph tunc vixisse. ¶ En tibi quid Christus legat moriens in testamento, suā scilicet, matrē cōmendat filio nouo Ioāni, & filiū nouum hunc nona donat matre. Latroni veroparadisum pollicetur breui concedendum. ¶ Petro quidē post resurrectionem suā concredidit ecclesiā, dicēs, Pasce agnos meos, &c. at verò sub morte sua Ioanni dilectissimam cōmisit matrē, dicens, Ecce mater tua. Sponsam suā Petro cōmisit regendā, dicens, Pasce agnos meos, pasce oues meas: at vero charissimā matrem suam dilecto discipulo suo Ioanni cōcredidit curandam, dicens, Ecce mater tua: Ecce quā debes curare, & diligere, & cui debes filij impendere officia: ecce quantū te beatifico, quia matrem meam tibi do notipsa tibi præstabit matris singularis officia, tu repēde vicem, vt illi exhibeas filij tantę matris condigna obsequia. Geminò nanque te deceraui splendidissimo munere, & quia te apostolum dilectum mihi creaui, & quia dilectissimā, mihi matrem, tuis concredidi officijs. *Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat dicit matri suæ, Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Ex dudum dictis claret maiori ex parte quid velit locus hic. At superest differere, cur Dominus, nō vocauit beatam virginē, matrem sed mulierē? Neq; modo solū, sed etiā alibi Ioā. 2. mulierē nō matrem eā vocat, dicens, Quid mihi, & tibi est mulier. Qui igitur subdit9 erat matri quatenus homo, cur dedignatur eā vocare matrē? Quod si in nuptijs mulierē eā appellat forsan causa fuit, quia q̄ petebat Maria, non erat faciēdū ex virtute humanitatis, quā ipsa dederat filio suo,

sed

sed ex vi diuinitatis. Porro modo quod patiatur filius habet ex matre nō ex patre, cur ergo eam modo non vocat matrem, sed mulierem? Sunt qui putent, quia si matrem eam appellasset, multo maiore tristitia, eam opprimeret: quippe ad amabilem vocem matris, ipsa viscera virginis liquescerent vehemētius. At vero quantum coniecto, ex duabus alijs causis, potuit accidere, aut quia voluit Dominus astātibus carnificibus subripere occasionem improperandi matri charissimę: etenim, erant ira incredibili perciti in filiū, ex quo si audiuissent astātem virginem esse eius matrē, in ipsam quoque debaccharentur improperantes ei coram filio: vt vel inde maiori tædio Christum afficerent.

¶ Aut secundo, ne astantes crederent, se implorare maternum patrocinium, si audiissent eam vocare matrem. Qua quoque ratione à nomine discipuli abstinuit, ne opinarentur assistentes discipuli fauorē desiderare. Quāobrem non dixit, En discipule, matrē tuam. Græca lectio pro, stantem, habet, astantē, & pro recepit eam in suam habet in sua: & ita legit Augu. Accepit eam in sua nō prædia, inquit, quia pauper erat, sed in sua officia. Ambrosi. autem lib. epistо. 10. epist. 79. legit secundum lectionē vulgatam, Accepit eam in suā, scilicet, in suā matrem, & in suā curam. Vnde quia ait, Ex illa hora accepit eam in suā, credendum est Ioannem reduxisse ex funere virginem in domum suam, & solertissimam deinceps virginis habuisse curam. Hinc discant filij suos amare parētes, & illis sedula pietatis officia impēdere, cū aduertūt filiū Dei, in cruce appēsum matris suę summā demōstrasse curā, eā Ioāni charissimo cōmēdās discipulo, vt ministraret, quæ illi futura erāt necessaria.

ENARRATIO. II.
In caput decimumnonum.

Psal. 68. ¶ *Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura dicit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenā aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.*

NON nihil discrepantię videtur in Euāgelistis, in enarranda historia hac. Etenim Mat. 27. Et dederūt, ait, ei bibere vinū cū felle mixtum. Marc. verò. 15. & dabant ei bibere myrrhatū vinū. Quanuis post modum subdat Marcus, Currēs autem vnus, & implens spongiam aceto circumponensque calamo, potum dabat ei. Primo dixerat de multis, Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: deinde vero quibusdam interpositis, vnum non plures tradit propinasse Domino acetum. Item Matthæus, non vnum sed plures ait, propinasse vinum cum felle mixtum. Ait enim, Dederunt illi bibere vinum cum felle mixtum. At verò Ioan. acetum propinasse multos ait: itē Lucas dum ait, milites obtulisse Domino acetum. Itaque duplex discrepantia apparet, primo, quod quidam tradunt Domino propinatū vinū, alij verò acetū. Rursum quod Matth. vinū cum felle mixtum, Marc. verò non cum felle, sed cum myrrha, quia ait, myrrhatū vinum, idest, ex myrrha cōpositum. Rursus acetum à Marco traditur ab vno propinatū, à Ioan. & Luc. à multis porrectū scribitur. Ad hæc, Matth. inquit, vinum nō bibisse Dominum, quod illi cum felle propinabatur sed solum gustasse. At Marcus inquit, Christum non accepisse, si non accepit vinum, quomodo gustauit, et si gustauit, quomodo non accepit. Porrò, quantum colligitur, vt scitè meo iudicio annotauit Erasmus, in annotationibus in Matth. Euangelistā, ex Matth. & ex Marc. si ambo conferātur. Domino antequā illū tollerent in crucē milites fuit propinatū vinū: & postquā sublatus est in crucē, fuit oblatū acetū. Nanq; Matth. postquā dixerat, Et venerunt in locū, qui dicitur Golgotha, quod est Caluarię locus, subdit cōtinuo. Et dederūt ei vinū. Vnde videtur, statim postquā in locū crucifixionis venerunt ante quā Dominū crucifixissent porrexisse ei vinū: cui cōsonat Mar. idē referēs oblatū fuisse Domino vinū myrrhatū, postquā deuentum est ad Caluarię locū. At Matth. & Mar. scribunt acetū Domino fuisse oblatū iam crucifixo. Et ideo quia iā erat crucifixus, calamo vel arūdini vt refert Matth. fuit imposita spōgia aceto

Cōcordātia Euāgelistarū

plena, vnde bibendum esset acetū: non enim aliter posset illi supra terram eleuato acetum ministrari, nisi calamo ministraretur. Quod autem Matthæus refert fuisse vinum felle mixtū, & Marcus myrrhatum non est difficilis concordia. Poterat enim esse felleum ex felle, & myrrhatum ex mirrha: poterant enim hæc duo miscери, & fel & myrrha. Aut si sola myrrha fuit infusa vino, vocatur non ab re vinum ex felle, propter amaritudinem myrrhæ: est enim myrrha amarissima. Quod si verū est, quod Nicola. indicat comm. ad Matthæ. 27. ex Hebræorū annalibus, apud Hebræos morē fuisse crucifigendis vinū propinare: quia hoc Salomon. 31. Prouer. mandauerat dicens, Da siceræ mœrentibus: & vinū his qui amaro sunt animo: bibant vt obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui nō recordentur amplius. Et apud nos itidē mos est suspendendis, aut decolandis, aut alias interficiendis petentibus potū subministrare. Enimuerò, fere semper istis accidit tum sitire: ex angore enim, & tristitia cōcepta ex morte instā te, quā vident, siccantur medulæ eorū, & ossa. Nāque sanguis siccatus sitim generat: spiritus enim tristis testante Salomone exiccat ossa. Quocirca potum id temporis desiderat natura, ad irrigandū ossa & medulas, ad restaurationem spirituum vitalium ex nimia siccitate absumptorū. Hebræi igitur ob hanc causam cōdolētes crucifigendis, porrigebāt vina, & miscebant aromata, ad maiorē corroborationem crucifigendorū. Et ferunt myrrhęum vinū inducere somnū grauem, quia myrrha ex odore acutissimo, & suauissimo soporē conciliat bibēti: ideo exhibebatur suspendēdis vt mortis tædia ex myrrhæ penetratione occupāte sensoria leuius ferrent. Huius vini ex myrrha conditi quod aromaticum vinū erat, meminit Plinius. 14. nat. hist. lib. quod somniferū esse tradunt & obliuionē inducēs, & ideo extrema supplicia passuris, vt aiebā, ex cōpassione tribuebatur. Porrò Iudæi Dominū incredibili odio habentes, pro aromatibus miscēdis puris miscuerunt fel ex myrrha. Siue autē vera sit Hebræorū hæc historia siue non, refert nihil, sat enim nobis sit esse valde credibile, crucifigendis latronibus subministratū esse vinum ante crucem: at vero Domino vt eum magis offenderent & pluribus iniurijs afficerent, vinū quod alijs syncerū aut aromaticū porrigebant ante crucifixionem, Domino obtulerūt felle & myrrha mixtum. Postquam autem Dominus in cruce leuatus est tunc petiuit potum dicēs, Sitio: & tunc non propinarunt vinum, quod iam ante crucē propinarant, quippe sciebant tale vinum gustatum à Domino, fuisse reiectum, & nō epotum, & ideo ex vase quod forsan ibi erat apud aliquem pleno aceto, acceperunt acetū imponentes illud calamo, & in spongia Domino potandum obtulerunt. Quod cum accepisset gustandum, reiecit bibendum. Itaque quod scribitur accepisse, non est quod ipse biberit, sed ex eo dicitur accepisse, quia gustauit, & protinus reiecit gustatum. Quod verò scribitur à Marco, quendam hoc acetū propinasse, à Ioanne, à pluribus, nullam generat discordiam: siquidem vtrunq; est verum: fuit enim authoritate plurium factum, quod ab vno solum est executum. Authoritate enim militum crucifigentium illud acetum fuit Domino propinatum: at vero vnus fuit qui illud propinauit imponens illud calamo. Matthæus porrò vinum felleum Domino propinatum, à Domino tradit fuisse gustatum sed non ebibitum. Marcus de eodem vino loquens ait. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit: & nihil est dissonus à Matthæo. Quia quod ait, Non accepit, idem est atque si dixisset non bibit, vel nō accepit ad bibendum. Ioannes verò de aceto scripsit, Cum accepisset Iesus acetum: vnde secūdum Ioannem Christus in cruce pendens accepit acetum. At verò Lucas, & Marcus quando de aceto loquuntur, nō expresserunt si accepit acetum. Verum est autem quod Dominus accepit acetū, quia Ioan. hoc testatur & scripturæ oraculū, verax est Psal. 68. Et in siti mea potauerunt me aceto. Porrò accepit acetū quia ore gustauit acetū, verum gustatū reiecit. Ore accepit, sed nō traiecit in stomachū. Quod vero ait, Et in siti mea potauerūt me aceto, nō significat, quod Dominus extinxit sitim suā bibens acetum sed quod milites voluerunt Psal. 86.

runt sitim sedare Christi propinato aceto. Potauerunt, ideſt, miniſtrauerunt mihi poculum ex aceto. Et quantum colligitur huius aceti miniſtratio, fuit ad illuſionem Domini. Vnde in Marco refertur, Potum dabat ei dicens, Sinite videamus an veniat Elias ad deponendum eum, & in Luca, Milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes, Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac. Irriſoriè enim exigebant noua Chriſti miracula, quod deſcendiſſet, videlicet, de cruce, vt ei adhiberent fidem. Quaſi faſtidientes miracula multa, & clariſsima, quæ Dominus ediderat, noua petunt miracula ad credendum: & quidem neque ſi noua ederentur, credidiſſent, quia obſtinatiſsimo erant corde. Nonne noua viderunt ſub Chriſti morte miracula, ſolem obtenebratum? Nanque etiam ſi obtenebratio ſolis naturalis eſt, non ea tamen quæ tunc accidit ſub morte Domini. Ad hæc ſciſsio petrarum, non erat mediocre miraculum. Et quando omnibus paraſſent iſtis calumnias miraculis, reſurrectio mortuorum, quæ tunc accidit extra aleam eſt diſceptationis: quippe natura vniuerſa, hoc non habet in ſua facultate. Nihilominus ex tot miraculis in cœlo & in terra editis, fidem nunquam conceperunt: tanta erat Iudæorum lapidea obſtinatio, imo pluſquam lapidea: ſiquidem paſsio Domini lapides fregit, & Iudaica corda non fregit. Petierunt Iudæi Marc. 8. ſignum de cœlo, & item apud Lucam. 11. En vobis ò Iudæi ſignum mirabile de cœlo, quia vt ex Diony ſi. traditur vt poſt hæc docemus præter curſum naturalem ſolis, quando erat oppoſitus lunæ, quia tunc erat plenilunium: ſiquidem. 14. luna agnus paſchalis comedebatur. Sub plenilunio autem pugnat cum tota natura ſolem obſcurari: ſiquidem deliquium ſolis ex coniunctione fit luminarium, non ex oppoſitione. Cur igitur cœleſti miraculo maximo non creditis, & rurſus miracula edita de terra fuerũt, nam petrarum ſciſſuræ, & mortuorum reſurrectio, in terra ſunt edita, non in cœlo, quin & in mari miracula exhibuit, nihilominus hactenus vos Iudæi in veſtra cæcitate perſiſtitis. ¶ Porrò obijciet quiſpiam. Si ergo Dominus miracula edidit in cœlo, cur apud Marcum ait. 8. Generatio hæc ſignum quærit? Amen dico vobis ſi dabitur generationi huic ſignum, ſubaudi, de cœlo, quod ipſi petebant. At verò non hoc ſolum ſignum de cœlo dedit, quin etiam Ioannis. 12. Vox audita eſt de cœlo dicens, Et clarificaui, & clarificabo, & Matthæi. 3. Vox exonuit de cœlo dicens, Hic eſt filius meus dilectus. Et aſcendens in cœlum ſignum dedit de cœlo: & mittens Spiritum ſanctum ſub Pentecoſte ſignum exhibuit de cœlo: factus eſt enim repente de cœlo ſonus acto. 2. Cæterum hæc ſigna, cœleſtia non ſunt edita propter Iudæorum petitionem, quibus profuerunt nihil, vel cœleſtia vel de terra miracula. Vnde Dominus, Si dixero vobis terrena non creditis mihi, quomodo ſi dixero cœleſtia credetis? ſignificans, quod ſi miracula quæ erant de terra, non erant recipienda, multo minus miracula, quæ erant de cœlo probanda forent. Quippe minori patent calumniæ, quæ manibus verſamus noſtris, & oculis videmus, quæ ſunt terrena, quam ea, quæ longe abſunt à ſenſibus noſtris quæ ſunt cœleſtia. Exhibuit igitur miracula de cœlo Dominus in cruce pendens, non ad profectum Iudæorum, quibus ſciebat ex ſuo odio, plus nocitura, ſed ad profectum vniuerſi: vt ex illis vniuerſi fideles, diſcerent, Chriſtum crucifixum eſſe vniuerſorum Dominum, quando vniuerſum immutat ordinem ſuum, & à ſuo inuiolabili alteratur ordine, videns Regem vniuerſorum appenſum in cruce inter duos latrones collocatum, quaſi inſigniorem habentem iniquitatem, qui erat alioqui fons totius ſanctitatis. At verò obijciet quiſpiam, Quid eſt, quod pſaltes prædixit, Dederunt in eſcam meam fel? iſtud enim nuſquam legitur in euangelio quod Dominus fuerit cibatus felle. Porrò hic ſermo, ad mortem & paſsionem Domini venit referẽdus: ſiquidem hic eſt cibus, quo cibarunt Iudęi Dominũ. Qui alioqui cibus eſt, ſed vitę corruptio, at ironicè à vate cibus vocatur: quaſi dixiſſet nomine Chriſti. Videte quẽ cibũ mihi offeretis veſtro regi, & Chro, flagella, ſputa

Conciliatio ſcripturæ.

Chriſtus edĩdit miracula in cœlo, & in terra, & in mari.

Domin⁹ ſub morte ſua edidit miracula de cœlo, & de terra.

Iudæorũ lapidea duricies.

ignominiamque crucis. Nanque cibus per metaphoram, ad alia, quæ non sunt cibus sæpe transfertur. Iob. 10. Non leuabo caput saturatus afflictione & miseria: vbi afflictio, & miseria cibus per ironiam appellatur. Et rursus Psal. 77. Cibabis nos pane lachrymarum. Quia ergo Dominum Iudæi innumeris affecerunt iniurijs, & opprobria & crucē illi subministrarunt, quæ fuerunt amarissima, sicut fel, hac ratione prædixit psaltes, sub Christi persona, Dederunt in escam meam fel: hoc est, Hic est cibus, quo me cibastis, amarissimis, scilicet, flagellis, turpissimaque morte. De amaritudine autem vini Christo propinati extat illud Deu. 32. Fel draconum vinū eorum, & vua eorum vna fellis: & botrus amarissimus. Et Thren. 3. Hieremias etiam agens Domini personā, ait, Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio: & rursum, Circumdedit me felle. Enimuero synagoga repleuit Dominum doloribus, & contumelijs, & inebriauit eum absynthio: est autem inebriare aliquem, eum multo replere vino. Quia ergo Dominum repleuerunt omnibus subsannationibus, & probris, quibus potuerunt, hac causa ait, Inebriauit me absynthio. Absynthium autem est herba amarissima: quare inebriare absynthio, est replere omnibus amarulentijs. Et apud Esaiam. 5. hoc idem insinuatur verbis illis, quibus Esaias, exprobrat Dei nomine vineæ, ideſt, synagogę ingratitudinē in Deū plātatorem. Expectaui, ait, vt faceret vuas & fecit labruscas: sunt autē labruscę vuę siluestres acidissimę. Dominus igitur veniēs in Iudæam expectauit fidem, & amorem Iudæorum sibi debitum, quia erat Dominus vineæ: at vero non hos dulces fidei & amoris exhibuit synagoga fructus, sed acidissimos passionis, & mortis, intulit Christo fructus. Vnde ecclesia in paraſceue de synagoga canit in persona Christi, Plantaui te vineam meam speciosissimā, & tu facta es mihi nimis amara: aceto nanque sitim meam potasti, & lancea perforasti latus saluatori tuo. O perfidi Iudæi, cur ingratissimi estis Domino, qui vos in deserto mirabiliter aquis potauit vberrimis? Cur modo aceto sitim eius extinguere curatis, & qui melle vos satiauit, cur modo felle cibare curatis? Ante crucē igitur Domino propinatur vinum felleum, & gustatur à Domino, & reijcitur. In cruce propinatur acetum, & gustatur & reijcitur, cur ita? Nempe, quia amara, & acida ineptа sunt potationi: aut verius, quia acerbitatem passionum, & amaritudinem mortis gustauit Dominus, sed continuo reiecit. Ad Heb. enim. 2. Apostolus ait Christum pro omnibus gustasse mortē: non ait, comedisse, sed gustasse. Mali enim cibi, vt sunt amara, & acida gustata protinus reijciuntur. Dominus autē breuissimè à se reiecit, & passionū acerbitatem, & mortis suæ ignominiā, quia triduo iacens in sepulchro, statim gloria & lætitia resurrectionis suæ mortis dolorem à se profligauit. Ex enarratione autem Marci, innuitur hanc aceti porrectionem, fuisse paulò ante, quam Dominus expirasset. Etenim postquam denarrauit acetum fuisse illi oblatū à quodam dicente, Sinite videamus, si venit Helias, ad deponendum eum, continuo subiecit, Iesus autē emissa voce magna expirauit. Et Ioannes idem commemorat, Cum accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum. Et quanuis Ioannes nō referat magnitudinem vocis, ex qua clamauit dicens, Eli, Eli, lamazabathani, cæterum Marcus, & Matthęus illam expressērunt, vt nos docerent Dominū sponte emisisse spiritum, sub cuius potestate erat tum emittere, vel non emittere. Et ad hoc insinuandum scripserunt tres euangelistæ voce magna expirasse. Etenim qui in eo mortis articulo sunt non possunt vocem magnam proferre, laſescentibus viribus, collapsisque neruis, & arterijs: at vero Christus, ex virtute diuinitatis hanc vocem magnā moriens protulit. Ioannes verò idem voluit insinuare dicens, Inclinato capite tradidit spiritum. Etenim proprietatem si obserues, is solum propriè tradit suum spiritum, qui sponte tradit: nanque nos quando morimur non tradimus spiritum, sed potius ex mortis violentia aufertur à nobis vitę nostræ spiritus. Ex quo fit Ioannem dicentem Christū tradidisse spiritum, hoc voluisse subnotare sponte quādo sibi placuit emisisse Christum

Dominꝰ cur dicatur inebriatus à Iudæis amaritudine & absynthio.

An diuinitas fuerit separata à corpore Christi in morte.

ſtum ſpiritum. Interim memineris Ambroſium lib. in Lucam. 10. verba quædam protuliſſe dura diuinitatem ſeparatam fuiſſe à corpore Chriſti, in cruce pendẽtis: hacque ratione expoſuit Chriſtum fuiſſe derelictum à Deo. Quia inquit, Præſente diuinitate quæ vita eſt, corpus amittere vitam nequibat. Vnde etiam videtur fouiſſe errorem Apollinaris credentis diuinitatem eſſe vitam formalem corporis Chriſti, vnde ait, Clamauit Ieſus voce magna, dicens, Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? clamauit homo, diuinitatis ſeparatione moriturus. Nam cum diuinitas, mortis libera ſit, vtique mors eſſe non poterat, niſi vita diſcederet: quia vita diuinitas eſt. Hoc idem Hilarius cano. 33. in Matth. videtur ſcribere in hæc verba, Clamor ad Deum, corporis vox eſt, recedentis à ſe verbi Dei conteſtata diſſidiũ. Deniq; cur derelinquatur exclamat dicens, Deus meus, Deus meus quare me reliquiſti? Fuit quoque hoc æuo quidam qui in ſuis ſcriptis hoc dogma probatum habuit: at verò iniuſtiſsimè probauit, ſiquidem, ſi diuinitas eum dereliquit in ipſo mortis articulo, vtique Chriſtus non ſatisfecit de rigore iuſtitiæ, pro peccatis totius mundi: nanque valor ſatisfactionis ab vnione diuinitatis pendebat.

Dura verba Hilarij.

Diuinitas nõ fuit ſeparata à corpore Domini neque ab anima Domini in morte ſed ſolum à toto coniũcto ex anima & corpore.

¶Præterea, ſi tunc relictum eſt corpus ſine vnione diuinitatis, nunquid etiam deſeruit diuinitas, etiam animam Chriſti? Etenim ſi corpus deſeruit, itẽ & animam deſeruiſſe quis vetabit. Vnde fiet quod neque anima Chriſti deſcendens ad inferos potuiſſet eruere animas ſanctorum patrum, ſi deſtituta erat conſortio diuinitatis: neque corpus potuit aſſeri ab omni incineratione, ſeu corruptione, ſi diuinitas aberat.

¶Quod ſi dixeris, ab anima non abfuit, ſed à corpore abfuit, quia anima dignior eſt corpore: ſed quid, etiã ſi dignior eſt, cæterum tam eſt pars eſſentialis hominis, anima, quam corpus, & contra.

¶Ad hæc ſi deſtitutum fuit corpus diuinitate, igitur in reſurrectione nouè eſt vnitum verbum Dei corpori, & ita concedendum erit bis fuiſſe vnitum hipoſtaticè humanitati Chriſti diuinũ verbum, duplicemque oportebit fateri incarnationem diuini verbi, quod eſt hæreticum.

Hæreticum eſt aſſerere diuinum verbũ fuiſſe bis incarnatum ſemel ante mortem, & iterum poſt mortem corporis aſſumpti.

¶Hilario, & Ambroſio reſpondebis eſſe intelligendos, de ſeparatione quo ad protectionem, vt lib. 3. Senten. diſt. 21. Magiſt. exponit. Quod ſi hoc gloſſema putas non eſſe ad mentem horum ſanctorum ſcito, Theologorũ eſſe dogma, quod Damaſcenus ſcripſit. 3. de fide, Quod ſemel Dei verbum aſſumpſit nũquam dimiſit: ſi non ſecundum totum, ſecundum partes ſaltem nunquam dimiſit aſſumptam humanitatem. Quamobrem, quia hæc eſt eccleſiæ doctrina catholica, huius definitioni potius ſtandũ eſt, quam placito vel Hilarij, vel Ambroſij, vel cuiuſuis alterius ſancti doctoris. Clamor ergo Domini Eli, Eli, lamaſabacthani, ex quo conqueritur ſe eſſe derelictum â Deo, eſt intelligendus ſolum de derelictione quo ad protectionem, & conſolationem: id quod Dominus prædixerat futurum dicens, Hęc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum: nã Deus dereliquit Chriſti corpus, vt hoſtes Chriſti facerent quæcunque in eo vellent. Ambroſius tamẽ eſt ſecutus lectionem. 70. interpretum, apud quos legitur, Deus, Deus meus reſpice in me. At verò nõ ſic legitur Hebraicè, in Pſal. 21. vnde deſumpſit Dominus verba præhabita, ſed Deus meus, Deus meus cur dereliquiſti me? Verũ verba aliter Hebręus aliter Chaldęus profert. Hebraicè enim habẽtur hoc modo, Eli, Eli, lamazabathani, Chaldæus autẽ, Eli, Eli, lama ſabacthani. Et hoc modo protulit Matthæus ex Chaldaica lingua potius quã ex Hebræa. Siquidem poſtquã Iudęi reuerſi ſunt in Iudęã ex Babylonica captiuitate, plura miſcuerũt ex Chaldæa lingua in linguã propriã. Et ideo eſt credẽdum Dominum protuliſſe verba hæc Chaldaicè, potius quam Hebraicè. Et Matthæus ſcripſit eodẽ modo, quo Dominus protulit, Vt nos doceret, vnde milites aſſiſtentes arripuerunt occaſionem dicendi, Heliam vocat iſte. Milites enim neſcientes linguam Hebraicã audientes Dominum, Eli, Eli, crediderunt Dominum implorare ſibi præſidia magni quondã Heliæ prophetæ. Marcus verò ſcripſit, Heloi, Heloi. Sunt qui putant vitio hoc tribuendum ſcriptorũ,

quia Marcus nõ scripsit, nisi quod Matthæ. Eli, Eli. Cæterum Heloi apud Hebræos, etsi raro reperiatur in singulari, at vero aliquando reperitur, & eiusdem significationis, quod Heli: significat autem El, Deum, & propter affixum Heli significat Deus meus. Vnde sunt quatuor verba in clamore Christi primum, Deus meus, dein, Deus meus: tertium, cur, quartum, dereliquisti me? Pater sanè est Deus Christi, quia essentia patris est essentia filij, & Deus est Christi, quãtum ad humanitatem assumptam, quia Deus est humanitati vnitus in vnitatẽ personæ. Hic autem clamor etsi est Christi, non sanè est secundum diuinitatem: hæc enim nõ poterat auxilium à se Deo petere, quia ipsa pati nõ potest. Et Christus quatenus Deus, est vnum cum patre, & est verè Deus, ideo impossibile est, quod relinquatur à Deo, quia derelinqueretur à se ipso: id quod inuoluit contradictionem. At est clamor secundum humanitatem, cui erat secundum hypostaticam coniunctionem coniuncta diuinitas. Excedebat autem captum hominum, quod huiusmodi humanitas eleuata ad diuinum esse personale diuini verbi derelinqueretur à Deo, vt tot iniurijs, & subsannationibus, impiorum hominum, & demum turpissimæ morti pateret: Quocirca Christus clamat dicens, Deus meus, &c. quasi admirans quod sua humanitas fuisset à Deo derelicta tunc: tu subaudi, quo ad vitã corporis, quia anima Christi nunquam fuit derelicta, quæ refertissima erat diuina beatitudine & ideo gaudẽs summo gaudio. Cum ergo ait, Cur dereliquisti me, non est ignorantis causam, quippe sciebat Christus corpus suum fuisse id temporis derelictum, vt mortem subiret tẽporalem, & morte sua pararet vitã æternam credentibus: & opprobrijs suis, honorem conciliaret fidelibus æternũ. In modico quidem derelicta fuit caro Christi, at mox fuit in maximis miserationibus congregata Esa. 54. At vero, est admirantis, tantum sacramentum, quod Deus disposuerit corpus sibi vnitũ, tot permittere iniurijs impiorum ob humanam salutem.

¶ Deus autem est Deus Christi & Deus noster: vnde ait, infra. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Est enim Deus pater Christi, natura, noster vero est pater ex gratia: est rursus Deus Christi, per hypostaticam vnionem, est autẽ Deus noster per creationem, & charitatis affectum. Amor enim quæ communia sunt, vocat sibi propria. Deus est pater Christi, & noster vel de diuerso modo.

¶ Demũ circa hæc verba aduerte quod communiter scribitur Eli, sine spiritu, at vero Græci scribunt cũ spiritu ἠλί Heli. *Cum ergo accepisset Iesus acetum.* Hoc acetum fuisse impositum arundini vel calamo Matth. & Marcus dixerunt, vt Domino in cruce pendenti ministraretur. Ioannes meminit hyssopi. Hyssopo inquit, circumponentes. Quod enim dixerat Matthæus, Acceptam spongiam impleuit aceto, Ioannes ait, hyssopo circũponentes. Et quidem non est hoc intellectu perspicuum: siquidem hyssopus, herba quædam est exigua, quæ non poterat continere acetum ministrandum Domino. Sunt qui putant calamũ fuisse ex Hyssopo quia apud Hebræos, est procerior hyssopus, quam apud nos. Verum quî vocatur arundo? Nam si demus ramos habuisse sublimes hyssopum ibi, non tamen aliquis dicat esse arundinẽ, alij putant hyssopum fuisse venenum, sed gratis. Aut dicamus quod spongiam imponentes arundini ligarunt eam arũdini, simul cum hyssopo: cui circumposuerunt acetum. Hyssopus autem Exodi. 14. præcipiebatur leprosis afferenda. Puto autem istos, qui hyssopum simul ligarunt cum spongia, ad subsannãdum amplius Christo feciſſe, quasi eum vilipendentes vt leprosum. Et impletũ est, quod Esaias. 53. vaticinatus fuerat, Et nos putauimus eũ quasi leprosum. Etenim Christo administratur herba, quã leprosi afferebant in sua emundatione. Sunt qui existiment acetum oblatum Domino, vt citius moreretur: quia acetũ ex sua vi penetratiua accelerat mortem vulneratis. Et indicat Plutarchũ Erasmus, qui in vita Marc. Antonij, dicit vinum fuisse M. Antonio datum, quo celerius ex vulnere moreretur, quod ea res mortem acceleret: siquidem eadẽ est vis penetrandi vino, & aceto: idque indicat obiter & Hiero. cũ ait, hunc edisserens locum, vt eum consopiant. Porro

cum

cum vinum lætificet cor hominis, quomodo ipsum acceleret mortem non video, nisi mixtum ministretur, cum veneno, vel alio quouis accelerante mortem. Acetum autem si habet vim calefactiuam, vt Arist. placet. 33. sectio. proble. 5. non inde habet vim accelerandi, vt neque vinum. Si vero habet vim frigefactiuã, non ex eo accelare potest, magis quam aqua, quæ frigiditate etiam pollet. Ex vi autem subtiliãdi, quia partes aceti sunt valde subtiles, vt Gale. est author lib. 1. simplicium medicamentorum, etiam ex hac tenuitate non habet accelerare mortem, nisi illi infundatur aliud habens vim hanc. Quod verò sanguinis fluxus acetum cohibet, quodque vim habet constrictiuam, forsan mouebit aliquẽ, vt hinc sibi persuadeat, vim habere consopiendi. Cæterum non inde consequens est habere vim acceleran di mortem, ex hac sua refrigeratione, & constrictione, nisi in magna daretur quã titate, vt obtunderet, vel extingueret na tiuum calidum.

¶ At vero Domino non poterat propinari, nisi modicum acetum: siquidem si esset copiosum nõ posset in exigua spõgia sursum per arundinem leuari.

¶ Existimo igitur hanc ministrationem aceti non fuisse, vt celerius moreretur Dominus, quam debuisset ex tormẽtis mori, tanta enim rabies erat militum & Iudæorum in Christum, vt neque hoc quod videtur nonnullæ esse si exhibere tur commiserationis in Christum sit illis tribuendum: sed potius ad illusionẽ Domini, vt suum furorem magis exple rent contra Christum non exhibuerunt sitienti, & petenti potum extinguendę siti accõmodum vinum, vel aquam, sed vinum felle mixtum, & acetum, vt gustum Domini offenderent impendiò: quasi verò non satis fuerat illis, acerbissi mè in multis alijs offendisse, & læsisse Dominum, studuerunt etiam linguam absconditam, sub labiorum, & dentium repagulis, offendere, amarissimum vinum acetum porrigentes. Nanque omnes Christi sensus læserãt: isti tactum flagellis, visum læserant se carnifices præsentando eius conspectui: auditum læserant opprobria in eum iacientes: olfactũ ex Caluariæ loco, qui erat cadauerum sepultura. Denique, vt nullum lapidem non mouerent gustus molestiam nõ modicam inferunt illi propinantes primo vinum felle mixtum, & postremo acetum. *Dixit consummatum est.* Quæ scripta erant de Domini passione, & morte tum consummata sunt, hoc est, impleta. Apud Lucam non legimus quod dixerit Dominus, Eli, Eli, &c. sed, Pater, in manus tuas commendo spiritũ meũ, ex Psal. 30. Ioannes item non meminit verborum prædictorum, sed solum, Inclinato capite tradidit spiritum. Verum Lucas, verba clamoris Christi legerat apud Matthæum, & Marcum, ideoque illa suppressit, itidemque Ioannes: porrò Lucas adiecit, quæ alij non expresserunt. Cæterum quia Matth. & Marcus bis tradunt Dominum clamasse voce magna. Primus clamor fuit ille, Deus meus, &c. Secundus clamor fuit, quando expirauit. Verba huius secundi clamoris fuerunt quæ Lucas commemorat, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, nam hæc clamans expirauit. Verum post primum clamorem, acetum fuisse Domino porrectũ ex Matthæo & Marco colligitur. At sub secundo clamore Dominus emisit spiritum: tametsi Ioannes videtur referre accepisse acetum post secundum clamorẽ, quia ait, Et cum accepisset acetum inclinato capite tradidit spiritũ. Quod si hoc modo res gesta est, Matth. & Mar. per anticipationem sunt intelligendi: nisi dicamus modicum interfuisse interuallum inter secundum clamorem, & primum, vt reuera interfuit, & quod modicum distat nihil distare videtur: ideo Ioannes meminit Christum post acetum tradidisse spiritum. Hora igitur sexta fuit Dominus crucifixus, & tenebræ factæ sunt ab hora sexta ad horam vsque nonam, vt Matthæus, vel circa horam nonam, vt Mar. Lucas autem fere hora sexta tradit tenebras has suum habuisse exortũ. Cęterum quia quod prope est reputatur iã esse, ex vulgato sermone, ideo nihil interest quod dicatur hora nona, vel circa horam nonam.

Concordia Euãgelistarũ

¶ At sublatis tenebris, Dominus clamauit voce magna dicens, Eli, Eli, &c. Et tum illi propinatur acetum, cum improperio dicentium, Sinite si veniat Helias

ad

ad deponendum eum. Dein rursus clamore magno clamat dicens, Pater in manus tuas commendo spiritum meũ. Neque te moueat. Quod apud Matth. scribũtur verba hæc, Sinite videamus, dicta fuisse ab alijs, non ab ipso offerente acetum: refert enim, Cum quidam obtulisset acetum Domino, cæteros dixisse, Sinite videamus. At verò Marcus offerentis esse verba tradit: sed hæc nihil habẽt dissidij, vtrunque enim, vt testatur Augustinus contingere potuit.

Concordia Euãgelistarũ

Si tenebræ sub Domini morte fuerũt ex solis deliquio.

¶Porro de tenebris istis, non vsquequaque est conuentum inter authores, si solis fuerint ex deliquio, an potius ex densissimis nubibus soli obiectis, quales fuerunt olim apud Ægyptios, sub Mose: Quas legimus triduo durasse, Ægyptijs quidem nocuisse, filijs autem Israel sub luce clara agentibus nihil impedimenti obtulisse.

¶Conueniunt sanè catholici tractatores tenebras hasce miraculosas fuisse: verũ, non omnibus constat, eclypsim solem passum tunc fuisse: siquidem scriptura non meminit solis, dicens solẽ fuisse obscuratum, sed tenebras factas esse super vniuersam terram.

Exod. 10.

¶Rursus, quia sub passione, non erat tẽpus coitus luminarium, ideo non fuit tunc eclypsis. Postremò, quia si fuissent tenebræ super vniuersam terram ex solis deliquio, Ethnici, huiusmodi celeberrimam scripsissent eclypsim: at memorię non est prodita apud eos. Hanc amat sententiam Origenes, homi. 35. in Matthæum propter rationes commemoratas. Addens huiusmodi tenebras non fuisse generales toti orbi, sed solum Hierosolymis, vel ad maximum super totã Iudæam. Probat, quia alia etiam prodigia, quæ tum acciderunt miranda, vt terræ motus petrarum diruptio, monumẽtorum reseratio, non fuerunt generalia in orbe: quia si fuissent in Aethiopia, & India, & Scithia, &c. sentirentur, & memorię proderentur: at vero in chronicis ethnicorum non sunt prodita. Neq; oppedit, quod Euãgelista dicat factas fuisse super omnem terram, quia intelligitur, de terra, de qua est mentio. Vnde simile est quod. 3. Reg. scribitur Abdiam dixisse Helię, Viuit Dominꝰ, si est gẽs, aut regnum vbi nõ misit Dominus quærere te. Non enim de omnibus regnis aut gentibus est intelligendus locus hic, sed solum de regnis & gentibus illius prouinciæ. Et mirari subit, cur Origenes Græcus author, non meminerit Dionysij Areopagitæ, mentionem luculentam facientis eclypsis solaris contingẽtis, vt sub hæc dicemus. Cyprianus autem tenebras has non nubibus, sed solis deliquio tribuit: sermo. de resurrectione dicens, Quem non fragor ille mundi terreret, quando terra tremuit, sol expalluit, & radios lucis suæ contenebratus abscondit? Idem Ephrẽ Edissenæ ecclesiæ diaconus serm. de pass. Domini. Ita inquit, Lucidus sol exalto cœli axe contumeliam Domini in cruce pendentis conspiciens immutatus est facie contraxit lucis suę igneos radios. Iniuriamque Domini videre non sustinens mœrore se vestiuit & tenebris. Chrysostomus etiam solarem obscuritatem ex radijs retractis tunc accidisse credit, & vniuersalem fuisse toti orbi. Et Plegonem indicat Origenes prodidisse sub principatu Tiberij Cæsaris eclypsim solis accidisse notabilem: at vero subdit non scripsisse, accidisse sub oppositione luminarium: quod oportuisset tradere, vt fidẽ faceret, eclypsim solis tunc fecisse tenebras has. Augustinus autem. 2. lib. de mirabilibus scripturæ, commemorat in terræ motu dominicæ passionis vndecim in Thracia, vrbes corruisse. Quod si hoc solidæ esset authoritatis testimonium, prompta erat responsio ad Origenem. Cæterum liber hic laborat authoritate, quippe quia à multis creditur non gaudere tanto authore, quanto titulus præfert. ¶Dionysius autem in epistola ad Policarpum testatur se vidisse, cum esset Hierapoli vrbe AEgypti cum Apollophane mirabilẽ & præter naturæ cursum solis eclypsim. Quia cum esset tempus oppositionis, eum nihilominus lunam vidisse se coniunxisse soli. Et post quam conuersus fuit opera beati Pauli ad fidem Christi cognouisse hanc eclypsim fuisse sub Domini morte.

Placitũ Origenis de vniuersalibus tenebris sub passione accidentibus.

¶Porro autẽ ex astronomis didicimus lunam, nunquam posse obscurare solem prorsus: sed solum aliquantam partem eius. Enimuero luna multis partibus est sole minor, opacum autem corpus minus,

nus, non potest obscurare luminosum maius ex toto illud priuans luce. Potest sanè coniunctio lunæ obscurare solem, quo ad aliquam prouinciam: verũ quo ad totum hemisphęrium, vt sit toti hemisphęrio occultus sol ex lunę coniunctione, fieri nequit. Et ita accidit semper: quando enim apud nos verbi gratia, accidit deliquium solis, apud alios, non accidit, sed sol apud eos luce sua rutilat. Luna sanè tota sæpe deliquium suę lucis patitur, quippe lunam obscurat interposita terra, inter ipsam, & solẽ. Quare cum luna ingreditur pyramidem vmbræ terræ, tum patitur deliquium suæ lucis: terra enim est corpus opacũ, multo maius, quã sit lunæ globus: ideo prorsus poterit obscurari.

Sol prorsus ex cõiunctione lunæ eclypsari nequit.

¶Quamobrem, si ex coniunctione lunę cum sole sol non poterat pati prorsus deliquium, non poterant ex illa coniunctione exoriri tenebrę super vniuersam terram. Quorsum igitur, erat immutandus ordo luminarium, si illa immutatio non poterat vniuersales inducere tenebras. ¶Et quidem si authentica esset illa epistola Dionysij ad Policarpum Origenes eiusdem mentionem fecisset aut Chrysosto. qui tamen in sermone quodam de passione Domini ait, Non potetat creatura iniuriam ferre creatoris: vnde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora: idem Hiero. testatur. Apud hos igitur authores fuerunt tenebræ istæ causatæ non à coniunctione luminarium, sed quia diuinitus sol retraxit radios suos, idest, Deus non concurrit cum sole, ad illuminãdum orbem, vt quondam non est cooperatus cum igne Babylonicæ fornacis, vnde nõ sunt deusti pueri in eum cõiecti. Ait autem Origenes fuisse in quibusdã codicibus euangelicis scriptum, Et tenebræ factæ sunt super vniuersam terram deficiente sole: & hoc vltimum esse adiectum testatur: quia non est de textu. Et hoc verum est, non esse in textu euangelico: cæterũ qui adiecit expositionis gratia adiecit. Erasmus in annotatio. ad Matth. it in Origenis sententiam, credens tenebras has non fuisse vniuersales, super totum orbem, sed ea ratione esse habendum hũc sermonem, quo ille, Exijt edictum à Cęsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, scilicet, qui parebat Romano imperio. Vnde hac ratione cũ ait, Matt. super vniuersam terram factas esse tenebras, est intelligẽdum, super vniuersam terram, de qua fit mentio, scilicet, Hierosolymorum terram. Putat item Erasmus, epistolam hanc Dionysij esse falsõ illi ascriptam, vt post eũ Caietanus credit comm. ad Matth. nullam esse dicens scripturam authenticam, quæ hoc indicet, obscurationem illam fuisse ex coniunctione luminarium.

¶Theophilactus autẽ tradit iuxta Chrysosto. eclypsim illam fuisse in toto mundo, verum non ex coniunctione luminarium accidisse, quia, tunc luminaria gerebant se oppositа. Erat enim paschale tempus, quod. 14. luna celebrabatur à Iudæis. Tertullianus in suo apologetico. cap. 22. de passione Domini scribens ait, inter alia, Eodem momento dies, medium orbem signãte sole, subducta est. Deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt: & tamen mundi casum relatũ in archiuis vestris habetis. Vnde insinuat fuisse vniuersales has tenebras, quia dicit, mundi casum. Et Nicephorus lib. 1. histo. eccles. cap. 31. huiusmodi commemorans tenebras, hæc scripsit, Tenebræ densæ, & prope contrectabiles, à sexta vsque ad horam nonam: sol nõ ordine, aut ratione naturæ, sed quod creatori compateretur, per deliquium extinctus & rursus relucens.

Iudæi putauerunt hasce tenebras fuisse ex deliquio solis naturali secundum Tertullianũ.

¶Ex quibus mihi videor citra lęsionem temen alterius placiti, dicendum, tenebras hasce fuisse ex solis defectu luminis, Deo non cooperante soli ad lucem suumque generalem subtrahente ad illuminandum orbem concursum. Vnde fuisse crediderim in toto nostro hemisphęrio, has offusas tenebras: quia fons luminis sol, extinctus erat: siquidem Christus qui erat verus sol iustitiæ, veraque lux, quæ in mundum venerat, obscuratus erat in cruce pendens. Et enim non video, quid opus vt fieret illa immutatio luminarium, vt deliquium solis fieret per coniunctionem, quandoquidem poterat citra coniunctionem accidere, & sub coniunctione, etiam num non poterat nisi ex nouo miraculo totus sol obscurari. Quorsum ergo tot miracula sunt asseren-

asserenda, ad id quod vnico miraculo fieri poterat? Ad hæc quando hæc videbat Dionysi. in Ægypto, num erat sol obscuratus iam vel nõ erat obscuratus, sed sua clara luce nitebat. Si erat obscuratus, nõ poterit lunę motus ab oriente venientis ad coitũ cum sole & tamẽ author epistolę ad Policarpũ testatur, se vidisse motũ lunæ ab oriente ad coitũ cum sole medium cœli tenente. Si autẽ sol non erat obscuratus, sed clara luce micabat, vt micabat ante coitum: igitur neq; tunc poterat luna videri, veniens ad coitũ: quia à radijs solis tegebat. At author hic testatur, vt dicebã dudũ vidisse lunã ab ortu se mouente ad solẽ versus, quod videtur impossibile. Non hæc dixerim, vt quid quã velim detrahere epistolã cõmemoratã, si tamen est Dionysij Areopagitæ: fieri enim potest, quod mentiatur authorem. Quid quod puto has tenebras subito offudisse orbẽ: si vero ex coniunctione fuissent luminariũ paulatim irreperent orbi. ¶Qui verò voluerit eã obseruare tanquã Dionysij Areopagitæ, obseruet vt volet: diximus enim, quod nobis videtur probabile, non intendentes vulgatiori sententiæ detractum iri.

Tenebrę sub passione Domini subito effuderunt orbẽ vt miraculum aduerterẽtesse.

¶Origeni autẽ, etiã si quo ad hanc rationẽ subscribamus, subscribẽdũ nõ censuimus dicenti, nõ fuisse vniuersales tenebras: quia nõ sunt in chronicis gẽtiũ memorię proditę. Vtiq; argumẽtum nõ est multę efficacię: siquidẽ neq; quod sol & luna steterint in cœlo sub Iosue. 10. quãuis ab ethnicis authoribus nõ est memoriæ proditũ, aut si proditũ fuit, non extat, quia maxima antiquitas rerũ gestarũ, etiam libros ipsos, vbi refertur, delet. Et quanuis alia prodigia solũ gesta dicamus Hierosolymis, non subinde conficitur, tenebras itidẽ, solũ ibidẽ fuisse sparsas: siquidẽ de alijs prodigijs, non scribitur ab Euangelistis, esse facta super vniuersam terrã, vt de tenebris scribitur. Et aliud est de tenebris Ægypti, quę solum occuparũt AEgyptũ, aliud de tenebris istis: siquidẽ istæ fuerunt factę vt testaretur omni orbi, ipsum verũ solẽ iustitiæ pati deliquiũ in cruce, & tunc abscõdisse radios suę diuinitatis, se permittẽs tot iniurijs, & ignominiosæ morti: at tenebræ AEgypti, solũ fuerunt inductæ ad confusionem infidelitatis Pharaonis, & AEgyptiorum, & ideo sufficiebat eas AEgyptũ replere. Et fortasis non totã AEgyptũ, quæ latissima est, repleuerũt istæ tenebræ, sed solũ regiã, vbi erat Pharao, ciuitatẽ, & confinia. Ioannes porrò de tenebris istis nullã mentionem fecit, quia aduertit, ab alijs tribus Euãgelistis expressas fuisse. Hinc iã tu perpẽde quãta sit durities humani cordis. Viderunt AEgyptij horribiles tenebras, & in sua rebellione contra Deũ perstiterunt: viderunt Iudęi, & milites gẽtiles tenebras terribiles subito offendisse terrã, & nihilominus obstinantur vehementius, & ablatis tenebris sitienti Christo acetum & opprobria propinarunt. Postquã autem Dominus voce magna emisit spiritum, tenebris iam dissolutis, alia edita sunt insignia miracula, quæ Matthæus denarrat, videlicet, velum templi scissum est, in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissę sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt. Verum multiplicatis à Deo prodigijs terribilibus, Iudæi non destiterunt, sed auxerũt suã perfidiam. Vnde dixerunt, Domine recordati sumus, quod seductor ille dixerit, &c. Et postquam conspexerũt mortuum Dominum, lancea vnus assistentium latus eius aperuit: quasi vero, non satis illis fuerat, quod contra viuum admiserant sceleris, nisi adhuc etiam mortuo (cum alioqui â morte debuisset cessare omnis liuor) iniuriam nouam inferunt, aperiendo lancea latus eius.

Durities humani cordis expenditur.

ENARRATIO. III.

In caput decimumnonum.

¶*Iudæi ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato (Erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura: & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, & vt vos credatis.*

ABSOL-

ABSOLVTIS iam quę passionem & mortem domini spectabant, vt ad gloriosam Christi sepulturam tractandam transiret inquit, Iudæos propter Sabbathinum cultum rogasse Pilatum, vt crucifixorum frangerentur crura, vt à crucibus tollerētur. Etenim ex lege sancitum erat Deut. 21. Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno: sed in eadē die sepelietur. Quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. Quanuis hæc legis constitutio Christum non comprehendebat, quia nihil fecit morte plectēdum, sed plexus est morte propter nos, qui multa fecimus, & facimus morte æterna nedum temporali plectenda. Iudæi autem quod alioqui tenebantur facere, etiam non exigente Sabbati festo, vt legis obseruantiam præseferant, profitentur se velle vt tollantur crucifixi à cruce propter Sabbati cultum. O miseros plane homines, qui tanti Sabbati religione petunt deponi à suspendio crucifixos. At verò non tangebat eos religio conditoris & domini Sabbati Christi: nam filius hominis, dominus est Sabbati. Enim vero, quæ ratio poscebat, vt conditorem, & dominum Sabbati crucis patibulo appenderent, in parasceue Sabbati, & ipsum Sabbatum pluris facerent, quam dominum Sabbati? quia propter Sabbati obseruantiam petunt, vt deponantur à patibulis crucifixi. Vnde rectè dominus de illis dixit, cæcos eos esse, qui excolantes culicem, deglutiebant camelum. Turpe autem esse ducebant quod in die Sabbati spectaculum illud triste supereſſet: maxime quia dies ille erat duplici nomine valde festiuus, & quia Sabbatum erat, & quia cōcurrebat cum azymalibus diebus.

Crucifixi ipso die erāt ex patibulis deponendi.

¶ Erat autem parasceue, feria sexta, ob id sortita nomen hoc, quia tum preparabantur duplices cibi, & qui eo die erant comedendi, & qui die Sabbati sequenti erant edendi. Videtur autem abfuisse milites & Iudæos à spectaculo illo crucifixorum. Etenim putantes adhuc viuere in patibulis, ideo petunt, vt frangantur eorum crura, id quod non putassent de Christo, si credidissent eum iam emisisse spiritum, alijs crucifixis superstitibus, Iudęi autem credentes omnes viuere, & quod omnium essent frangenda crura, ideo poscunt, vt permittatur militibus vt frangant eorum crura. Verum obtinentes petita à Pilato viuentes mihi tes primi latronis fugerunt crura, & alterius Iesu autem non fregerūt crura, quia mortuum eum inuenerunt, Deo hoc dispensante, vt beatissima membra non fragerentur, sed integra persisterent. Et impletum est quod multo ante Exodi. 12. adumbratum fuerat in agno paschali cuius ossa non erant ex Dei præcepto confringenda. Non hoc tamen prętęperat Deus, quia multum intererat, agnicuili illius ossa non frangere, sed vt longe ante, adumbrasset, quod futurum erat, in vero agno Christo. Quamobrem domini præcursor Christum non alia nomen elatione duxit appellandum, quam ex agno, dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi. Iesu ergo mortui iam non fregerunt crura, & viuentis clauis diris confixerunt manus, atque pedes, & spinis caput eius compunxerunt diuinū. Nihilominus, si crura nō fregerunt mortui, lancea latus eius apertum est. Græcè lancea latus eius fodit. Vnde eliditur error cuiusdam contēdentis latus domini esse fossum ante mortem, cum aperta sit scriptura hæc docens post mortem esse apertum Christi latus. Ad apertionem continuo exiuit sanguis, & aqua. Accidit nonnunquam quibusdam à morte sanguinem euomere: maxime si mors accidat ex superabūdante sanguine putrido, hic sanguis, si cadauer voluatur, euomitur. Etenim quia à morte, fuit vis regitiua corporis abolita, ideò sanguis hic carens iam retinaculo, continuo ad motum corporis mortui, eijcitur à corpore; quæ eiectio est, potius, quam vomitus, qui proprie solum est viuentium. Adhæc quidam testantur cadaueri interfecti ab hoste, hominis ad præsentiam interfectoris sanguinem per vulnera euomere, quod etiā si testatum esse asseuerent ab expertis, mihi non constat. Porrò autem sanguis hic non est verus sanguis, sed solum æquiuocè sanguis: dixit namque Aristo. 1. de part. animali

mali. in mortuo & viuo, nihil esse eiusdē rationis, sed solum nomen esse commune: siquidem caro mortui, vocatur caro, & sanguis, sanguis. Nam sanguinem suilum vocamus, & taurinum, & humanum, etiam post mortem horum: at non eadem ratione. Nam sanguis est optimus humorum, & est alimentum sanguineorum vltimum, verum sanguis mortuorum non est, neque potest esse mortuorum alimentum, vnde profluxit: sanguis autem Christi, qui ex punctura lanceæ profluxit fuit verus sanguis. Quamquam enim hominis mortui nullus est verè sanguis, vt Arist. meminit. 3. de hist. cap. 2. dicens sanguinis principium inuenire difficile, siquidem in homine mortuo, natura venarū principalium aboletur, & in homine viuo, est occultissima, cæterum ex Dei miraculo factum est, vt verum sanguinē profluēret Christi fossum latus ex lācea. Extat capitulum, in quadā de celebr. missarum. vbi fusè Innocentius, rem hāc prosequitur docens, hunc fluxum sanguinis atque aquæ, denotasse veritatem humanæ naturæ in Christo: siquidē. 1. Ioā. 5. Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis & aqua, vnde subdit, Intendens per hoc ostendere, quod Christus sit verus homo. Nam ad esse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet, corpus, & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit. Per hoc autē quod in articulo mortis, Christus inclinato capite tradidit spiritum, de quo voce magna clamauerat, Pater in manus tuas commendo spiritū meū, manifestè probatur quod ipse spiritum habebat, non solum flatum vitalem, sed animam rationalem, de qua prędixerat. Tristis est anima mea. Et infra, Per hoc autem, quod vnus militum lancea latus eius aperuit, probatur apertè, quod verum corpus haberet, non de phantastico corpore nec sanguis, nec aqua potuisset exire & reliqua. Itaque spiritus quē emisit Dominus expirans in cruce iuxta Innocentium testatur Christum vere animam rationalem habuisse: sanguis vero & aqua testantur Christi corpus verè animatum corpus esse. Probat autem illam aquam profluentem tunc veram esse aquam, & non humorem flegmaticum, qui solet ex mortuis defluere siquidem Ioannes testatur esse veram aquam dicens, Et qui vidit testimonium exhibuit. Verum igitur cum sit testimoniū Ioannis, nulla illi subest fallacia falsitatis. Secundo, quia hæc aqua regenerationis sacramentum subdenotabat: at vero si flegma profluxisset, regenerationis sacramentum non præsignasset: siquidem flegma non est materia alicuius sacramenti.

Sanguis hominis mortui non est propriè sanguis.

Quid sacramenti insinuēt sanguis, & aqua defluentia à latere Christi.

¶ Tertio, quia admiscetur in sacramento Eucharistiæ aqua, quia simul ex latere Domini profluxerūt sanguis, & aqua. Si autem illa non sint aqua vera, nō probabitur ex hoc profluxu sanguinis, & aquæ miscendam esse aquam in Eucharistia.

Argumenta Innocentij quibus probat verā effluxisse aquā ex vulnere lateris Christi.

¶ Quarto, quia hanc perforationem lateris Christi adumbrauit percussio illa petræ à Mose facta: vnde emanauit diuino miraculo, non flegma, sed aqua. Et demum absoluens rem hanc inquit, Restat igitur vt qualiscunq; fuit illa aqua, siue naturalis, siue miraculosa, siue de nouo ex diuina virtute creata, siue de componētibus ex aliqua parte resoluta, proculdubio vera fuit, cum naturaliter potuit compositum, in componentia, & elementatum in elemēta resolui. Quem admodū verus extitit sudor ipsius. Demum ait, In humano corpore quia quatuor sunt elementa, & quatuor sunt humores sanguis, flegma, cholera, & melancholia, vt Ioannes veritatem corporis Christi demonstraret, expressit ex elementis aquam fuisse in corpore Christi, & sanguinem, qui est alter humorum. Hæc autem duo sola ex omnibus expressit, quia hæc magis congruebāt mysterio Eucharistiæ, & baptismatis exprimendis.

¶ Cæterum hæc, quæ Innocentius, hoc capitulo docet, si paulo altius scrutētur, non vidētur facilia intellectu. Etenim dicet aliquis, Quid opus erat vberiori testimonio veritati corporis Christi asserendæ ex nouo sanguine, quandoquidem multum sanguinis fuderat Dominus ex flagellis, ex fixuris clauorum, ex spinarum puncturis. Hic enim sanguis, vidētibus astantibus, ex viuo, & nō phātastico defluebat corpore, naturaliter. Non ergo ad demonstrandam veritatē humani

humani corporis nouum emittere sanguinem ex latere suo. Rursus quia pura aqua elementaria non ingreditur imperfectorum mixtorum compositionem. Elementa enim non ingrediuntur secundum substantiam suam in mixtorũ compositionẽ, sed solum secundum suas virtutes, quæ sunt qualitates ipsorum calidum frigidum, &c. Ergo in aquam puram non poterat tum resolui corpus Domini, qualis est aqua elementaria. Fuerunt sanè philosophi, qui dixerunt elementa secundum proprias substantias ingredi mistorum compositionem, secundum tamen esse refractum, siue remissum, quã vt videtur modo sequitur Innocentius, quæ tamen â maiori parte philosophorũ non probatur. Item si ex corpore mortuo non potest emanare verus, sed potius putidus & corruptus sanguis, cum sanguis ille defluens ex latere Domini fuerit verus & syncerus vtique ex miraculo Dei factum est, vt ille defflueret ex vulnere. Quandoquidem homo mortuus est tanquam lapis: si autem ex lapide sanguis defflueret vel aqua manaret miraculo esset tribuendum nõ naturæ. Si ergo aqua miraculose manauit ex latere Domini, itidem & sanguis cur Innocẽtius tribuit hanc emanationem, compositi resolutioni? hæc nanque resolutio naturalis erat, & nõ miraculosa. Nam quanuis Innocentius videatur rẽ hanc dubiam trahere, si miraculo tribuenda est hæc effusio aquæ, an non: cæterum videtur post modum inclinare ad partem negatiuam, dicens elementata resolui in elementa: ideoque corpus Christi resolutum fuisse in aquã: & sanguis Christi itidem defluxit, quia est corporis humani humor. Quod si ille sanguis humor erat Christi, naturaliter defluxit, & non ex miraculo: siquidem naturaliter sanguis qui est in corpore, ex perforato corpore defluit.

Elementa nõ manẽt in mixtis secũdum substantiam sed solum secundum virtutes suas.

¶Rursus scriptura docet, Mar. 15. vidẽs Centurio, quod sic clamans expirasset, dixit, Verè filius Dei erat homo iste: igitur expiratio illa, siue emissio spiritus ostendit Christum esse filiũ Dei, & ideo hac ratione spiritus dedit testimonium diuinitatis Iesu Christi. Quanuis Cyprianus, ad Spiritũ sanctum retulit locum. Quippe Spiritus sanctus exhibuit testimoniũ de Christo, in die baptismi, Matth. 3. & per aquã baptismi aquã, vt per sanguinem martyrũ sanguinem intelligit. At in die mortis Christi sanguis, & aqua testimoniũ dederunt etiam diuinitatis Christi: siquidẽ, quod ex corpore mortuũ perforato lancea, verus sanguis defflueret, & vera aqua ex eodẽ foramine, & quod hæc non cõmixta defluerent, sed distincta virtutis fuit diuinæ: Quia si commista defluerent, esset sanguis dilotus, & aqua illi cõmixta nõ pura. Ioannes autẽ cõmendans, valde hoc miraculũ Deum se esse oculatũ tanti miraculi testẽ, facile insinuat, fuisse sanguinem meracissimum, & non aquosum & aquã purissimã, & non sanguine cõmixtam. Vnde Cyprianus sermone de passione Christi, De latere tuo, inquit, verba faciens cũ Christo, fons egreditur in vitam æternã prosiliens: & de eadẽ consubstãtialique origine, diuisis limitibus aqua, & sanguis emanãt: ad cõplemẽtũ perfectionemq; totius iustitię sacramenta in perpetuũ duratura. Et fontis illius, vbertas, per eum lapsa, totã ecclesiã irrigat, & fœcundat. Ex hoc fonte non tantum ablutionis primæ, qua initiãtur accedẽtes ad Christũ, vndas haurimus, sed & cõpunctionũ & lachrymarũ perẽnes effluunt riui, & misericordiarũ suauitas, & totius pietatis affectus manat. Tu Domine sacerdos sancte, qui in tẽpore iracundię, factus es reconciliatio sancti huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium huius sancti liquoris, in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis, consumptibiliter potum viuificum, crucis signum in mortificationis exemplum, hactenus ille.

Aqua & sanguis ex latere Domini dimanãtes tria sacramenta præcipua ecclesiæ denotabant.

¶Vnde satis perspicuum est ex Cypriano, aquam, & sanguinem non commixta, vel confusanea mole manasse, sed ex sua puritate proprijs seruatis naturis. Hoc est enim quod ait, diuisis militibus manasse.

¶Rursus constat ex Cypriano, hunc sanguinem, & hanc aquã, nõ solum baptismi sacramentum, quod in aqua perficitur, sed & pœnitentiæ sacramentum cõsecrat, quod per lachymarũ quã actualiter purgat & demũ sacramẽtũ significari synaxeos. Fluxus ergo iste fuit miraculosus, vt etiã glossa ordinaria ad Ioã. 1. 5.

docet: quocirca filium esse Dei denotabat, vt vox cũ clamore emissa sub mortis articulo. Quippe testabantur hæc miraculosa verè se docuisse, esse filiũ Dei, vnde hæc manabant. Quod ergo Innocentius hæc retulit ad demonstrationẽ veræ carnis in Christo, non est habendum, quasi hæc sola ratio fuisset, quia sunt aliæ, vt prædiximus. Sunt autem qui spiritum tunc reddidisse testimonium intelligant, alia ratione quam Innocentius, videlicet, dedisse testimoniũ animam Christi, animabus existẽtibus in limbo, quibus continuo à morte corporis visa est, & suam diuinitatem patefecit. Quod vero Innocentius insinuare videtur, aquam hanc naturaliter fluxisse, non est quia ipse hoc asserendo decernat, sed potius agens contra aduersariũ colligit, non potuisse esse flegma aquã illam, & quasi donãdo aduersario, quod naturaliter, exierit, colligit quãuis illud esset verum, non esset consectarium esse flegmati cum humorem. Siquidẽ suppositа sententia quorũdam philosophorum, statuentium elementa esse secundum proprias substantias in elemẽtatis, aqua illa poterat vera esse in corpore Christi & post mortem Christi, in eam poterat esse resolutio. Itaque Innocentius ex hypothesi est intelligẽdus. Hinc patebit tibi erratum fuisse à Besalio anothomo celeberrimo, cui placuit esse in corde nostro aquam quandam ad temperandum eius æstum, vt experimur, in carrucis quibus aqua infunditur ne calore ignescant & hanc aquã credit exisse ex latere Domini. Cæterũ hæc aqua si cõcedatur in corde, est humor flegmaticus, & non purum elementũ, at ex latere Domini nõ flegma sed pura exiuit aqua diuino nanque miraculo ex latere dominico copiosi fontes sanguinis & aquæ fluxerunt. Quod vero inducit infomentũ suidogmatis in quorũdã mortuorũ dissectorũ corde repertã fuisse aquã, non probat, quia forsan hæc aqua erat morbus eorũ, vnde mortui sunt. Tẽperatur autẽ cordis çstus ornatiua humiditate & à refrigerante respiratione.

Aqua & sanguis in confusa profluxerunt ex latere Domini, sed distincta.

Obseruanda Innocẽtij in telligenda.

¶Iam vero quod Ioã. 1. Ioan. 5. scripsit, Christum venisse non in aqua solũ sed in aqua & sanguine: quæ sunt duo, quæ modo ex beato vitæ dimanarunt fonte, vtique ex eo scripsit, quia Ioannes Baptista venit in aqua solum, quia Ioãnes baptizabat aqua, non tamẽ eius baptismus erat rubricatus sanguine agni: ideo ille baptismus ex vi sua nõ conferebat vitam ęternam Christus autem venit in aqua, & sanguine, quia per sanguinem suum, non solum baptismus, sed cætera sacramenta consecrantur ad mentiũ humanarum sanctificationem. ¶Si allegorizare iuuat, diuini lateris apertionem, scito quẽadmodũ ex latere Adami protoplasti dormientis sopore immisso à Deo Eua mater omnium fuit à Deo ędificata, ita ex latere Christi dormientis ecclesia ędificatur: siquidem sacramenta cœlestia quæ sunt ecclesiæ initia, & fundamenta, atque profectus, in sanguine illo, & aqua adumbratur. ¶Et quãtum arbitror, non exiguus sanguis defluxit, neque exigua aqua, ex latere Domini perforato, sed copiosi fontes, vtriusque liquoris effluxerũt: vt vbertatem, cœlestium charismatum fidelibus esse conferendam in fontibus illis Deus denotaret, & vt euidẽs esset miraculi maiestas. ¶Præterea, fuit typus huius apertionis fenestra, quæ facta erat in arca Noetica, per quam omnes animę quæ sunt à gurgitibus diluuij seruatæ sunt ingressę in arcam: ita omnes qui seruandi sunt in vitam æternam, in hoc latus Christi ingredi est necesse per fidem, & charitatem. Nãque per aquam baptismi ad hoc beatum latus solum patet accessus. Fixuræ clauorum, foramina sunt petræ, quæ liber Cantic. 2. commemorat, ad quæ penetrãda sponsa inuitatur. Latus hoc perforatum, cauerna est maceriæ, ad quam ingrediendam eadem sponsa voce spõsi trahitur, dicens columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Aues in foraminibus petrarũ nidulãtur, & cõquiescunt: fideles autẽ, in foraminibus istis Christi qui est firmissima petra mẽtis cõstituamus nidulationẽ nostræ. In scissuris huius firmissimę petrę, si collocamus habitationẽ nostrã securi erimus, ab omni dęmonis fallẽtia. Hæc nanque habitatio fortiores nos facit, quã sint omnes diabolicæ phalãges. ¶Huius lateris beati scissurã ecclesia suo celebrans Cantico, ait, Mite corpus perforatur, sanguis vnde profluit: Terra, põtus, astra, mũd⁹

quo

Quo lauantur flumine. ¶Lauantur equidem vniuersa ex hoc incorruptionis flumine: quia per baptismi aquam, rubentem ex sanguine Christi peccata, quæ sordes sunt mentis nostræ, purgantur & abluuntur. Astra verò non sunt sane inquinata aliqua peccati macula: at eò dicũtur lauari ex flumine cœlesti isto, quòd astra seruiebant peccatori homini, id quod videbatur nonnihil maculæ conciliabat astris præbere ministeriũ, scilicet, maculato homini. Quia ergo per baptismum, & Christi cruorẽ homo mundatur, vt iam astra, non seruiant maculato, sed mundato homini, ideo astra suo quoque modo per hoc Christi flumen lauantur. Rursus, & alio hymno. Quo vulneratus insuper, Mucrone diro lanceæ, Vt nos lauaret crimine, Manauit vnda sanguine. ¶In aqua igitur, & sanguine, quæ ex latere Domini profluxerunt, vitalem fontẽ aperuit Deus omnibus hominibus ad emundationem conscientiæ nostræ ab operibus mortis. Fontem autem hunc voluit esse aquæ & sanguinis: in quo fonte sancti lauantes stolas suas, promeruerunt stolam æternitatis. ¶Ferunt Longinum martyrẽ, fuisse vulneratorẽ lateris huius Christi, quem fuisse dicunt Centurionem, qui confessus est Christũ Dei filium: & sub Octauiano fuisse passum ob confessionẽ fidei Iesu Christi. Lege si iuuat Petrum à natalibus libro. 3. cap. 22. Forte autem hic vulnerauit latus Domini non ex odio, sed vt experiretur si Christus mortuus erat, *ille scit*. Vnde sciebat Ioannes quod vera dicebat, vtique non solum quia viderat, & oculatè conspexerat hæc, quæ ipse solus scripsit, sed etiã, quia Spiritus sancti magisterio, eadem didicerat. Hoc nanq; magisterium superat omnem visus nostri notitiã. Vnde Petrus postquã retulerat se vidisse Dominũ in mõte transfiguratũ, subiecit. Sed habemus certiorẽ propheticũ sermonẽ. *Facta enim sunt hæc vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt*. Milites nõ frãgentes crura Domini, nõ eo studio fecerũt, quia curę illis erat implere scripturam sed ad eius factũ cõsecuta est impletio diuinæ scripturæ. Quãuis autẽ secũdũ literalem sensum scriptura de agno illo materiali intelligatur, verũ secundũ allegoricũ intelligebatur de Christo. Et Ioannes ait, impletã esse scripturã iuxta allegoricũ sensum eã intelligẽs. Vnde apostoli non semper vsurpãt scripturã secundũ literalẽ sensum, imo nõnunquã secundũ mysticũ, quale illud, Non alligabis os boui trituranti. 1. Cor. 9. Et illud, scriptũ est, quoniã Abrahã duos filios habuit, &c. ad Gal. 4. Explicãt enim apostoli quid præcipuè intendebat Spiritus sanctus per hæc, & alia hoc genus verba. ¶Secũdum tropologiam autẽ, agnus hic præcipiebatur vorãdus, Et caput ait, & pedes, cũ intestinis vorabitis, Exod. 12. siquidẽ Christi diuinitas, quæ in eo caput est. 2. Cor. 11. & eius humanitas, quæ quia secũdũ eã minor patre est, pedibus confertur, sanè sunt à nobis deuorãda per fidẽ, quia credenda, & nõ discutienda proponuntur. Itẽq; intestina huius agni, idest, arcana & intima fidei Iesu Christi mysteria, qualia sunt incarnatio, natiuitas ex virgine & hoc genus reliqua, nõ sunt scrutanda vana indagine, sed humiliter recipienda in fidẽ nostrã. ¶Rursus ossa agni, hoc est, Christi, difficiliora intellectu mysteria, nõ sunt conterenda, ille illa cõterit, qui in alienũ sensum ea distrahit, quẽ nec ecclesia amat, neque fides recipit. Hacq; ratione hæretici conterunt ossa huius agni cœlestis: quia pro suo captu mysteria fidei dilaniãt vt Arius cõterebat, docẽs Christũ esse purã creaturam. Et Eunomius asserens Spiritũ sanctum esse ministrum patris, & filij. ¶Milites igitur non fregerunt Christi ossa, quia viderunt eum mortuum iam, at hæretici sunt peiores militibus istis gentilibus, audentes cõterere ossa Iesu Christi, iam regnantis in cœlo. Qui autem sani sunt in fide, & diuina reuerenter accipiunt, secundum ecclesię sensum, hi sanè nõ conterunt diuina mysteria, sed sana & integra eadẽ in sua fide seruant, vt ab apostolis, & patrib⁹ nobis sunt quasi per manus tradita. ¶Quę ergo difficilia iudicamus intellectu, hæc non conteramus, non confringamus dentibus nostrę mẽtis, scilicet, vanis disputationibus, eorum maiestatem obscurantes, sed potius igni tradamus cõburẽda. Idest, Spiritui sancto hæc tribuamus, qui est veritatis catholicæ primarius doctor. ¶Hic igitur

Astra quomodo lauantur per Christi cruorem.

1. Pet. 1.

Exod. 12. Num. 9. Zach. 12.

Apostoli nõnunquã vsurpant scripturam secundũ mysticũ sensum.

In Christo caput est diuinitas caro est ceu pedes.

Mysteria fidei difficiliora non sunt conterenda disputationibus vaniloquis, sed integra seruanda vt ab apostolis & patribus sunt nobis tradita.

igitur locus de agno pāschali inducitur à Ioanne, vt nos doceret, non temerè à militibus gestum fuisse, quod non fregerint Domini crura: quia dispēsante Deo factum est, vt agnus verus corresponderet agno typico. ¶ Secundo aliud inducit oraculum ex Zacharia. cap. 2. Qui locus apud septuaginta aliter est editus, quam secundum hebraicam veritatem. Apud illos enim habetur, Aspicient in me, pro eo quod insultauerunt. Hebraica veritas, Aspicient ad me, quem confixerunt. Quorum verborum sensum potius quā verba retinens Ioānes, dixit, Videbunt in quē transfixerunt. Est enim moris apostolici potius sensum, quā verba ex testamento veteri referre. Et equidē Iudæi, & milites crucifigentes Christū, illi suasu, isti opere Domino vnanimiter insultauerunt, dicentes, Vah qui destruis tēplum Dei: si tu es Christus salua temetipsum & nos, dicebat latro. Et rursus alij, Eliam vocat iste. Et, Sinite videamus si veniat Elias. Si Rex Israel est descendat nunc de cruce: & reliqua improperia Domino obijciebāt. Quam obrem nō solū cruci affigentes, ex opere iniuriā summā illi fecerunt, quinetiā verbis blasphemis contra Dominū egerunt, vt verū sit, eos insultasse cōtra Dominū. Theoredus legit, aspicient in me, quē compunxerunt: quia verbum Hebręū Rakedu, hoc significat, scilicet, cōpunxerunt. Cęterū sensus idē est, atque per verba alia, Confixerunt, siue transfixerunt. Vnde Ioannes in Apocaly. ad sensum hunc alludens ait, cap. 1. Ecce venit cū nubibus, & videbit eū omnis oculus, & qui eū pupugerunt, & plāgent se super eū omnes tribus terræ. Huius tamē testimonij prophetici non simplex est intelligentia: sunt enim qui eū exponāt in fauorē Iudæorū, qui in nouissima mūdi ætate, ad Christū conuertētur: vt hic sit sensus, Videbūt per fidē Christū Iudæi, & cognoscēt scelus patrū suorū, qui eū iniustissimè morti crucis adegerūt. Et prædolore animi, resipiscētes ex scelere, plāgent suā infidelitatem diutinā, & veterrimā mentis cæcitatē. Et erit similis eorū planctus, plāctui illi maximo, quē Iudæi fecerunt, quādo lamētati sunt Regē Iosiā, occisum à Nechao Ægyptio rege, qui fuit in vrbe Adrademon, iuxta cāpum Magedon. Vel aliter, vt sit sensus, non fauorabilis sed exitiū demōstrans Iudaicæ perfidię. In die nāque iudicij videbūt oculis carnis eum, quē ipsi crucifixerunt: & videbunt vltorē tā esse Christum Iudaici sceleris. Et tūc plangent se planctu maximo, infructuoso iamen. Quasi dixisset vates, Christū ô Iudęi optimē de vobis meritū, contempsistis, & crucifixistis, nō inde vobis gratulemini, nā videbitis tandem eū esse vestrū iudicē, qui vos plagis torquebit ęternis. Et quidē hunc sensum videntur nobis innuere verba dudum indicata ex Apocal. Ioannis, qui expresse loquitur de finali illo die. *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph, ab Arimathæa eo quod esset discipulus Iesu (occultus autem, propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu: & permisit Pilatus, Venit ergo & tollit corpus Iesu.* Euangelica historia, multos viros insignes scribit hoc nomine appellatos. Est enim Ioseph vir Mariæ: & est Ioseph iste, cuius meminit modo Ioannes Arimathiensis: & est Ioseph cognominatus Barsabas dictus iustus, quē quidā putat falsò fuisse Barnabam, cum nō fuerit Barnabas sed filius Mariæ Salome. Præter hos fuit Ioseph ille patriarcha Domini typus. Alijs autem missis, de Ioseph Arimathiensi, nunc solum sermo erit. Hic fuit ab Arimathęa, seu Ramathæa ciuitate Iudęæ vnde & Samuel accepit natalia, quæ vocatur. 1. Reg. 1. Ramataim. Eam vocat Hiero. lib. de locis heb. Ruma. ¶ Fuit Domini discipulus, occultus tamen ex timore Iudaico. Hic iustus erat, & cū iustitia, quod rarò accidit diuitijs & nobilitate pollebat. Credens autē rabiē Iudaicā, iam ex morte Domini consopitā, ausus fuit à Pilato petere corpus Iesu: siquidē sepelire mortuos etiā damnatos ad crucē pietatis erat officiū. Pilatus autē, vt suppleuit Marcus, miratur valde, in celeri morte Domini, & accersitū Centurionē, interrogat, si iā obijsset Christus, quo affirmante, annuit Ioseph petitionē, quippe erat senator Hierosolymorū: nā pro decurio, Grecè habetur βουλευτης quod cōsiliariū, vel senatorē significat. Quia ergo nobilis decurio, & diues erat, ideò Pilat⁹ postulata cōcessit. Hūc alij Euāgelistę solū cōmemorāt mādasse Domini corpus sepulturæ, quā voluit

εξεκεντησαν compūxerūt

ωρυξαντο saltauerunt.

Matth. 27. Mar. 15. Lucæ. 23.

Ramathaim sophim patria Samuelis, & Ioseph Arimathiensis.

Ioseph Arimathiensis senator Hierosolymorum.

voluit esse proprium quod sibi exciderat sepulchrum tumulando. Ideoque erat sepulchrum nouum, in quo nondũ quispiam fuerat humatus, & erat prope locum, vbi Dominus crucifixus fuerat in horto quodam constitutum. Cæterum Ioannes non solum Arimathęam hunc, sed & Nicodemum curasse sepulturam Domini tradit, vt mox subdetur. Quomodo autem hic Ioseph post Domini glorioſam ascensionem fuit ab apostolis aqua sacri fontis lustratus, quantaq; passus fuerit à Iudæis quia Dominum honorificè humauerat, Euangelium Nicodemi commemorat. Et Petrus à natalibus libr. 4. capit. 2. refert carceri coniectum à Pharisæis transacto sabbato: verum à Domino fuisse visitatum, & illustratione sui aduentus, diuina ope, fuisse à vinculis solutum, & suæ domui restitutum, & patriæ. Et demum post euersam Hierosolymam à Tito, & Vespasiano in muro quodam inclusum inuentũ à Tito Imperatore. In muro nanque inclusérãt hostes Christi, ipsum Ioseph & reclusus ex muro post captam Hierosolymam, beato fine quieuit. Ioseph ergo iste, qui timebat palam profiteri Christi disciplinã, non formidauit, corpus Iesu petere sepeliendũ. Ait autẽ Marcus audacter introisse ad Pilatũ: siquidem tãta erat rabies hostiũ Christi vt nemo auderet hoc facere: ideo hic depositio timorẽ, petiuit corpus Iesu, Apostoli quoq;, qui palam sectabantur Christi magisteriũ, non ausi sunt petere corpus Domini sepeliendum, at Ioseph sumpta audacia, petijt corpus Iesu. Apostoli enim non fulgebant nobilitate, vt iste, qui erat senator Hierosolymorum, neque opibus abundabant vt iste: pauperes enim erãt, ideo hoc non præstiterunt officij erga magistri sui corpus. Ad multa enim bona facienda nobilitas, & opes præstant audaciam, à quibus paupertas & ignobilitas personæ retrahit faciendis. ¶Fecit autem iste tria insignia opera, & deponere corpus Domini de cruce, & illud inuoluere sindone munda, quam mercatus fuerat, & in suum sepulchrum cõdere. Reuera magno munere hunc Iosephum donauit Dominus, à cuius manibus voluit tractari post mortẽ, & in cuius sindone voluit inuolui, & in cuius sepulchro sepeliri statuit. Et quidẽ admiranda est hominis huius in Christum pietas, quod enim contribules Iudæi execrabantur, vt maledictum, scilicet, crucifixum corpus, iste vt sanctissimum corpus, & summo honore dignũ, separat ab alijs crucifixis latronibus, & honorificentissimè tradit sepulturæ, id quod non faceret, nisi certo credidisset, Domini summam innocentiam. Disciplinam igitur, quam à Christo acceperat, huius sepulturæ officio Domino rependit. ¶Erat quidem iustus, & bonus, & expectans quoque regnum Dei. At iustitiam suam satis ostendit, iustitię authorem sepeliendo: quia si hos sepelire mortuos, iustitiæ est, ipsum authorem vitæ, donare sepultura quantæ iustitiæ obsecro erit? Nobilis quoque erat, quia decurio vel senator erat & diues erat: & hæc omnia impendit in Christi obsequium, volens illatam resarcire iniuriã crucis, nobilissima sepultura. Et non in alia voluit sepelire corpus Domini, sed in propria, quam ipse sibi exciderat, vt vel hinc omnibus constaret, quanti faceret Christi sanctitatem, cuius corpus sepeliebat ipse manibus suis, in proprio sepulchro. Hinc tu cõsidera Chri pauperTatẽ, nã, in alieno sepulchro sepelitur, vt qui viuens propria carebat domo, quia filius hominis nõ habet, vbi reclinet caput suum, mortuus in aliena etiã sepultura sepeliretur. ¶Rursus in sindone aliena inuoluitur, nõ habẽs propriã, ex qua inuolueretur. ¶Cõsidera etiã sepulchrũ Christi nouũesse, in quo nullus alius fuerat sepultus, & sindonem nouã, quę aliũ nõ inuoluerat corpus: quippe quæ Deo dicãtur, soli illi seruiant oportet, & nulli alij. Balthasar enim ille abutens, vasis Deo dicatis, terribilẽ scripturã aduertit in pariete scriptã, decernẽtem eum deijciendum mox ab imperio. Ideoq; Paul. monet, vt induamus nouũ hominẽ, qui secundũ Christũ creatus est, & quod renouemur spiritu mẽtis nostræ. Et carnẽ assumpturus Deus vterũ delegit virgineũ, quẽ nullus infantiũ nouerat, neque postea nouit, Quãquã autẽ cœli & terra, crucẽ Dñi honore prosequuntur, sol enim suos retrahit radios, terra tremit, & suos reddit mortuos rediuiuos, lapides scindũtur, homines quoq; plures eandẽ

Audacior fuit Ioseph quam alij discipuli Domini.

Triainsignia fecit Ioseph circa sepulturã Domini.

Luc. 9.

Dan. 5.

Ad Colo. 3. Epheſ. 4.

Matt. 26. Mar. 15.

crucē venerātur, quia Cēturio, & qui cū eo erāt profitētur verē filiū Dei esse appensum in cruce, & sui cōscij facinoris, regrediūtur in ciuitatē, percutientes pectora sua, verūtamē nullus est horū agnoscentiū scelus suum, qui voluerit humare Christi corpus, sed Ioseph, & Nicodemus solū illud sepeliunt. Et istud dispēsante Deo factū puta: noluit enim Dominus, post mortem suā, tractari manibus impiorū, sed solum iustorū hominū: quales erant Ioseph & Nicodemus.

A iustis & nobilibus viris Dominus sepulturę mandatur.

¶ Et qui se permiserat viuū, impijs tractandū iniurioſē, mortuū tamen se subtraxit ab eis, volens iā à morte sua, ab hominibus honorari: ideo sepulchrum voluit esse honorificū, & ab honestissimis personis curari Iosepho, & Nicodemo.

¶ Neque ab re Dominus fuit sepultus prope locū, vbi fuerat crucifixus: ad literam enim ibi est concessa illi sepultura: quia parasceue erat, idest, quia iam sol properabat ad occubitum, & ociandum iam erat, quia erat vespera sabbati. Dominus enim cū expirasset ad horam nonā, officia funeris non possent absolui, antequā sol decumberet si longe esset agendū, ideo prope est sepultus, & non longe à Caluarię loco. ¶ Præter hæc vt omnibus nota esset sepultura, & Domi nū ibi esse sepultū cunctis pateret & resurrectionis veritas, nulla ex parte falsitatis suspicione posset coinquinari, ideo que in sepulchro nouo sepelitur vt nullus suspicaretur aliū resurtexisse, & non Christum.

Veritatē suæ resurrectionis ex nulla parte permisit Christus labefactari.

¶ Cæterū diuinæ etiam fuit dispensationis, quia mors, & sepultura Christi, omnia sunt gesta, ad remissionē nostrorum criminum, & ad iustificationem nostram: siquidem, qui volet iustificari, coram Deo, necessum illi est, & commori cum Christo, & consepeliri cum Christo in baptismo, ad Roman. 6. Ideoque crucifigitur, in loco damnatorum, & prope hunc locum sepelitur, vt per crucem, & sepulturam suam, à morte peccati & à sepultura peccati, quæ est obstinatio in peccato liberemur. Et ob id in loco horti, moritur, & prope hortū sepelitur, vt nos cōmonefaceret, in horto orbatos fuisse spirituali vita. Quā igitur amisimus in horto voluptatis, hanc nobis restaurat, iuxta hortum sepultus, & iuxta hortum resurgens ex mortuis.

Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum ferens, mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt illud lintheis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat: ibi ergo propter parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat in monumentum posuerunt Iesum. Non solum Ioseph ab Arimathæa tāto donatus est munere, vt Domini corpus sepulturæ mandaret, sed habuit alium virum in eodem exequendo munere socium. Nicodemum sibi similem, & sanctitate vitæ, quia etiam discipulus Domini fuerat, etiam si occultus. Quippe videns hic miracula prima quæ Hierosolymis fecerat Christus ad eum accessit noctu, Dicens Rabbi scimus, quod à Deo venisti magister, &c. Accessit autem ad Christum vt de diuinorū notitia instrueretur, Ioan. 3. Hic quo que iustitiæ nobilitatē copulabat, quia erat princeps Pharisæorum. Et Ioan. 7. legimus partes Christi egisse, repugnantibus Pharisæis. Isti enim cum Dominū accusassent, ille agens Christi causam, Nunquid ait, lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Hunc ferunt fuisse nepotem Gamalielis, etiam discipuli Domini occulti, & auditorem eiusdem baptizatumque ab apostolis post Domini ascensum ad cœlos. Multaq; Hierosolymis passum propter Christi confessionem, sub qua tandem fœliciter vitam finiuit. Lege Petrum à Natalibus lib. 4. capit. 3. si alia plura de Nicodemo scire desideras. ¶ Alij porro Euāgelistę, Nicodemū non expresserunt, sed solus Ioannes. Ioseph igitur Arimatheensis, sepulchrum, & sindonē donat Domino sepeliēdo, hic verò aromata tribuit myrrhā, & aloē, quæ sua amaritudine & stipticitate vim habēt præseruādi corpora mortua à corruptione. Quia verò quasi centum libras aromatū impendit in funeris dominici officio, videtur nō solum vnxisse corpus Domini ante sepulturā, sed etiā ipsam sepulturā imbuisse affatim istis aromatibus: siquidē centū libræ vnius corporis vnctionē superabāt. Nicodemus autē feruēs religione defuncti, qui prius doctrina viuētis imbut⁹ fuerat vt vel

Christus ab iniustis cruci affigitur à iustis sepelitur.

Nicodemus nepos Gamalielis & eiusdem discipulus.

vt vel ipsa vnctione demonstraret, summã Christi dignitatem, corpus vnxit, & quod restabat vnguẽti super sepulturã effudit. ¶Sunt tamen qui putẽt has libras nõ esse. 12. vnciarũ, sed minores, & ideo centũ libris, vnguentũ emptũ, non fuisse excesiuũ. Vngitur igitur Dominus viuens, bis à Maria Magdalena, vnguẽto nardino, & vngitur iterum à Nicodemo Dominus mortuus, vnguento ex aloe & myrrha cõcinnato: quia oportet, & viuendo, & moriẽdo vngere Dominũ. Tunc viuendo vngimus Christũ, quando vitã ducimus talẽ, qualẽ ipse à nobis agendã expoſcit. Tunc autem moriendo vngimus, quãdo sub fide & charitate eius diẽ claudimus extremũ. Rursus admonemur, & viuẽtes fratres vngere subleuãdo eorũ inopiam, nostris opibus, & mortuos fratres vngere etiã precibus nostris, & sacrificijs purgatorias, quas tolerant, pœnas subleuare. ¶Magdalena rursus peccatrix vngit, & Nicodemus iustus vngit: quia nõ solum iustorũ Deus amat opera, sed & pœnitentiũ, quippe nõ vult mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Videtur autẽ Nicodemus non habuisse fidem diuinitatis Iesu Christi, sed solũ credidisse virũ esse Deo acceptisimũ & excedentẽ omnes alios prophetas: siquidem si credidisset Christũ esse Deũ, & surrecturum tertio die, non impẽdisset tot libras myrrhę, & aloes, ad præseruandũ corpus eius à corruptione, siquidẽ istis aromatibus non egebat Christus, propter assistentẽ vel potius copulatam sibi diuinitatẽ. ¶Erat autẽ mos hic apud Hebrẽos prẽcipuorũ hominũ cadauera istis imbuere aromatibus: quem morẽ Nicodemus obseruat, ad cultum funeris Christi. ¶Die igitur sexta Dominus moritur, & die septima, scilicet, sabbato, requiescit in sepulchro, quo die requieuit Deus ab omni opere quod patrauerat: & die octaua resurrexit à mortuis glorioſus triũphator mortis, & diaboli. Et de gẽtibus in hoc mũdo iustis quoque sex diebus incũbit labora re, quia vitę huius curriculũ senario dierũ confertur, quo Dominus operatus est cœlũ & terrã. Totũ autem tẽpus sepulturæ iustorũ est tanquã dies septima sabbati, quia corpora sanctorũ in pace sepulta sunt. Verum beatitudinis corona est tanquã octauus dies, qua consumma tè donabuntur, quãdo ex puluere excitabuntur, ad palmas ęternas in corpore, & anima perfectè obtinendas. ¶Ioãnes igitur virorũ officium funerale quod impenderunt dominico corpori expoſuit, adiecit tamen prædictis, quod inuoluerunt eũ lintheis, cum cæteri Euãgelistæ, non lin theorũ, sed sindonis vnius memi nerint. Nihil tamen disidij esse puta, quia alij Euãgelistę sindonis principalis fecerũt mentionẽ, quo inuolutũ est Domini corpus. At Ioãnes aliorum ligaminũ, & sudarij, quo solebãt corpora mortua ligari, nos admonere volens lintheis tradit, dicẽs, Et ligauerũt illud lintheis. ¶Cæteri autẽ Euangelistæ fœminas ibi adfuisse tradũt, nõ ad sepeliendũ Dominũ, sed, vt viderẽt sepulchrũ, vbi domini cũ erat conditũ corpus, vt transacta requie sabbati, Dominũ vngerent. Vnde Lucas ait, Subsecutę autẽ mulieres, quæ cũ eo venerant de Galilæa, & viderunt monumẽtũ, & quẽadmodũ positũ erat corpus eius. Et reuertẽtes parauerũt aromata & vnguẽta, & sabbato quieuerunt secundũ mãdatũ. Vnde videtur has beatas mulieres etiã astitisse viris ad Christi sepulturã: nam ait, eas vidisse quẽadmodum positũ erat corpus eius: quãuis ipsę non sepelierunt corpus Domini, sed Ioseph & Nicodemus, & si qui alij fuerunt coadiutores nõ cõmemorantur Matth. porro explicat quæ erant istæ mulieres, dicẽs, Erãt autẽ illæ Maria Magdalene, & altera Maria sedẽtes cõtra sepulchrũ: & Mar. quæ sit hæc altera Maria declarat dicens, eã esse Mariã Ioseph. Fuit autẽ Maria hęc soror Marię virginis mater huius Ioseph. Genuit enim ex Cleopha viro suo, Iacobũ minorẽ, qui appellatur minor, nõ quod ætate fuisset minor quã alter Iacobus Zebedæi, sed quod vocatione fuerit posterior. Genuit itẽ hũc Ioseph, dictum Barsabã, cuius Mar. modo meminit, super quẽ & Mathiã, facta est apostolica sortiũ iactatio, & Simonem, & Iudam apostolos. ¶At vero stupenda est sane harũ fœminarum in Christũ propensio: â Galilęa subsequuntur Dominum, cœlestiũ vestigiorũ eius factæ pediſſequę: & viuũ comitantur miracu lis coruscum, & in cruce non deserunt clauis confixum, & mortuo astant, in

Magdalena bis vnxit Nicodemus semel.

Vnctio mystica.

Allegoricus sensus.

Concordia Euãgelistarũ

Maria Cleophæ, Maria Ioseph, Maria Iacobi, idem.

cauerna petræ cõditum. Noti vero Christo, à longe erant spectãtes Domini crucem, & mortẽ, vt Matth. denarrat. Erant autem noti eius à longe, at mulieres istæ prope crucem erant, prope sepulchrum assistunt. Illi regrediuntur ad domos suas, vt sibi necessaria prouideant: istæ verò oblitæ necessariorum sibi, à Domino diuelli neque viuo, nec mortuo sustinent. Vident Domini sepulchrum: spectant saxum ingens ori speluncæ obditum: at ea est harum fœminei animi promptitudo, vt parent aromata vngendo dominico corpori. Non expendunt infirmas esse viribus, fragilis esse sexus, ideoque saxum illud non posse ab eis abduci, nihil infirmitatis considerat flãmans Christi ardore animus: omnia se posse confidunt, quæ alioqui illis erãt impossibilia. Vnde post modum secum recogitant de saxo aduoluendo. Quis, inquiunt, reuoluet nobis saxum? Cur ò beatæ fœminæ vos non deterret principum Iudæorum potestas? cur non vos dehortantur ab vnctione Pharisæorum calumniæ, cur sine facultate præsidis vngere curatis corpus Domini, ad quod se peliendum Ioseph facultatem præsidis Pilati primum obtinuit? Porro amoris Christi magnitudo in fœminis istis omnes has superabat difficultates, quippe ardenter, amanti nihil difficile, nihil arduũ putatur. Et in sexu fragili maiorem animi celsitudinẽ demõstrat sæpe Deus quam in sexu virili. Quia mũdi infirma elegit, vt fortia quęque confundat. ¶ Interim obserua Magdalenã, quæ viderat Lazarũ fratrẽ suum suscitatum à Domino, post quatriduanã sepulturã: nũc fide resurrectionis Christi laborare: siquidẽ si firmum habuisset Christum surrecturum tertio die, nõ parasset aromata vngẽdo mortuo Christo si ipsum speraſſet mox surrecturum.

Fœminarũ in Christum prõptissimus amor.

MORALIA.

¶ *Vbi crucifixerunt eum.*

METustus ille pariterq; beatissimus Christi vates Dauid, stupens ad diuinorũ consiliorũ maiestatẽ, atque profunditatẽ, de Deo loquens in illa erupit verba, Terribilis in consilijs super filios hominũ, & quidẽ verba hæc, cũ in alijs gerendarũ humanarũ rerũ cõsilijs, vera sunt, tũ maximè in negotio humanæ redẽptionis per Christũ Dominũ celebratę, sunt veracissima. ¶ Est enim hoc diuinũ consiliũ de redimendo homine à Satanę potestate, per sanguinẽ crucis filij sui, antiquũ equidẽ Dei consiliũ: quia coęternũ Deo consiliũ: porrò satis stupẽdũ nobis est consiliũ. Ridiculũ sanè infidelibus, sacramentũ hoc humanæ per sanguinem Christi redẽptionis censetur testãte Paulo. 1. Cor. 1. Prædicamus Iesum Christũ crucifixũ Iudæis quidẽ scandalum, gentibus autẽ stultitiam. Stultũ equidẽ censent esse infideles redẽptionis nostræ vitale hoc sacramentũ, quasi Deus eguerit, oblatrantes, sanguine humano, pro redimendo homine. Nã cum Deo vniuersa subsint, qui omnia solo verbo fecerat, cœlũ atq; terram, & vniuersa, quæ sub cœlo, & supra & subtus terrã continentur, solo verbo poterat aiunt, reparare hominis lapsum, absque eo, quod per sanguinem filij sui, hoc opus celebraret. Neq; possunt infideles ad fidẽ nostram conducere suos animos, quod, videlicet, tantopere dilexerit Deus homuncionẽ, quãtopere pro illius redẽptione, sanguinẽ fuderit. Iudæis igitur redẽptionis sacramentũ saluberrimũ offensio est, quãdo audiunt eũ ipsum quẽ ipsi cruci affixerunt, & probris varijs subsanarũt nos confiteri mũdi esse redemptorẽ. Gentibus autẽ est ridiculum. Quod hominis sanguine, quẽ Iudęi fuderũt, hominibus contingat peccatorũ remissio, & cęlestis ianuæ reseratio. ¶ Porrò autẽ nobis qui ex Dei gratia diuina fide illustramur, hoc Dei cõsiliũ nõ est offensio, sed salus, nõ est ridiculum, sed summa veneratio. Hoc nanq; Dei altissimũ consiliũ, fideles intẽtissimis animis veneramur, quia ęternũ Dei cõsiliũ est, & summo amplectimur amore, quia nostrarũ mẽtiũ vnica salus est. Quãobrẽ Paul. post præliba ta verba cõtinuo subiecit, Ipsis autẽ vocatis Iudęis, atq; Gręcis Christũ Dei virtutẽ, & Dei sapientiã. In hoc igitur Dei cõsilio terribili supra filios hominũ, duo colũt fideles, & Dei virtutẽ, & Dei sapiẽtiã. Quãuis enim in alijs Dei cõsilijs super filios hominũ, hęc duo necessario adsint, & virtus Dei, & sapiẽtia Dei. At verò in

Pſal. 65.

Sacramẽtum humanæ redemptionis gentibus est ridiculum & Iudęis est offensio.

rò in hoc profundissimo Dei cõsilio maximè omniũ lucet Dei virtus, atq; sapiẽtia. An non maximę potestatis, maximęq; sapiẽtię fuit, quod verbũ Dei factũ sit caro, quod Deus factus sit homo? duasque tam dispares naturas, deitatem, & carnem, inter quas nulla est proportio nullaque est comparatio, altera namq; infinita est, quia creator est, altera finita est quia creatura est. Has nihilominus infinito disiũctas naturas sciuit Deus & potuit in vnam æternãque coniũgere personam Christi, qui idem Deus idemque homo est.

¶Rursus summæ sapientiæ, & incomparabilis fuit potestatis, quod factus homo, hunc hominem Deus subiecerit omnibus humanis ferendis miserijs excepta culpa, & fame, & siti, & flagellis impiorum, & demum ignominiosæ cruci, vt per has, quas susceperat miserias, nos perduceret ad æternam beatitudinem. Per hasque miserias, doceret vana & caduca esse omnia visibilia bona, siue opes siue voluptates, siue fluxi huius seculi honores, quæ omnia ipse contempsit. Nam crucem sibi baiulans, & in cruce moriens, omnes suos, ad crucis mortificationem sustinendam, haud dubium vocat, & ea quę crucem suam soluunt dehortatur.

¶Sustinens ergo infirmitates nostras, dejecit potestatẽ sublimem Satanę: an non hoc duces esse infinitæ potentiæ, infirmitatibus pugnare contra fortissimum & eum dejcere? Accepit item ea, quę videbantur stulta hominibus: nam quis ducet non stultum esse, ignominiæ, & siti & fami, & paupertati se subijcere sponte? At verò hac stultitia delusit sapientiam seculi, & sapientiam Satanæ. Cum enim diabolus fastuosus sit, nunquam eum subijt, Deum adeò se dejecturum, vt hominum infirma pateretur, per assumptam carnem.

¶Superbus enim nunquam credit alios esse humiles, vt neque salaces, alios credunt esse castos, & demum alios quilibet sibi credit esse consimiles.

¶Hæc autem fuit diuina sapientia, atq; secretissima ars, vt multiformis proditoris, artem hæc diuina ars falleret. vnde Paulus, Verbum crucis pereũtibus stultitia est, ijs autem, qui salui fiunt, idest, nobis Dei virtus est. Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens, vbi scriba, vbi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapiẽtiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Christus igitur per ea, quæ videbantur hominibus stulta, scilicet, crucem sustinere & ignominiam perdidit sapiẽtiam diaboli. Quia per astus diabolici iã per Christi crucem inefficaces sunt, ad decipiendos homines fideles. Perdidit sapiẽtiam philosophorum, qui sesquipedalia trutinãtes verba, suos discipulos non potuerunt docere viam æternæ salutis, quã Christus per crucem suam docet. Perdere autem est eam esse vanam & inefficacem, ad salutem æternam consequẽdam demõstrare. Itidem dominus demonstrauit fidelibus scribarum sapientiam esse vanam: quippe isti freti scientia, & apparatu legis Mosaicæ nullo alio indiguisse ad salutem credebant. Horum ergo sapientiam Christus perdidit, per crucis suæ, quam ipsi credunt stultitiam: ostendit enim Deus omnibus in sola Christi cruce esse collocandã spem salutis, & nõ in vana philosophia, aut in ampulosa pharisæorum legis Mosaicæ sapientia. Meritò igitur fideles credẽtes crucis mysterium, possunt Pauli proferre verba, dicentes, vbi sapiens, &c. Et ridere secularem sapientiam, quę subditur crucis stultitiæ, quæ est summa corã Deo sapiẽtia.

Crucis stultitia est coram Deo summa sapientia.

Quia ergo mundus, hoc est, mundana sapientes, per sapientiam Dei, quam se habere iactabant, non potuerunt consequi vitam æternam, imo cum Deum cognouissent non sicut Deum honorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, ideo placuit Deo per viam diuersam homines perducere ad salutem, scilicet, per verbum crucis, quod stultum mundanis creditur.

¶Hoc igitur est terribile Dei consilium super filios hominum, ex quo disposuit verbum suum carnem assumere humanam, & in carne assumpta mortẽ, crucis subire, & ibi collocare humanam salutem, & mentium nostrarum antidotum ibi figere. Et quidem in cruce hac suam

demonſtrauit potentiam, & ſapiẽtiam, ſuam miſericordiam, oſtendit, & iuſtitiã. ¶Vtique ex maximis operibus ſe Deus indicat eſſe maximum vt ex creatione cœlorum, ſolis, lunæ, & micantiũ ſtellarũ, ex creatione elementorũ, & rerũ vniuerſi quarũ pulchritudo, ordo, immẽſitas, quam late pateat, Dei poteſtas, Deique ſapientia diuinaque bonitas, etiam barbariſimis perſpicuum eſt hominibus. Vnde apud quoſdam populos rudiſsimos Æthiopũ nullo doctore externo, ſed ipſa natura docente, non idola coluntur, ſed ſolum cœli gubernator quem vocant Guinimo.

Humanæ mẽtis antidotũ in cruci Chriſti eſt appenſum.

¶Porrò quod ex minimis operibus, & viliſsimis in conſpectu hominum, Deus ſe oſtendat maximum, iſtud ſane maioris potentiæ, maioris ſapientiæ, certiſsimum eſt indiculũ. At verò fames, ſitis, flagella, ſputa, ludibria crucisque ignominia, hæc quidem minimi fiunt apud homines, apud quos viliſsima eſſe reputantur: at verò per iſthęc viliſsima Deus ſublimiorem ſe demõſtrauit, quam per maxima, quæ retulimus. Nam per hæc viliſsima Sathanam eiecit à tyrannide ex qua occupabat homines, per hæc Deum patrem Chriſtus Dei filius placabilem fecit hominibus. Per hæc credentibus aperuit regna cœlorum. Per hæc homo alioqui fragilis, & qui mancipium erat diaboli, & ſeruus eius, roboratur & liberatur, & efficitur filius Dei, & quem contemnebat diabolus, iam perſignum crucis obmunitum horret, & fugit. Quia igitur Deus per hæc quæ videntur hominibus infidelibus viliſsima & infirma, confregit potentiſsimi tyrãno potentiam, ideo in iſtis viliſsimis demõſtrauit Deus maximè ſuam omnipotentiam. Et nihil eſt quod diaboli magis deijciat faſtum, & confundat ſuperbiam, quam quod ab hominibus fidelibus per crucis ſignum quod infidelibus eſt vile & abominabile ſignum, ipſe nihilominus per hoc ſignum inuiſibiliter vincatur. Et ſicut pharmacopœi, ex venenis condunt antidota, contra venena, etenim ex vipera theriacam componunt, contra ipſam viperam, Demorſis enim à vipera, potata theriaca ex vipera ſubuenit: ita Deus noſtra aſſumens venena, ex ipſis confecit præſentaneũ antidotum, contra noſtrum venenum. Eſt ſanè venenum primum protoplaſti peccatum, ex veneno autem iſto mentis, reſultauit venenum & mentis, & corporis in totum humanum genus. Nãque per vnum hominem peccatum introiuit in mundũ, & per peccatum mors. Mors nanque corporalis vitę eſt venenum: vt culpa ſpiritualis vitę eſt item venenum: fames quoque ſitis, & vniuerſa mala tẽporalia, quibus hominum natura ſubdita eſt, item ab hoc deriuatur veneno. Et ideo nonnihil veneni habent, quia ex veneno progreſſa ſunt, & in totum humanum ſerpunt genus. Summũ igitur Dei verbum, accipiens humanam carnem, venenum culpæ, non poterat accipere, Deo enim culpa omnis repugnat. Accepit igitur cætera venena, quæ ex hoc veneno originem ceperant. Subiecit enim ſe ſe miſerijs humanis. Vagit infans inter arcta conditus præſepia: fugit in Ægyptum, declinans Herodis ſęuitiam: ſitit adultus, & fatigatus iuxta puteum ſedit: laceſſitur iniurijs: odio habetur ab impijs: calumnias à contribulibus patitur: tãdem cruci affigitur inter duos latrones. Hæc ſunt noſtra venena, quæ accepit Deus. At verò ex iſtis venenis confecit diuinũ antidotum, & pluſquam theriacale remedium animarum noſtrarum curandis languoribus. Hoc eſt quod volebat docere Paul. 2. Cor. 5. Eum dicens, qui nõ nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Quaſi dixiſſet, Eum, qui culpę venenum non nouerat, venenum pœnæ ex veneno culpæ procedens accepit, vt ex hoc veneno antidotum nobis propinaret, ad euomẽdum culpæ venenum. Neque ſolum per crucis myſterium Deus maximè ſuam virtutem, patefecit, & ſapientiam, ſed etiã ſuam propalauit iuſtitiã, atque miſericordiam. Sanè iuſtitia Dei per mortem Chriſti in cruce, abunde oſtẽditur. Nullo enim alio ſacrificio expiãdum voluit hominis peccatum, niſi per ſanguinem crucis filij ſui. Demonſtrauit enim ſe iuſtiſsimum propellens hominem ex paradiſo voluptatis terreno & non admittens eũ in cœleſtem, vt aduerterent homines, amarum eſſe reliquiſſe Dominum. Quocirca hominem ex peccato ſubiecit

Diaboli ſuperbia confunditur quãdo per ſignũ crucis proſtratur.

Ad Rom. 5.

Deus ex veneno fecit antidotum contra venenũ.

Deus per crucis myſteriũ patefacit ſuã miſericordiã atque iuſtitiam.

subiecit infinitis miserijs, & non solum hoc, sed etiam permisit eum Sathanicæ potestati & interdixit illum cœlestibus regnis adeundis, ad quæ obtinenda alio qui creatus fuerat. Et romphęam igneã, quã interposuerat paradiso terreno custodiendo, non solum propter custodiã, illius terreni posuerat, sed ad significandum nobis cœlestem paradisum hominibus esse iam interdictum, vt Deo ingratis, & à diuinis imperijs alienis. Hãc autem Dei indignationem iustissimam contra homines tota humana natura per se placare nequibat: quandoquidẽ, omnes nascimur filij iræ. Si ergo antequam aura ista fruamur vitali, iam corripimur ex hac Dei indignatione, qui fiet, vt Deum homines placare potuissẽt? Sub inimicitia enim Dei pressi, eãdem à nobis fugare non poteramus. Fuerunt sanè viri Deo probabiles, antequam Christus cruci appenderetur: at verò si Deo erant probati vt Enoc, Noe, Abraham & reliqui non pauci quia gratiam Dei consequuti fuerant, pro se ipsis sanè nõ pro alijs, nihilominus non placarũt Dei primam indignationem contra genus humanum: quandoquidem neque ipsis regna cælestia patuerunt antequam latroni pendenti in cruce iuxta Christum per Christum patuissent. Etenim nondum Deo erat oblatum sacrificiũ, quod primam eius indignationem ex protoplasti peccato protectam, mitigasset.

Romphęa custodiens paradisum terrenum significabat interdictum hominibus paradisũ cælestem.

¶ In nouissimis igitur diebus, quando sacri venit plenitudo temporis, Missus est ab arce patris, Natus orbis conditor. Atque ventre virginali Caro factus prodijt. Qui lustris sex iam peractis, Tempus implens corporis, Se volente natus ad hoc, Passioni deditus, Agnus in cruce leuatur, Immolandus stipite.

¶ Agnus igitur leuatus in cruce Christus stipite immolatus dilexit homines & tradidit semetipsum pro hominibus oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Hæc igitur suauissimi odoris hostia, hæc fragantissima oblatio, placauit prorsus Dei indignationem contra totum conceptam genus humanum. Et sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem. Sicut enim per inobediẽtiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi ad Roma. 5. Quia igitur Christus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis per hãc mortem crucis abolita est vetusta indignatio Dei contra homines, ex inobedientia primi hominis habita. Quemadmodum igitur ex iniustitia primi hominis propagatur iniustitia in omnes homines, ita & ex iustitia Christi propagatur iustificatio in omnes homines testante Apostolo. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Ad Ephes. 5.

¶ Porrò autem, diuersa est ratio in vtraque propagatione. Propagatur namque iniustitia ex iniustitia primi hominis in homines, secũdum naturam. Ipse enim protoplastus naturam infecit humanã ex peccato suo, & infecta natura propagatur in totam posteritatem.

1. Cor. 15.

¶ At verò ex iustitia Iesu Christi, propagatur iustificatio in omnes homines, secundum Dei gratiam, non secundum naturam. Rursus propagatur hæc iustificatio in volentes, non in repugnantes. Nam quamquam in pueros nondum rationis compotes, propagetur, per lauacrum regeneratorium iustificatio, ex iustitia Iesu Christi, pueris neque consentientibus, neq; dissentiẽtibus, cæterum in adultos non propagabitur, citra eorũ consensum. Quippe infantes sola labe originalis culpæ sunt infecti, ipsis tamẽ non consentientibus.

Ex primo homine propagatur peccatum naturaliter in homines at ex Christo deriuatur iustificatio secundum gratiam in homines.

¶ Quare, vt labem contraxerunt, citra propriam voluntatem sed ex voluntate protoplasti, ita & iustificationẽ ex Christo per baptismũ sibi conciliant. Adulti autem, qui labi originali actuales adiecerunt, non iustificabuntur nisi proprius consensus accedat. Quamobren non in omnes homines propagatur hæc Christi iustificatio, quanuis iniustitia ex iniustitia primi hominis in omnes homines propagatur. Etenim hæc propagatio, est secũdum naturam: simul enim cum nostra cõceptione inficimur: natura igitur cum sit communis omnibus hominibus, infectio item est generalis.

¶ Porrò propagatio iustificationis ex iustificatione Iesu Christi est propagatio spiritualis, & ideo spontanea. Quia igitur

Propagatio iustificationis est spiritualis & spon

tanea in filios adoptionis, at propagatio peccati est carnalis & naturalis.

tur non omnes obediunt euangelio, ideo non omnes hac iustificatione potiuntur.

¶Cæterum secundum se sufficiens est iustitia Iesu Christi, hoc est, sacrificium mortis suæ quod in cruce sustinuit, omnes homines iustificare, si omnes voluissent, quia tamen non omnium est fides, ideo non omnes iustificantur ex iustitia Iesu Christi. Quia actus actiuorum sunt in patiente bene disposito.

¶Hocque modo intelliges Paulum dicentem per vnius iustitiam in omnes homines iustificationem, &c. Imo post susceptam fidem, non deriuatur hæc iustificatio, nisi facta carnis mortificauerimus. Oportet enim commori Christo per mortificationem carnis, vt illi conuiuamus, secundum iustificationem spiritus. Est igitur in Christo iustitia sufficiens causare iustificationem in omnibus hominibus, at non causabit, nisi in sufficienter dispositum. Cauendum tamen, cum in hac materia loquimur, ne nos teneat Lutheranorum delirium, credentium ipsam iustitiam Iesu Christi, esse formaliter iustificationem nostrã. At quanta dementia sit horum sententia iam ex dãnatione facta eius per Triden. Concilium sessio. 6. arbitror liquere. Verum, vt vnico argumento hos feriam, sciscitor ab eis quæ nam hæc est iustitia Christi? Vtique non est aliud, quã obedientia ad patrem: moriens ex hac obedientia, scilicet, propter homines, vt ex patre acceperat moriturũ. Hoc enim apostolus satis indicat, in verbis commemoratis ad Roma. 5. Nunquid ergo hæc obedientia, nos iustificat formaliter? Vtique non nos iustificat: quia in nobis hęc obedientia nõ est, nobis non hęret. Nos enim non præstamus Deo obedientiam ad mortem pro vniuerso genere hominum, vt Christus præstitit.

¶Quod si dixeris, Ex hac obedientia etiam non cohærente nobis nos denominari iustos. Quid ergo ab extrinseco sumus iusti, & non per iustitiam nobis cohærentem? At hæc summę insanię est assertio: siquidem nemo viuit vita corporali, per vitam ab extrinseco. Igitur cum homo per hanc iustitiã viuat, quippe iustus ex fide iusticante per charitatem viuit, necesse est fateri iustificationem iustorum esse aliam à Christi iustitia, illamque iustis cohærere, tametsi â iustitia Christi deriuatur. Hæc autem deriuatio est per Christi merita: quippe nos gratis iustificamur testante apostolo, Iustificati gratis per fidem non ex vobis.

¶Ex quo poteris apertè discere aliam esse iustitiam nostram, à Christi iustitia. Nam hæc de rigore iustitiæ promeruit omnibus hominibus iustificationem à peccato, & vitam æternam: nostra autẽ iustitia non de rigore iustitiæ quicquam coram Deo promeretur.

¶Enimuero, humanitas Christi tanto merito gaudet, quanto ex vnione hypostatica illi conceditur, quod est infinitũ meritum. Nullus autem hominum hac vnione hypostatica fruitur, qua propter promereri ad rigidam & exactissimam iustitiam homini est impossibile. Indeque & impossibile est, quod isti neohæretici somniant iustitiam fidelium esse iustitiam Christi. Quod verò Christũ apostolus dixit esse iustificationem nostram, secundum meritum tu intellige non secundum identitatem: nam ipse promeruit vobis, vt per ipsum iustificemur. ¶Per sanguinem ergo crucis dominicæ Deus demonstrat seueritatem iustitiæ suæ: quia Deus pater noluit aliter reconciliari peccatoribus, nisi per vnigeniti sui sanguinem. Et quanto maiorẽ exegit satisfactionem, tanto maiorem ostendit iustitiæ suæ rigorem. Aptissimè quocirca cõgruit cruci Christi, quod de ligno scriptum est in lib. Sapien. Benedictum enim est lignum, per quod fit iustitia. Quæ verba, etiam si de Noetica scribantur arca, quod de cruce Domini etiam intelligantur, prohibebit nihil. Arca sanè illa aut per arcam illam facta est diuina iustitia: quandoquidem, in arca recepti sunt iusti & seruati sunt à gurgitibus immensis diluuij, & iniusti omnes non sunt excepti in arcam: ideoque periere. Hæc ergo fuit per arcam facta Dei iustitia, seruandi pios, & perdendi impios.

¶Porrò per crucem Domini etiam seruantur credentes, & perduntur non credentes. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, vocatis verò fidelibus sapientia & salus. Nanque ipse Christus

stus hanc eandem iustitiam celebrat cruci affixus nam pium latronem salutauit blasphemum damnauit. Ecce dixit timoratus ille. Hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum. In ruinam quidem impiorum, & resurrectionem credentium. Hoc est rectum iudicium Christi seruare amicos, & perdere crucis inimicos. Hæc est iustitia humiles corde immunes custodire, & superbos & fastuosos profligare. Hanc iustitiam Deus facit per crucem suã. Nam amicos crucis suæ amat, inimicos crucis suæ odit. Benedicta crux hæc est, per quam fit iustitia. Per quam coronantur Christi fideles, & puniuntur infideles. Hæc crux est resurrectio piorum, & ruina impiorum, est condemnatio satanæ, & salus populi Christiani. Hęc crux est illuminatio amantium lucem Christi, & obscuratio lacifugarum: ideo per crucem hanc Deus operatur erga homines iustitiam.

Per crucem Deus exercet iustitiam prę mians sanctos & puniẽs impios.

¶ Iudices virgas ferunt, per quas operantur iustitiam. Hæc est virga æterni iudicis Christi, hęc sceptrum regium est. De qua scriptum est, Virgam virtutis tuæ, emittet Deus ex Sion. Siquidem crucis notitia & honor ex Sion exiuit, per apostolicam prædicationem. Benedictum rursus hoc lignum, in quo expirauit, & abolita est maledictio humani generis, ex qua Deus homini maledixerat, propter peccatũ. At verò Christus subiens crucem sanctam, aboleuit hanc maledictionem, maledictionẽ in se suscipiens: quia maledictus omnis, qui pendet in ligno. ad Gal. 4. Iam verò, omnium benedictionum copia est in ligno hoc: quippe benedictum iam est hoc lignum benedictione ex rore cæli, & ex pinguedine terræ: & qui in hoc lignum credit benedictionem super caput suum sibi parat. Et qui maledixerit huic ligno, erit à Deo maledictus: & qui benedixerit benedictionibus replebitur. Crux de se lignum maledictum erat contemptibile, & odibile. Quis non horret in ligno suspẽdi? At verò simulatque ex hoc ligno pependit fructus ille benedictus ventris virginei, excussit à se omnem maledictionem, decussit omnem cõtemptum, redditum est amabile cunctis. Elongauit à se omnem maledictionem, & indu-

Gen. 27.

duit benedictionem sicut vestimẽtum. Ex quo enim pependit fructus vitæ & salutis ex eo, ex quo ornatum est hoc lignũ regis purpura, id est, sanguine Christi immaculati agni, maduit, non solum ex maledicto transiuit in benedictum, quinimo omnis benedictio cælestis, in hoc vnico ligno collocatur. Quia amantissimus domini habitat in ipso confidẽter, in eo quasi in thalamo tota die morabitur, Deute. 33. Nam quis alius est hic amantissimus domini nisi ille, cui dictũ est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui? Hic Deo amantissimus habitat confidenter in hoc ligno. Obloquuntur nanque hostes Christo pendenti in cruce, dicentes, Descendat nunc de cruce, & credemus ei. At verò ipse fixus habitabat in cruce, & in hoc ligno quasi in thalamo, tota die morabatur. Nanque depositus de cruce, & sepultus in sepulchro, & surgens triũphator crucis stigmata in corpore suo portat: vnde discipulo incredulo, tangẽda præbet crucis stigmata: vt incredulitatem resurrectionis deponat. Gloriosus igitur adhuc, crucem amat, & crucis notas in se defert & triumphi memoriã in se ipso signatam habet.

In Cruce Christi omnis benedictio cælestis collocatur.

¶ Flos huius ligni sanguis Christi est, quo floret, multo pulchrius, quam virga Aaron quæ floruit. Fructus huius ligni, fructus vitę est, qui Christus est: germẽ huius ligni, sancti omnes sunt. Enim vero iuxta arbores suppullulantia videmus virgulta, quædam, quæ sunt tanquam filij arboris, quia ex arbore, iuxta se progerminatur. Ex arbore autẽ crucis progerminantur omnes sancti & electi Dei. Omnes enim isti fidẽ crucis, & amorem crucis profitentur. Omnes isti cruce signatas gerunt frontes. Nolite, ait angelica vox, Apoca. 7. nocere terræ, neque mari, neque arboribus, donec signemus seruos Dei nostri in frontibus eorũ. Hæc autem signatio seruorum Dei nostri, signaculum est Christi, quod est crucis signum: est nanque signum filij hominis. Matth. 25. Hoc est illud signum cuius in Ezechiele fit mẽtio. cap. 9. Trãsi, ait dominus, per mediam ciuitatem, in medio Hierusalem, & signa Tau, super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus

Crux Christi gaudet diuino flore fructu, & germine.

Crux Christi, signum salberrimum protegẽs cruce signatos.

quæ

quæ fiunt in medio eius. Est autem litera Tau, T. quæ crucis repræsentat figuram. Soli ergo ij, qui hoc signo crucis frontes habuerint micantes seruantur à gehennæ incendijs: cæteri omnes, qui tanto signaculo, non fulgent dubio procul peribunt. Nam qui hoc signo crucis obmuniuntur sanguine Christi fulciuntur, sanguine agni proteguntur, ne ab angelo deuastatore percutiantur, Exo. 12. Quamobrem non solum crux Domini, signum est iustitiæ, sed est etiam misericordiæ signum, per quam eruimur ab angelo deuastante, scilicet, cacodæmone. Ideoque facturus est Christus iudicium finale, quod erit misericordiæ & iustitiæ iudicium, misericordiæ sane iudicium ijs, qui misericordiam exercuerunt, & iustitiæ iudicium ijs, qui misericordiam neglexerunt. Nam misericordibus, dicet Dominus. Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Ideo venite benedicti patris mei percipite regnum, &c. Et immisericordibus è contrario dicet, Esuriui, & non dedistis mihi manducare: ite maledicti in ignem æternũ. Hoc igitur iudicium quando administrauerit Christus, tunc prodibunt regis in cœlo vexilla micantia, fulgebitque crucis mysterium. Quia per crucem exercebit iudicium misericordiæ cum sanctis suis, quos ducet ex gratia sua, & ex merito ipsorum, ad lucidas angelorum habitationes. Et per crucem exercebit iudicium iustitiæ, vindicatiuæ, cum inimicis crucis suæ detrudens eos, ad tartara. ¶Reges autem quando cum pompa regia publicè procedunt, regia insignia eos præcedunt, vt omnibus apertum sit regem per viam venire, & se se illi parent venerando. Sic quoque Rex cœli, & vniuersorum venturus in maiestate sua cum sanctis angelis suis, & cum millibus sanctorum suorum in die illo nouissimo, quando cœli mouendi sunt & terra, iubebit angelis suis ministris, vt præueniant suum ad iudicium de cœlo descensum, ferentibus regis cœlestia insignia, regisque diuina trophea.

Iudicium finale erit misericordiæ & iustitiæ iudicium.

¶Est autem huius regis insigne, crux, quæ hominibus erat vilissima. Hanc nihilominus rex cœlestis vsque adeo honorauit, & nobilitauit, vt clauem eam fecerit regni cœlorum: & quod ipsa aperuerit erit apertum, & quod ipsa clauserit, erit clausum. Quod homines omnes contemnebant, hoc voluit esse cœlorũ apparatum: quod homines vile ducebant, hoc voluit esse tanquam arcã, quæ condit diuinæ misericordiæ thesauros: vt iam discas verum esse, quod ipse Dominus dixit, Esa. 55. sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris. Quis obsecro mortalium crederet, sub tanta crucis vilitate, tantum condendum thesaurum? sub tanta crucis ignominia, tantam futuram hominum exaltationem? Non vtiq;, quia in lignea cruce, hoc meritum erat, sed quia illi affixus est, angelorum & hominum Dominus: quia illã tinxit sanguine suo, quia in ea ad patrem bis clamat vehementi voce: quia in ea pro crucifixoribus orat: quia in ea latroni vitam distribuit æternam: quia in ea sitim suam pronuntiat: quia in ea ex materno affectu tactus matrem apostolicæ clientelę concredidit.

¶Quia denique in ea mortuus est Dei filius, & consummatum est humanę redemptionis mysterium. Hinc conciliat crux vires aduersus diabolicas potestates: hinc vires conciliat sibi claudendi inferni ostia, & reserandi cœli ianuas: hinc habet intimam operationem in omnibus sacramentis ecclesię, quę omnia celebrantur sub crucis signatura: hinc multiplicat crucis virtus martyres, quia jugula aperiunt carnificibus promptissimo animo crucem Domini contemplantes, dignum ducentes, pro illo mortem oppetere, qui prior dilexit eos in cruce fundens sanguinem. Hinc confessores Christi, se subtrahunt à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam: quia cõsiderant Christum in cruce cruore suo madentem, & clauis confixum, spinis coronatum, felle & aceto potatũ. Hinc denique virgines bellum indixerũt perpetuum contra carnis illecebras, vt crucis amaritudinem nũc libantes, delicias obtinere valeant æternas. Et demũ omnis virtus fidelium omnis sanctificatio, omnis diuina protectio, omnis cœlestis armatura, ab hac cruce Domini deriuatur. Ipsa enim est, vt Ioannes Damascenus sermone in laudem crucis ait, scutum

Crux à crucifixo Christo omnem sibi parat virtutem.

Sanctorum pullulatio ex cruce.

tum fidelium,& arma,& trophæum aduersus diabolum:ipsa signaculum vt nõ tangat nos exterminator: ipsa iacẽtium erectio,stantium firmamentum. Baculus debilium, virga pastorum, conuertentium manuductio, proficientium perfectio, Animæ salus,& corporis,omnium malorum auersio, bonorum causa peccati destructio, arbor resurrectionis lignum vitæ æternæ. Et Beatus Ephrẽ, sermo. de viuifica cruce, Crux,ait, veraciter sanctificauit orbem, fugauit tenebras,lucemque reuexit. Hæc eliminauit errores viamque monstrauit. Et Andreas episcopus Cretensis,Hierosolymitanus in sermo. de pretiosæ & viuificæ crucis exaltatione, hæc habet, Crux arma contra inimicos,sceptrum regni, diadema pulchritudinis, figura non scripta virga potentiæ, fidei propugnaculum, baculus senectutis, dux cæcorum, lux eorum qui sunt in tenebris, eruditrix insipientium,magistra infantium, Peccati deletio,Pœnitentiæ indicatio,vitę cõciliatrix,mortis solutio, interitus alienatio,ignis extinctio,apud Deum fiducia, clauis regni cælorum. Nos multa de vitali hoc crucis ligno diximus in declamatione ad Esaiam,ideo nunc morosius in eius enchomijs denarrandis non spatiabimur.

Crucis diuini effectus.

¶Iam verò quærendum restat,cur ignominiosam hanc crucis mortem, pariterque acerbissimam dominus sibi selegit? Non enimvel decollari,vel lapidari,vel deuri, vel præcipitari, vel suffocari vel alijs mortis generibus subijci voluit,sed atrocississimæ crucis morti se subdere sibi placuit: quandoquidem crux non ex se sanctificat, sed ex Christo crucifixo. Igitur, quãcumq; mortem subire constitueret Christus, ipsa sanè summi pretij esset, & satisfactoria esset secũdum exactissimam Dei iustitiam, pro peccatis nostris,cur ergo acerbissimam, & ignominiosissimam apud homines, subire amauit mortem?

Cur dominus atrocissimã selegit mortem.

¶Et quidem sanguine esse abstergenda hominum piacula,satis adumbrauit dominus per typos veteres. Vnde Paulus ad Hebræos.9.vt quod nouum testamẽtum, ex morte Christi esset constituendum ibidem traditur dicens. Vbi vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamẽtum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet: quia viuit qui testatus est: vnde quidem neque primum sine sanguine dedicatum est, & cætera quæ sequuntur.

¶At vero cur hanc mortem crucis delegerit, est quod vertimus in dubium. Et quidẽ Ecclesia canit, vt vnde mors oriebatur inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Et rursus,Ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret. Hoc ordo nostræ salutis opus depoposcerat, Vt multiformis proditoris ars vt artem falleret. Et medelam ferret inde,Hostis vnde lęserat. Deus nanque secundum sapientiã suam per easdẽ causas, per quas homo lapsus fuit calamitosissimo lapsu, instituit eũdem reparare: quippe res per easdem causas, per quas nascitur soluenda venit. Quare cum ex ligno processerat mors per esum enim ex arboris fructu prohibito, morti se subiecit protoplastus,atque suam posteritatem eidem dãnationi obnoxiam fecit, instituit Deus per crucis lignum etiam reparare hominis infelicissimam ruinam: quare crucis mortem subire voluit.

¶Id quod in lib. Canti. cap.8. non obscure docetur in hæc verba, Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua,ibi violata est genitrix tua, per matrem & genitricem naturam humanam subaudiens,quę corrupta sub arbore est atque violata ex peccato protoplastorum. Nam tunc persona protoplasti infecit naturam nostram, vt postmodum violata natura inficit nascẽtiũ personas.

¶Cæterum si adhuc perscrutari non piget,huius dubij profunditatem inuenie mus apud Paulum ad Rom.5.huius dubij causam insinuatã in hæc verba, Vbi autem abundauit delictum superabundauit,& gratia: vt sicut regnauit peccatum in mortem,ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum. Christus ergo crudelissimã, & ignominiosissimam selegit sibi patiẽdam mortem. vt superabundaret gratia redemptionis delictum damnationis: & rursus,vt sicut regnauit peccatum, idest sicut maxima fuit tyrannis peccati, hãc enim tyrannidem vocat regnum Paulus

Pauli locus difficilis exponitur.

ita

ita sit maximè florens regnum gratiæ Iesu Christi. Duo igitur nobis proposuit apostolus, & quod, etsi abundauit delictum hominis, superabundauit nihilominus gratia Dei. Secundum est, quod sicut regnauit peccatum in mortem, ita oportuit quod regnet gratia Dei in vitam. Primam intelligentiam disces, si obseruaueris, delictum primi hominis fuisse abundans delictum, quippe quod non solum infecit eum, sed etiam totum genus humanum ab illo naturaliter propagatum. Quamobrem fuit hoc delictum maximum, & grauissimum delictum: quoniam eius malitia effecit omnes homines Deo inimicos, & extorres à regno Dei. Vnde secundum hanc sequelæ rationem, si expenditur hoc peccatum, excedit omnia alia quæcunque ea sint hominum peccata: tametsi iuxta peccati essentiam, alia sunt quæ ex suo obiecto essentialiter sunt grauiora, vt quæ sunt directe contra Deum ipsum, vt hæresis, odium Dei, &c. de quare alibi in. 2. Senten. nos profusiorem texuimus sermonem. Huic ergo grauissimo, & nocentissimo omnium delicto Deus opposuit in antidotum maximam gratiam suam, vt maxima Dei gratia, maximum absorberet aut dilueret delictũ.

Peccatũ Adami maximũ non ex obiecto sed ex circunstantia sequelæ.

¶ Fuisset autẽ abũdãtis gratiæ Dei, si solũ disposuisset, vt redimeret ab hoc delicto seruum, tradere filium: cęterum fuit superabundantis & supra modum excessiuæ, non solum tradere filium suum vnigenitum in qualemcunq; mortem, sed in mortem omnium crudelissimam, & ignominiosissimam, vt qui solebat in multitudine gloriæ suæ deprimere aduersarios suos Deu. 15. Iam in multitudine ignominiæ suæ voluerit deponere diabolicum supercilium, & hominem è faucibus leonis immanissimi eripere. Et qui gutula sanguinis potuisset piacula abstergere nostra, non est gutula contentus, sed totum voluit profundere sanguinem in nostri delicti redemptionem. ¶ Recenter natus sanguine madet circunciſus octauo die, adultus iam in horto prostratus sanguinem sudat, non roribus solum sanguinis aspersus, sed riuulos potius manans, adeò, vt sanguis eius decurrat super terram. In domo Pilati flagellis cæditur, & sanguinem rursus per immaculatum corpus dimittit. In cruce leuatur immolandus, & ex diuino capite sanguinem stillat, puncto spinis acutissimis, & manus & pedes, clauis confixi, fontes scaturiunt sanguinis, quinetiam vulneratum ex lancea latus, nõ parce sed sanguinem profert largissimè. Quid ita obsecro, nisi vt abundans delictum superabundanti sanguine, superabundanter expiaretur?

Abundans protoplasto rum peccatum, super abundãti Christi gratia fuit expiatum.

¶ Vnde non ineptè dixeris, corpus Christi fuisse tanquam saccũ plenum thesauro incomparabili, & tanquam pyxidem alabastritem refertissimam cœlesti vnguento, & tanquam apothecam odoratissimo imbutam balsamo. Scinditur igitur sacculus iste sub passione Domini flagellis, spinis, clauis, lancea & thesaurus incomparabilis nostræ redẽptionis Deo offertur, quem thesaurum non potuit Deus non probare, quia thesaurus infinitus erat. Quis autem thesaurus iste fuerit, Petrus declarat dicens. 1. Petri. 2. Non corruptibilibus, auro, vel argento empti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & inconta minati. Quis igitur inficiabitur tam incomparabili thesauro humanam ex peccato captiuitatem esse superabundanter redemptam?

¶ Fuit quoque sanguis hic, non solus thesaurus incomparabilis redemptionis humanę, sed etiam vnguentum pretiosissimum, ex quo vulnera nostra fuerunt delibuta, & medicamentum sibi parārunt, & sanitatem: vt rectè dixisse me putes, corpus Christi fuisse instar vnguẽtariæ pyxidis, continentis saluberrimũ humanæ salutis vnguentum. Hoc vnguentum summus pigmentarius in cruce pendens, fecit, vt vnctiones ibi fecit sanitatis eccles. 38. Hoc est vnguẽtum, quod ex oleo, & vino diuina arte est cõcinnatum, & vulnerato homini, & spoliato à latronibus, Samaritanus verus Christus, ex cruce iter faciens ex hoc mundo ad patrem, clamãs voce magna, & dicens, In manus tuas commendo spiritum meum, administrauit. Suaue quidem nobis vnguentum administrauit, quod vulnera nostra suauissimè per sacramenta curat: at huius vnguenti compositio Christo amarissima fuit, quia per mortem amarissimam, quam sustinuit

nuit, vnguentũ istud fuit nobis præparatũ. Habet sanè vnguentũ hoc & vinũ & oleũ, quia ex iustitia, & misericordia præparatur. ¶Nã iustus Dominus, & iustitias dilexit, & miserationes eius super omnia opera eius. Iustus est Dominus, nos iustificans per mortẽ filij sui, & misericors Dominus, qui nõ ex meritis nostris, sed per dilecti filij sui merita, nos trahit ad amicitiã suã, si tamen volumus vocanti consentire, & incitanti ad pœnitentiã obedire. Misericors itẽ est, qui nõ ex meritis nostris nos vocat & iustificat: at vero iustus est, qui sine opere nostro nos nõ iustificat. ¶Vnguẽtum istud est Deo odoratissimũ, quia sanguis Dñi effusus est in cruce sacrificiũ Deo in odorẽ suauitatis ad Ephes. 5. Quocirca corpus Domini aptè diximus fuisse vt apothecã balsami. Nãq; sicut cinamomũ, & balsamũ aromatizans odorẽ dedit suauitatis, Eccl. 24. Fætor peccatorũ nostrorũ, mũdũ occupabat, & diuinũ olfactũ grauiter offendebat, aperitur in ligno crucis apotheca hæc balsami cœlestis, & funditur odor vitę, in vniuersum orbem, Deo & angelis quã gratissimus diabolo infestissimus. Fidelibus odorẽ vitę fundit balsamũ hoc, infidelibus autẽ odorẽ mortis. Nã verbũ crucis pereũtibus stultitia est, quib⁹ Christi sanguis pollutus ducitur. Elegit igitur Christ⁹ crucifixonẽ, quia mors hæc diutius cruciat, quã alia mortis genera, quæ dãnatis inferũtur. Vnde latronũ crura franguntur, vt mortẽ illis milites accelerarent, ne remanerẽt, eorũ corpora sabbato. Nanq; si sabbati festiuitas tũc nõ immineret, in patibulis dimitterentur latrones, vt diutiorẽ mortẽ paterẽtur appensi. ¶Hæc mors rursus est multi sanguinis effusiua, & ex dominico corpore, multò copiosiorem effudit: quandoquidẽ ex alijs crucifixis, ex sola clauorum punctura sanguis fundebatur quousq; spiritus deficeret, qui sedes sanguinis est. At ex Domini corpore, non claui solũ, sed flagella, sed spinæ sanguinẽ fundunt. ¶Tertio hæc mors vnitatẽ mẽbrorũ & integritatẽ corporis nõ dissoluit. ¶Quarto deniq; hoc genus mortis, ignominia plenũ erat, quia maledictus erat qui pẽdebat in ligno. ¶Porrò, genus mortis ex adustione, nõ prolongatã infert mortẽ: flãmæ nanque igneæ vehementis sunt actionis, ideoque citissimè carnes & ossa in cineres, resoluit, vt etiam decollatio cito finit hominis vitam ex vno ictu deijciens ex humeris caput, vt etiam præcipitatio, & suffocatio. Et quanuis iugulatio cruenta sit mors, at non est dilata mors (vt aiebam) vstio verò, & breuis est & incruenta mors. Iugulatio item vnitatem membrorũ lędit, quia caput abscindit à corpore, vt vstio membra omnia soluit in cineres. Ex lapidatione quoque cita potest esse mors, & incruẽta est, & mẽbra si non lauat, neque soluit, at quassat & conterit, vt mors ex præcipitatione. Suffocatio autẽ mors est, quæ mẽbrorum integritatẽ nõ offendat, at sanguine nõ madet. Et demũ huiusmodi genera mortis non erãt tãtæ ignominiæ, vt crucifixio. Christus ergo eam mortem assumpsit, in qua plura mala cõgregabãtur, & maiori acerbitate torqueret, & maiori ignominia affligeret. Quæ nihilominus integritatẽ suorũ membrorũ, non dissolueret ne resurrectionis fides vllatenus labefactaretur. Nanque si in cineres solueretur corpus Domini aut mẽbra dissoluerentur, quis crederet esse eundẽ resurgentẽ, qui in cineres fuerat versus? aut si detrũcaretur, &c. Ideo neq; detrũcatur, vt Baptista, neq; lapidatur, vt Stephanus, neque flãmis traditur, vt Laurẽtius, neq; præcipitatur, vt Iacobus, sed crucifigitur, vt dilata morte, vberiora faceret vitę præmia, vt cruẽta morte, thesaurũ nostrę captiuitati redimẽdæ ditiorẽ paret, vt vnguẽtũ nobis sanandis salubrius adornet, balsamũ, fœtori nostro fugando odoratius cõcinnet. Crucifigitur, vt mẽbris saluis & integris sepultus, & integris resurgẽs à mortuis ne difficilẽ resurrectionis fidẽ in apostolis, & discipulis suis ingeneret. Et Thomæ dicat, Infer digitũ tuum huc, qui mittẽs in fixuras clauorũ, & tãgẽs suis manibus Christi latus, nõ fuit incredulus, sed fidelis. ¶En tibi quam ob causam quantũ inuestigare nobis à Deo est concessum, Dominus mortem crucis sustinere delegit: & nulli cuiuis alij generi mortis subijcere se voluit. Quanuis enim, vt paulo ante aiebam, non ex ligno crucis mors Christi, est humanę salutis pretiũ, sed ex ipso Christo, vt vbi abundauit delictũ, superabũdaret & gra-

Mors crucifixionis habet quatuor conditiones inter alias quibus excedit alia genera mortis.

tia, crucis mortẽ atrocissimã, & ignominiosissimam subire decreuit Dominus. ¶Porrò autẽ secundũ absoluamus, apostolicũ verbum iam cõmemoratũ, scilicet, sicut regnauit peccatũ in mortẽ, ita gratia regnet per iustitiã in vitam æternam. Vtiq; ante Christi mortẽ regnauit peccatũ in mortem: siquidẽ peccatum non solũ grassabatur in peccatores, sed etiam in iustos, & sanctissimos quosq;. Quoniã quantacunq; sanctitate polleret, post cursum tamen vitæ etiã sanctissimè peractũ, ad limbicas inferni sedes, descendendũ erat illis: quia cœlestis aditus intercluſus erat omnibus hominibus intercludẽte illũ totius naturæ peccato, quod nondũ per Christũ solutum erat. Hoc igitur erat peccati regnum in mortem, non tẽporalem solũ, quia hoc peccati regnũ in mortẽ temporalẽ, nondũ euacuatũ est: siquidem omnes morimur, & sicut aqua dilabimur super terram: sed erat peccati regnũ in mortẽ spiritualem, cui oppositus apostolus gratiæ regnum in vitam æternã. Quia peccatores inferno demergebat damnatorũ, iustos verò in limbicũ carcerẽ concluſos detinebat, peccatum naturę, quominus fruerentur vita cœlesti. ¶Regnum igitur peccati in mortẽ erat, quia peccatoribus mortẽ animæ inferebat, iustos verò vitã æternam possidere non sinebat. ¶At verò post Christi mortẽ in cruce, regnũ hoc peccati est abolitũ, quippe omnibus iam patet cœlestis habitatio nihil est iam quod morari eam possit, nisi proprius reatus, propriave rebellio. Qua propter in cruce pendens Dominus, hoc regnũ peccati soluit, dicens latroni, Hodie mecũ eris in paradiso. Et à morte sua partes terræ infernas detinentes, sanctorũ patrũ animas lustrans, eas illustrauit diuinæ suæ claritatis luce. Et ex tunc gratia Dei cœpit regnare in vitã æternã per iustitiam. Per quã iustitiã? Vtique per obedientiã Iesu Christi ex qua factus est obediens vsq; ad mortẽ mortẽ autẽ crucis. Hęc nimirũ iustitia est, per quã gratia Dei regnat. Gratia igitur Dei per crucẽ Christi regnat, extra crucẽque Christi nõ habet regnũ. Vnde de Christo prædixerat angelus, & regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Regnat enim in domo Iacob, idest, in supplantatoribus vitiorũ, hoc enim sibi vult etymon Iacob, nõ in supplantatis à vitijs, & cõcupiscentijs, sed in supplantãtibus, & vincentibus ea. Regnat enim in ijs, qui carnem suã crucifixerunt cũ vitijs, & cõcupiscẽtijs suis, ad Gala. 5. Gratia Dei quocirca nihil regni habet in ijs, qui crucẽ Christi nõ colunt, sed neque in ijs, qui eã colunt fide, sed non affectu & opere: quos apostolus notãs ad Philip. 3. ait, Multi enim ambulãt, quos sæpe dicebã vobis (nunc autẽ & flens dico) inimicos crucis Christi. Si enim gratia Dei per crucẽ Christi regnat, in huiusmodi inimicis crucis regnare nequibit. ¶Ipsum regnum ergo gratiæ Dei præ se fert tormentũ, & cruciatum, quia est regnum per Christi crucem: at crux, à cruciatu nomen deriuat. Ideo Christus aiebat, Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me. ¶Gratia ergo Dei cruci Christi est connexa: vnde qui voluerit gratiã Dei, crucem Christi amplectatur: & qui crucem Christi exhorruerit, gratiam Dei non quærat. ¶Obserua interim, vt gratia Dei, & iustitia Christi, nõ sepellunt, sed mutuo se cõplectuntur amore. Apostolũ enim audiuisti dicentẽ, gratiã Dei regnare per iustitiam in vitã æternã. Iustitia nanq, est in cruce Christi, vbi est appensum mundi pretiũ: at verò gratia Dei est in participatione huius iustitiæ, huiusve obedientię ad mortẽ, quã habuit Christus. In ipso Christo est iustitia, quia factus est obediẽs vsq; ad mortẽ crucis, in nobis verò est gratia: quia gratis vocamur ad participiũ huius iustitiæ. Quia nõ ex operibus nostris, sed secũdũ suã misericordiã saluos nos fecit, per lauacrũ renouationis & regenerationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundẽ. Quod ergo ad baptismũ percipiendũ, vel ad pœnitẽtiam trahamur, vbi participamus maximè merita Iesu Christi, gratię quidẽ est, si ad nos referatur tractus iste, quia nihil meriti erat in nobis, antequam recõciliaremur Deo, per Iesum Christum: at verò si ad Christũ referas per iustitiã Iesu Christi, nobis Deꝰ fit propitius, vt nos vocet, & trãsferat ad regnum dilectionis filij sui. Ex quo fit, vt cõgruẽter à Ioãne dictꝰ sit Chriſtus propitiatio ꝓ peccatis nostris nõ solũ nostris, sed etiã pro peccatis totius mundi:

Regnũ peccati ante Christi mortem quale.

Gratia Dei regnat in cõsentibus crucẽ Christi & verbo & opere.

Gratia Dei & iustitia crucis Christi sibi cõsentiũt.

mundi: quia per obedientiã ſuæ mortis ipſe promeruit vniuerſis hominibus volentibus tamen & non repugnantibus, Deo propitianti & vocãti eos ad iuſtificationẽ. Quod vero Paulus adiecit, verbis præhabitis, per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum, explanatio eſt eius quod dixerat, Per iuſtitiam in vitã æternam: quaſi dixiſſet, Hæc iuſtitia, per quam gratia Dei regnat in fidelibus, eſt ipſe Chriſtus Dominus noſter. ¶Eſt autem iuſtitia nobis Chriſtus. 1. Cor. 1. Qui factus eſt nobis ait, à Deo ſapiẽtia, & iuſtitia, non quia ipſe formaliter ſit fidelium iuſtitia, vt falſò cõmentantur hæretici: ſed quia propter ſuã obedientiam ad patrẽ, quam habuit quatenus homo erat, promeruit nobis, vt per ſua ſacramenta iuſtificemur. In tertio ſententia. vberius hęc diſſeruimus: ideo parcius modò hęc tractamus paſsionis Domini myſteria potius enodantes. Exordio igitur horũ moralium, finẽ iungamus, *Ibi crucifixerũt eum*. In loco, ſcilicet, inhoneſtiſsimo Calуariæ, qui erat locus deputatus ſupplicio iniquorũ hominum, vt non tantum ſupplicio crucis Chriſtũ torquerẽt, ſed ex loco etiã ſupplicij eũ inhonorarent quinetiã quaſi latrociuio inſignioręm vt ſocietate latronũ eundẽ vehemẽtius dehoneſtarẽt, ipſum ſtatuerũt in medio latronũ. Locus ergo ſupplicij turpis, ſuppliciũ ignominioſum, ſocietas itẽ turpiſſima. Studuerunt denique Iudæi, nullũ nõ mouere lapidẽ, vt ſummopere, Dominũ inhoneſtarent, permittẽte Deo tamẽ, tot opprobrijs innocẽtiſsimũ affligi Dominũ, vtnos nocẽtes ſuper abũdãtiſſima honeſtaret gratia. Plura alia habes de Dñi paſsione in noſtra declamatione ad Eſaiã, de paſsione Domini inſcripta.

1. Ioan. 2.

Iudæi nihil intentatũ dimiſerunt vt Chriſtidetur parent honorem.

ENARRATIO. I.
In caput vigeſimum.

¶*Vna autem ſabbati Maria Magdalene, venit mane cum adhuc tenebræ eſſent ad monumẽtum: & vidit lapidem ſublatũ à monumẽto.*

ABSOLVTA denarratione vitę, & paſsionis, & ſepulturæ dominicæ, iam modo reſurrectionis dominicæ, ſacramentum diſſerit Ioannes. ¶Quod ſane ſacramentũ eſt conſummatio, & perfectio omnium myſteriorum prædictorum Chriſti. Nanque Domini reſurrectio, firmam fecit fidem, diuinitatis Ieſu Chriſti: quis enim crederet, natũ ex virgine fuiſſe Deum, & mortuum in cruce fuiſſe Deum, & ſepulchro cõditum niſi reſurgentem à mortuis veraciter, accepiſſet? Quocirca Dominus petẽtibus Iudæis, Matth. 11. ex cœlo miraculum, nõ aliud ſpopondit, niſi ſignum Ionæ prophetæ, vt ſicut Ionas fuit cõditus in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus, ita, &c. ſignificãs hoc ſermone, hoc vnum miraculum reſurrectionis ſuffice re, ad comprobandum omnia Chriſti & geſta & verba, & vt opilarentur laxa rebellium Iudæorum ora Chriſtum blaſphemantia. Omnis enim iniquitas opilare debet os ſuum, quando certiſsimũ eſt ipſum eundẽ, quẽ Iudæi ſubſanarũt, vt peccatorẽ, & cuius verbis non credebãt, neque miraculis obtẽperabãt, calũniando, In principe Beelzebub eſſe facta, & blaſphemãdo Chriſtũ nõ ex Deo eſſe hominẽ quippequi ſabbatũ nõ cuſtodiebat, hũc eundẽ, in quẽ tot maledicta cõgeſſerunt & morte turpiſsima tãquã malefactorẽ dãnarũt, cũ fides recta doceat à mortuis ſurrexiſſe planè, reſurrectionis fides vera cõfundit Iudæorum inueteratã perfidiã, & cõuincit eos, hoc inconcuſſæ veritatis miraculũ, de veternoſa ſua cæcitate. ¶Quãobrẽ, Dñs hoc miraculũ ſolũ illis obtrudebat ante mortẽ, vt reſurrectionẽ ſuã, quaſi puppim, & prorã omniũ myſteriorũ fidei. ¶Porrò autẽ miraculũ hoc diuerſis verbis diſſeritur ab Euãgeliſtis: ſiquidẽ Ioãnis verba iã accepimus, à quibus Matt. videtur diuerſus dicẽs, Veſpere autẽ ſabbati quę luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, &c. Ioãnes dixit, Vna ſabbati Matth. Veſpere ſabbati, quæ luceſcit prima ſabbati, à quo etiã Mar. diſcrepare videt, nã ait, nõ ſabbati, ſed ſabbatorũ. Et valde mane vna ſabbatorũ, venerunt ad monumentũ orto iã ſole. Et hic à Ioan. diſcrepare etiã videtur. Ioan. enim ait, Cũ adhuc tenebrę eſſent, mulieres veniſſe ad monumẽtũ, at Mar. orto iã ſole. Si ortus erat ſol, tenebræ ſplẽdore lucis micãtis ſolis fugatę iã erãt. Prętera Matth. duarũ mulierũ meminit, ſcilicet, Marię Magdalenę, & alterius

Reſurrectio Chriſti fidei catholicæ ſummum firmamentum.

Miraculũ reſurrectionis confundit inueteratã Iudæorum perfidiam.

rius Mariæ, quã nõ cognominat. Ioan. vnius Marię Magdalenę mẽtionẽ facit. Marcus verò triũ mulierũ meminit, ſcilicet, Magdalenę, & Marię Iacobi, & Salome. Lucas deniq;, Magdalenę adiecit Mariã Iacobi, & Ioannã, & alias itẽ, quę Dominũ ſubſecutæ fuerant ex Galilæa ſuppreſsis nominibus earum. ¶Ad hæc Mar. ait, Et cũ tranſiſſet ſabbatũ, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerũt aromata: at vero Lucas prius fuiſſe empta feria ſexta aromata tradit. Inquit enim, Et reuertẽtes (ſubaudi ex viſo ſepulchro Domini) parauerũt aromata, & vnguẽta. Et ſabbato quidem ſiluerũt propter mandatũ, ſcilicet, ne rabidi illi canes, qui cõtra Dominũ oblatrarãt, illis quoq; obloquerẽtur. Et rurſus cap. 24. Valde diluculo venerunt ad monumentũ portãtes, quæ parauerũt aromata: iã ergo in feria ſexta parauerãt. Neq; euaſio opportuna erit, ſi dixeris, vt quibuſdã arriſit euadere, paraſſe feria ſexta vnguẽta, ſed nõ aromata, cũ Luc. expreſſe tradat, eas luceſcẽte ſabbato, ſcilicet veſpera ferię ſextæ poſt ſepultũ Dominũ præparaſſe aromata, & vnguẽta. De apparitionibus quoq; Domini non nihil difficultatis apparet in Euãgeliſtis, vt ſub hæc dicemus. Cęterũ pro cõſtãti eſt tenendũ ſub diuerſitate verborũ, idẽ ſibi ſemper ſapuiſſe Euãgeliſtas. Augu. igitur lib. 3. Euangeliſta. c. 24. verba obſcura, Matth. expoſuit, dicens, Matth. à parte totũ intellexiſſe ideoq; veſperam ſabbati appellauit noctẽ ſabbatinam cuius noctis fine venerunt ad monumentũ mulieres. Ergo quoniã ſabbato impediebãtur, vt nõ ante facerẽt, ab eo tempore nominauit noctẽ Matth. ex quo eis liceret, vt faceret, quodcunq; vellent tẽpore eiuſdẽ noctis. Sic itaq; dictũ eſt veſpere autẽ ſabbati, ac ſi diceret, nocte ſabbati, ideſt, nocte, quæ ſequitur diem ſabbati. Quod ipſa verba ſatis indicãt, Quę luceſcit in prima ſabbati, quod fieri non poteſt, niſi tantũ modo, primã noctis particulã, ideſt, ſolũ initiũ noctis, intellexerimus, dicto veſpere ſignificatum. Neque ipſum initium noctis luceſcit in prima ſabbati, ſed ipſa nox, quę incipit in luce terminari. Veſpere ergo noctẽ ſignificauit, cuius extremũ eſt diluculũ: diluculo enim venerunt ad monumẽtum. Per

Euãgeliſtarũ concordia.

veſperã igitur ſabbati intellexit Augu. initiũ noctis diei dominicę quę terminabat ſub luce diei dominicæ, ſabbati diẽ præcedentẽ, & ſicut Latini feriã ſecundã vocitant eã, quæ ſequitur diẽ domini cum, & feriã. 3. diem tertiũ poſt dominicũ, &c. quia dies dominicus, cũ ſit dies quietis, ideo ipſe eſt ferialis dies: à verbo ferior, quod ſignificat vacare à negocio: vnde alij ſequẽtes dies vtique ad feriã. 6. denominantur feriæ, dies vero dominicus non vocatur feria, ſed ab inſigniori denominatur, ſcilicet, dominicus dies: ita Hebræi vocabant primam ſabbati, ideſt primum diem poſt ſabbatum, quẽ nos dominicũ. Eſt autẽ dies dominicus multæ obſeruationis dies, in quo Dominus creauit cœlũ & terrã, & ſurrexit, & natus eſt & iudicabit omnes homines.

¶Raba. verò aliter intellexit locũ hũc, Veſpere ſabbati venire cœperunt, ſed luceſcente mane in prima ſabbati, ad ſepulchrum peruenerunt. Ideſt, veſpere, aromata parauerunt: quibus corpus Domini vngere deſiderabant, ſed aromata veſpere præparata mane ad ſepulchrum detulerunt. ¶Aliter autem Hieron. in Matth. 28. qui diuerſa hæc tempora, quæ in euangelicis literis deſcribuntur, ſub quibus referuntur mulieres veniſſe ad ſepulchrum, ſedulæ viſitationis officia eſſe exiſtimat. Dũ crebrò abeũt, & redeunt, & nõ patiuntur à ſepulchro Domini diu abeſſe, vel longius.

¶Cæterum has mulieres ſub tenebris non veniſſe ad ſepulchrum inde apparet, quia inſtitutum erat illis Domini corpus vngere, & implorato alicuius auxilio aduolutum lapidem reuoluere: at vero ſub tenebris profundis nõ poſſent, hoc quod intendebant officium corpori Domini exhibere. Imo cum Domini corpus eſſet lintheis ligatum, & ſindone inuolutum, & ſudario coopertum, qui fieret vt ſub tenebris hęc ſoluerent ligamina, vt retecto corpore vngere illud potuiſſent? Et quanuis ſuper obuolutum lintheaminibus corpus, vellent vnguenta fundere, non poſſent niſi caſu, obſtantibus tenebris.

¶Rurſus, videbitur forſan alicui quod quando ipſæ acceſſerunt ad Domini ſepulchrum, nondum abundanti potitas fuiſſe luce. Quandoquidem Ioannes

poſt

poſt illas veniens, inclinauit ſe, vt videret, ſi in ſepulchro videret iacens in ſepulchro Domini corpus, & vidit linthea mina, & vt Lucas ait, Petrus item procumbens idem vidit. At vero ſi clara tũc lux fulgeret diei, vtique erecti Ioannes, & Petrus vidiſſent, ſi iacebat ibi Domini corpus. Quamuis hoc indicium nõ eſt ſufficiens, ſiquidem videtur Petrum & Ioannem iam ſole exorto veniſſe ad monumentum: quippe mulieres ſub crepuſculis venerunt ſolis. Petrus autem & Ioannes à mulieribus ex domibus eorũ fuerunt adducti, & in huiuſmodi itineratione, iam lux ſolis micabat. Quale quale hoc fuerit mulieres non ſub clara luce peruenerũt ad monumentũ. Quod autem legimus Petrum procubuiſſe & Ioannem ſe inclinaſſe, hoc obſcuritati ex profunditate antri vbi Dominus erat ſepultus eſt dandum.

¶Quî autem mulieres iſtæ ſtudebant, corpus Domini vngere ſemotis arbitris, declinantes furorem Phariſaicum: ideo ſtuduerunt rem facere quam inſtituerant vngendi Dominum, ſub luce aliqua, vt intentũ vnctionis officiũ nõ impediretur, & nõ ſub clara omnino luce, vt ſemotis vt aiebã arbitris inſtitutũ ſuũ vngendi Dominũ pacificè abſoluiſſent. Cum ergo ſepulchrũ Domini fuiſſet ſitum extra Hieroſolymã, erat enim prope Caluariæ locũ, vbi Dominus crucifixus fuerat, at vero Caluariæ locus erat extra vrbem, nam extra portam Chriſtus paſſus eſt, teſtãte Paulo ad Heb. 13. ¶Hinc mulieres has colligere poſſumus ad veſperam ſabbati, ideſt, in fine ſabbatinæ feſtiuitatis, iam decumbente ſole, quando Iudęis fas iam erat quicquã operari, rurſus paraſſe noua aromata, prętereа, quæ parauerant veſpera feriæ ſextæ, quæ ſane tũc nõ poterãt multa præparari, luceſcente feſtiuitate ſabbati, vel incipiente ſabbato ad decubitũ ſolis feriæ ſextæ. Deinvero præparatis aromatibus, & vnguentis ſufficienter, ſub nocte refecerunt ſe pauliſper ſomno, à quo ſe ſe excitãtes, vel à terræmotu excitatę ab angelo ſub reſurrectione vt Chryſo. tradit vel potius à feruido ex amore animo, qui eas nõ ſinebat in longũ produce re ſomnũ, ſub tenebris incipiunt ire ad ſepulchrum. Quia cũ fœminæ lẽto progrediantur gradu neceſſum erat illis, vt ſub diluculo peruenirent ad ſepulchrũ, vt diſpoſuerant, quod erat extra vrbem ſub tenebris iter rapere: vt ſub mediocri diluculi luce liceret eis corpus Domini vngere. Et hoc exponunt clarè Marcus, dicens, Valde mane, & Lucas, Valde diluculo, ſcilicet, ſub diluculante luce, eas peruenisſe ad ſepulchrũ. Et obſerua quã to ardeant Chriſti amore, vt noctis tenebris ire incipiunt ad ſepulchrũ nulla habita ratione honeſtatis muliebris nocturnos greſſus prohibẽs. ¶Vnde quod Ioannes ait, ſub tenebris veniſſe eſt intelligendum, ideſt, nondũ clara luce quod Hiſpane dicimus, *Aun no bien de dia*. Etſi vt videtur cœperunt pergere ad ſepulchrũ ex Hieroſolyma ſub nocturnis tenebris. Quod autẽ Marcus ſubiecit, cap. 16. orto iã ſole, ſub crepuſculo matutino eſt habendũ eas peruenisſe ad monumẽtum. In crepuſculis autẽ matutinis, iam incipiunt micare radij ſolis, etiã ſi ſol nõ dũ extet, at radios ſolis ex vulgato ſermone, ſolẽ nuncupamus. ¶Anabaptiſtæ huius ęui hæretici Marci capitulũ relatũ. 16. Marc. arbitrantur ob hoc quod ibi dicatur orto iã ſole, veniſſe mulieres ad monumẽtũ, eſſe cõtrariũ alijs euãgelijs, capitulũ iſtud: & ideo illud eſſe apocriphũ exiſtimant. Et indicant Hiero. tradidiſſe hoc capit. 16. Marci nõ extare in multis codicibus euãgelicis Græcis. Verũ Hiero. lib. 2. aduerſus Pelagianos, quid fuerit ſubductũ ab hoc cap. 16. Marci à patribus declarat eſſe clauſulã hanc, ſeculũ iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtãtia eſt. Quæ nõ ſinit per immundos ſpiritus, verã Dei apprehẽdi virtutẽ, idcirco iã nunc reuela iuſtitiã tuam. Quę verba referebãtur in. c. 16. Marc. in quibuſdã Græcis exẽplaribus dicta fuiſſe ab apoſtolis, poſtquã eorũ incredulitatẽ increparat Chriſtus, vt enim crimen ſuũ excuſarẽt, verba cõmemorata referebatur in eo cap. apoſtolos ſubtexuiſſe. ¶Quæ verba iã nõ leguntur, apud Mar. quia reputata ſunt apocripha. Verũ vt dicebamus, Iouis eſt ratio hæc Anabaptiſtarũ, quandoquidẽ facilis eſt concordia inter Matt. & Mar. vt dudũ exponebã. Nicepho. lib. 1. hiſt. c. 31. aliter expoſuit orto ſole, quia in paradiſo voluptatis iã ſol oriebatur, etſi Hieroſolymis ſeptima

Anabaptiſtæ non recipiũt cap. 16. Mar. ex inani cauſa perſuaſi.

vel octaua noctis erat quod nos dicimus Hispanè, *A la vna, ò a las dos de la noche.* Sunt autem verba Nicepho. sic rursum tertia post die, cum profundū etiā num vna sabbatorum esset diluculum, ac sol quidem tum circa paradisum in Edē oriretur, altioraque & sublimiora montium iuga attingeret, circa nostrum autem horizontem septima, aut etiam octaua obtineret hora nocturna Christus surrexit. At primum horum, vt facile asseritur, ita facile refellitur. Alijs placuit Dominum surrexisse orto iam sole, sed quia Iudæa est montuosa, ideo, tenebræ ex montibus resultantes reddidisse aerem tenebrosum.

¶At forsan scisciabitur quispiam, Cur mulieres istæ, tam studiosæ sunt nouæ vnctionis corporis Christi, quæ sciebant iam inunctum à Ioseph Arimathęensi, & non vtcunque, sed abundanti vnctione inunctum, vt iam superflua videatur noua inunctio.

¶At forsan illis non sat erat, quod ab alijs esset abundanter corpus Christi inunctum, nisi proprijs inunxissent manibus: erant enim Domini amantissimę. Neque superfluum esse ducebant, interni & flammantissimi amoris, noua exhibere officia, vbi dignissimè omnia illa amoris collocabantur officia: aut fortasse, quia quem viuentem maximopere dilexerant, vel mortuum quoque videre iam desiderabant, vt vel sic amantium vehementissimus sedaretur vtcunque amor. Ideoque cupientes videre Domini corpus, vnguenta præparant, vt videndo & flendo, illud vngerent: & ita solamen ex visu, & vnctione mortui dilectissimi aliquantum secum ex sepulchro Domini reportarent.

¶Quod autem Matthæus obscura phrasi scripsit, nihil dissentit à cæteris Euangelistis: idem enim quod alij tres apertius, ipse tradidit etsi obscurius. Est autem notandum sabbatum, in scripturis multifariam vsurpari. Est enim sabbatum festum quietis, si interpreteris. Nam sabbat, Hebræis est quies, & sabbati festum, obligans ad obseruandam tunc quietem, seu ocium à laboribus. Qua propter etsi per antonomasiam dies septimus, hebdomadæ intelligatur per sabbatum, quia hic dies, vacabat maximo ocio, & gaudebat summa quiete, quam neque interrumpebat ciborum præparatio, quæ paranda erat sexta feria proxima, vnde parasceues, nomen obtinuit.

¶Porrò, & alia festa Iudæorum, hac appellatione sabbati potiebantur, vt Leuitic. 23. dies primus, & octauus, tabernaculorum, sabbata appellantur: & causa exhibetur quia in illis diebus feriandum erat à laboribus. Rursus sicut apud nos feria. 2. &. 3. &c. Appellationem hauriunt feriarum à die dominico, in quo requiescendum est ab operibus seruilibus, quia est dies feriationis dies Dominicus, hoc est ocij & quietis, vnde sequentes dies, capiunt denominationem, vt secunda feria est secundus dies à feria dominicali, tertia feria tertius dies à dominico, &c. ita apud Hebræos, dies hebdomadæ cognominabantur, à sabbato die festiuo. Ideoque Matthæus vocat primam sabbati, hoc est primum diem post transactum sabbatum, qui apud nos est dominicus dies, vt Augustinus tradit epistol. 28. Quem eundem Marcus ait, fuisse vnam sabbatorum. Et Græcè apud Matthæum, & alios Euangelistas non scribitur vna sabbati, sed sicut interpres, Marcum traducens per vnam sabbatorum traduxit.

Sabbatū per antonomasiam dies septimus Iudæis erat.

Prima sabbati est dominicus noster dies.

¶Verum sabbatum Hebræis, & diem significat sabbati, & hebdomadam totam vocant à fine sabbatum. Vnde primam sabbati, si legamus idem est, quod primus dies post hebdomadam completam, qui est apud nos dies dominicus. Si autem sumatur pro die hebdomadæ, sic prima sabbatorum est legendum: & significat eundem diem dominicum, qui succedit diebus septem hebdomadæ. Quod vero scribitur, Vna sabbatorum, est idem quod Matthæ. habet, primam sabbati: quia Hebræis vna, est prima, Genesis. 1. Factus est dies vnus, ideſt, primus. Et apud Hispanos prima hora post meridiem. vna dicitur. Quod igitur ait Matthęus, Vespere sabbati, idem est ac si dixisset in fine hebdomadæ totius: nam vespera finem significat. Vespera ergo sabbati, est vespera hebdomadæ, ideſt,

finis

Obseruanda expositio Matth. & cõcordia Euangelistarum.

finis & consummatio hebdomadæ. Et quia hebdomadæ sibi proximæ, sunt continuæ, & continua sunt, quorum vltima sunt vnũ, necesse est vt finis vnius hebdomadæ, sit initium alterius, & desinente vna, altera incipiat. Et quia quando finiebatur hebdomada vna, & exordiũ capiebat altera, venerunt Maria Magdalena, & altera Maria vngere corpus Domini. Est ergo Matthæi hæc intelligentia. Vespere, aut vespera sabbati, idest, in fine hebdomadæ, siue in finali die hebdomadæ, quando ipsa finiebatur, quæ lucescit in prima sabbati, siue in primam sabbati, idest, cuius hebdomadæ finis, erat principium primæ sabbati, idest, primi diei nouæ hebdomadę: hoc est, Incipiente die dominico, qui erat Hebræis primus dies hebdomadæ, tum venit Maria Magdalene, &c. Per lucescere enim Matthæus intellexit incipere, vt apud Lucam. 23. Et sabbatum lucescebat, idest, festiuitas sabbatina initium capiebat. Et non est intelligendus Lucas, quod ad vesperã diei sextæ decumbenti iam sole, tunc aliqua noua lux sabbati adfuerat? quoniam ait, Sabbatum lucescebat, nanque tunc lucescebat sabbatum, quando lux solis decumbebat, ideoque lucescere sabbatum apud Lucã, est initium habere diẽ sabbati. Ita apud Matthæum, Quæ lucescit in primam sabbati, idest, initium dabat diei dominico: quia finis sabbati diei, scilicet, septimę, initium dabat diei primo post sabbatum: quia vt aiebam, continui cum essent hi dies, finis vnius diei, præbebat initium alteri. Et hoc est lucescere in prima sabbati. Vnde omnes Euangelistæ sibi consentiunt. Nanque quod scribitur apud Marc. Valde mane, & in Luca, Valde diluculo, & in Ioan. Mane cum adhuc tenebræ essent, idem est, atque id, quod in Matthæo legimus mulieres venisse in fine sabbati, scilicet, quando complebatur hebdomada integra, & noua incipiebat in primo die hebdomadæ, vt prædictũ est. Nõ ergo per vesperã sabbati hoc loco intelligamus, vesperã diei sabbati, quando sol occiduã cœli partẽ tenebat: siquidẽ tũc parauerunt necessaria mulieres vngendo corpori Domini. Et nocte concubia non potuerunt sepulchrum visere Domini: verum ad finem diei naturalis sabbati, quãdo tota hebdomada finiebatur, & noua incipiebat sub initio nouæ diei dominicæ, tunc peruenerunt ad sepulchrum Domini. Itaque Dominus prodeunte surgit aurora, vt canit ecclesia, Aurora lucis rutilat, Cœlum laudibus intonat, Cum Rex ille fortissimus, Mortis confractis viribus, Soluit à pœna miseros. Et sub auroræ finem mulieres veniunt: iam enim Dominus surrexerat à mortuis, quãdoipsę accesserunt: viderũt enim sublatum lapidem à monumento. Vnde si viderunt lapidẽ sublatum non erant profundę tenebrę noctis, quia sub illis nihil vidissent, nisi dixeris sepulchrum esse illustratũ ab splendore angelici vultus, & vestium. At vero quomodo Maria cognouisset Petrum, & Ioannem, distãtes à sepulchro, quibus dixit, tulerunt Dominũ meum? Ideoq; quod Ioannes scripsit Magdalenã venisse mane cũ adhuc tenebræ essent, non de profundis tenebris nocturnis est habẽdum, sed significatur, nõdũ diẽ bene claruisse. Ná si profundas noctis tenebras voluisset intellectas, non dixisset Magdalenã venisse mane. Et forsan peruenerunt ad sepulchrũ hora secunda post mediã noctem, etsi Cyrillo arrisit, media nocte, cũ scilicet, nox in suo cursu mediũ iter teneret, venisse mulieres ad sepulchrum, & Theoph. subscripsit. Ex Luc. 24. habemus eas ante lucẽ venisse ex alijs Euangelistis mane, vel valde diluculo, aut cũ adhuc tenebræ essent. Quod autem mediæ noctis puncto non venerunt hinc colligendum videtur, quia tunc non est mane, ideo videtur, post mediam venisse noctẽ, incerta tamẽ est hora: si prima hora vel secunda. At vero quia sole tenente angulũ mediæ noctis exorditur dies vnus, & finitur alter, & ita sub angulo illo mediæ noctis desinebat hebdomada illa, & exoriebatur, aut diescebat dies primus, siue prima sabbati: ideo dixit Matth. quæ lucescit in prima sabbati.

Lucescere quid in Euangelio significat.

Finis vnius hebdomadæ dat initium alteri subsequenti.

Christus prodeunte surgit aurora.

¶ Ante omnia igitur Dominus resurrexit de sepulchro, clauso sepulchro, sub initio aurorę non media nocte, quia media nocte non exoritur aurora, vt canit ecclesia, Aurora lucis, &c. Non autẽ angelum expectauit descẽdentẽ de cœlo, vt reuolueret lapidem aduolutum

sepulchro: sed ipse, qui indutus carne mortali, clauso virginali vtero, natus est ex Maria virgine, etiam clauso sepulchro renatus ex morte ad vitam æternã exit à sepulchro, lapidem sepulchri penetrans ex dote subtilitatis. Nasci enim ex intacta virgine, & saluo integritatis pudore ex vtero exire virgineo, grandis fuit miraculi, quia Christi corpus mortale cum nasceretur, dote ad huc subtilitatis, non potiebatur: qua nunc renascẽs ex morte ad vitam immortalem potitũ, nihil mirum, si ex clauso sepulchro immortalis rutilante auroræ initio supplãtata morte prodeat. Quod si obiceris Mar. 16. dicentem surgens, autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ, &c. vnde videtur quod Dominus surrexit quãdo apparuit Magdalenæ, sed huic apparuit non summo mane vt post hæc patebit: respon. ex Hiero. lib. 2. contra Pelag. sensum esse, cũ surrexisset Iesus apparuit, &c. Post resurrectionem autem Domini cõtinuo terræ motus factus est, descendente angelo de cœlo: qui non solum terræmotum excitauit, sed etiam aduolutum lapidem ad ostium monumenti reuoluit, & monumentum reseranit.

Concordia Euãgelistarũ

¶ Ex terræmotu autem, & ex angelico conspectu exterriti sunt custodes, & custodiam sepulchri deserentes Hierosolymam concedunt nuntiaturi, quæ viderant. ¶ Tunc autem accedunt mulieres, visuræ monumentum. Et quia lapidem reuolutum aspexerant, non egerunt reuoluentis opera, quam prius desiderabant. Ideo ingressæ sunt in monumentum, & viderunt angelum Dei sub forma iuuenili, vestitum stola candida sedentem super lapidem à dextris monumẽti: ex spectaculoque angelico isto stupuerunt. Mulieribus autem istis ingressis in monumentum Angelus alloquitur, dicens, Nolite timere vos, scio enim quod Iesum Nazarenum crucifixum queritis, surrexit iam sicut dixit non est hic. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. Ex quo videtur mulieres primo ingressas non penetrasse interiora sepulchri sed tantum veluti in vestibulo resedisse sepulchri. Videturque ante petram, vbi erat excisum sepulchrũ fuisse mansiunculã exteriorẽ siquidem angelus ait, Venite, videte locũ vbi positus erat Dominus. Igitur adhuc nõ viderant intimam sepulchri partem, vbi Dominus iacuerat mortuus. Et adiecit angelus, Sed ite, & cito euntes, dicite discipulis eius, & Petro. Mulieres autem obtẽperantes angelicis iussis, ingressæ sunt ad intima monumenti, videnda & viderunt locum vbi positum fuerat corpus Domini: & vacuum locum inuenientes, cõsternatæ sunt, quod non inuenirent corpus Iesu, quod ipsę anxiè quęrebant. Ipsis autem mente deiectis, duo angeli in veste fulgenti illis apparuerunt, dicentes, Quid quæritis viuentem cum mortuis? Recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens, Quia oportet filium hominis tradi in manus peccatorum & crucifigi, & tertia die resurgere, &c. vt sequũtur in Luca. Vnde contexitur quod in Matthæo scribitur. Et exierunt continuo ex monumẽto, cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius: quanuis Matthæus, ab angelo vno, verba hæc esse dicta commemorat, Lucas autem à duobus. Sed fieri potuit, vt angelus qui primo locutus fuerat mulieribus dicens, Venite, & videte locum vbi positus erat, & introduxerat eas in monumenti intima hic, post modum cum altero angelo, in parte interiori monumenti alloqueretur mulieribus, aut quod alij duo, erant angeli isti. Neque dissidium esse putes, quod Lucas scribat hos angelos apparuisse in veste fulgenti, & Marcus dicat angelum apparuisse in veste candida, aut quod angelus primo visus, describatur sedens supra lapidem, & angeli secundo visi stantes describantur iuxta mulieres. Primum solues, quia nimius candor fulgor quidam est: nam lux secundum Arist. candida est, secundum vero, quia qui sedebat, angelus primo poterat stare postea. Nisi malis dicere alios fuisse angelos, qui erant in parte intima sepulchri, ab eo, qui erat in parte exteriori sepulchri, vbi lapis reuolutus iacebat. Solus autẽ Matth. scribit vultũ angeli fuisse instar fulguris, hoc est, maximè fulgentem: vt ex istis accidentibus beatorum gloriam explorare nobis liceat. Nanque Dominus transfiguratus, vultum ostendit resplen-

Sepulchrum Domini habebat mansiunculã exteriorem vbi fuerant custodes & vbi primo ingressę fuerũt mulieres.

Fulgor angelici vultus, & candor vestimentorũ gloriam significat beatorũ.

splendentem sicut sol, & vestimēta eius candore plusquam niueo rutilabāt. Est enim apud beatos in mentibus lux ęternę claritatis, & candor immortalis innocentiæ. Et resumpta corpora fulgebunt sicut sol, siquidem fulgebunt iusti sicut sol, in regno patris eorum, & omni puritate nitebunt. Matt. 13.

¶ Voluit autem Christus sua dispensare mysteria angelico ministerio. Nanq; natalium suorum primi præcones angeli fuerunt Luc. 2. Domino oranti in horto, & iam calicem passionis mox futurum libanti, angelus astitit confortans eum Lucæ. 22. & nunc primi Christi resurrectionis prædicatores angeli sunt, qui admirandam supra omnem naturā, & super omnem aliam resurrectionem, Christi resurrectionem mulieribus annuntiant. Quæ primæ beatum hoc nuntium promeruerunt audire, quia earum feruens erga Dominum amor, & instantissima solicitudo, tantum muneris promeruit, quantum fuit beatissimo dominicæ resurrectionis exhilarari ante omnes nuntio. Similiter quoque sub ascensu ad cœlos Domini astant, & terribilē eiusdem descensum ad iudicium finale pronuntiant. Instituit autem non ab re Deus per angelos suos Christi mysteria dispensare, vt diuinitus illa esse facta credamus, quando per angelicos testes ea testata videmus. Quod vero, angelum, qui primo est locutus sanctis mulieribus, sedentem, alios vero stantes legamus, fortassis ob id est, quia angeli Dei & nos docent, & Deo assistunt. Nos docent tanquam magistri diuinorum sacramentorum: Deo adsistunt, vt ministri diuinitatis. Doctores autem, sedent, Matthæi. 5. sedens Christus docebat suos auditores. Ministrorū vero est, stare: ideoque angeli & sedent quo ad nos, & stāt, quo ad Deum. Christus angelico ministerio dispensat mysteria sua.

Angeli describuntur sedēres, & astātes.

¶ Aut secundo angelus, qui in exteriori sepulchri erat portione, sedebat super lapidem, qui vero in intima erant sepulchri parte stabant, siquidem primus angelus, talem positionem ostendebat extra, qualem de resurrectione fidem mulieres habebant intra. At apud mulierū fidem tunc nondum Christus surrexerat, sed adhuc iacebat inclusus lapide. Ideo primo visus angelus non stat, sed sedet, super lapidem sepulchri. Quia vero postquam inductæ sunt ab hoc angelo in interiora sepulchri mulieres, & admonitæ ab alijs fuerunt duobus angelis, fidem cōceperunt resurrectionis Domini, & iam eum non requiescentem in sepulchro credebāt, sed resurrexisse iam ex sepulchro, ideo angeli isti duo stantes tunc fuisse legimus. Tres hos angelos autem esse Deus disposuit, resurrectionis dominicæ testes, & præcones primos, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum. Candor autem vestium angelicarum lętitiæ ingentis erat argumentum: vt taceant hæretici huius seculi ridentes, muratoria vestium in ecclesia Dei. *Vna sabbati.* Etsi solam pronuntiet Mariam Magdalenam, Ioannes nō sola fuit quæ iuit ad sepulchrum, sed ipsa cum cæteris mulieribus, quas commemorant alij Euangelistæ, scilicet, cum Maria Iacobi, & cum Salome, & cum Ioāna. Quod vero Matthæus scribit. Et altera Maria, credit Nicephorus lib. 1. histo. eccles. cap. 33. hanc fuisse Mariam filiam Iosephi sponsi Mariæ virginis. Hic enim, vt ille putat, fuit frater Cleophæ & mortuo Cleopha sine prole ex coniuge fratris accepit hanc Mariam alteram. Ex aliorū quoque sententia scripsit Magdalenam fuisse filiam mulieris Chananęæ, Matt. 15. & Mariam quoq; interfuisse quæ erat Iudæ Iosephi filij, qui Iudas vnus erat ex duodecim, quam putat esse Iacobi minoris matrem. At verò nos supra dicebamus Mariam Iacobi minoris matrem, esse Cleophæ vxorem, qui aliās appellatur Alphęus: & Iosephum sponsum virginis non aliam duxisse vxorem, præter Mariam matrem Domini, supra etiam diximus. Neque Magdalenā fuisse filia Chananęæ, itē putamus quia à Magdalena non eiecit dęmonia corporaliter, sed spiritualiter ob fidētia. Et rursum Chananęa, erat Sirophęnissa, Magdalena autem Iudęa. Rursus adiecit Nicephorus, Ioannam, cuius meminit Lucas. 24. fuisse Iacobi maioris, & Ioannis matrem, quam Euāgelium matrem filiorum Zebedæi appellat. At vero si hæc Ioanna est vxor Chrisæ, cuius Luc. meminit. c. 8. hęc Ioāna vxor Chrisæ, nō est Zebedæi vxor: qui fuit pater Iacobi, & Ioannis. Si vero

Nicephorus nō probatur.

alia Ioanna fuit præter eam, quæ commemoratur vxor Chusæ procuratoris Herodis euangelio non est proditum.

¶Salome autem quidam putant, fuisse filiam Annæ sororēque virginis Marię, non ex Ioachim sed ex alio viro Salome nuncupato procreatam. Alij credūt non dictam Mariam Salome, sed solum Salome.

¶Sunt qui existimant, hanc fuisse matrē filiorū Zebedæi, vt Theophilus, & Chrysostomus, ante quos Origenes idē est operatus, quæ hac nomenclatione appellatur Salome. Alijs placuit, vt aiebam dudum, fuisse nomen proprium huius Maria, & Salome esse cognomen eius â viro desumptum cui nupta erat.

Mulieres discipulæ domini ardentiores fuerunt quam viri discipuli Christi.

¶Hæc igitur erat discipula domini, vt cæteræ commemoratæ fœminæ. Et non solum istę quarū nomina exprimuntur ab Euangelistis: sed & aliæ mulieres venerunt cum istis, vngere corpus domini quæ erant discipulæ feruentissimæ domini, & eum subsecutæ fuerant à Galilæa. Ioannes autē solum meminit Magdalenæ, quanuis ex verbis Magdalenæ, plures illi coastitisse ad sepulchrum Domini significatur. Ait enim, *Tulerunt Dominum meum, & nescimus vbi posuerunt eum.* Loquitur namque in plurali nescimus, pro se & alijs. Nicephorus insinuat beatam virginem, itidem venisse, cum istis fœminis visum sepulchrum. Verum tamen, beata virgo fidem resurrectionis inuiolatam habuit, ideo non erat itura cum mulieribus, ad vngendum corpus Christi. Nam vt dicebamus, mulieres istæ, deiectam habebant dominicæ resurrectionis fidem, ideoque ibant vnctu ræ dominum.

¶Ad hæc si beata virgo socia fuisset cōmemoratarum mulierum in hoc itinere eius fieret prima mentio, non Magdalenæ, vt fit ab Euangelistis. *Cucurrit ergo ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quē amabat Iesus & dicit, tulerunt dominū à monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Mulieres istæ postquam ab angelis duobus, qui erant in intima parte monumenti admonerentur, vt nuntiarent resurrectionem domini discipulis eius & Petro illæ cito exeuntes venerunt nuntiaturæ vt modo narrat Ioannes. Narrat autem Matthæus has mulieres egressas à monumento cū timore & gaudio magno. At Marcus inquit, at illæ exeuntes fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pauor nemini quicquam dixerunt, timebant enim. Sed dicet aliquis, si gaudebant gaudio magno, quomodo timebāt, & stupebant? Et rursus. Si nemini cuiquam dicebant, quomodo cito exeuntes venerunt nuntiare discipulis resurrectionem? At stupuerunt valde ex angelica visione, & gaudebant ex verbis angelicis docētibus Christum surrexisse â mortuis. De alio ergo gaudebāt, de alio timebant. Secundum solu it Augusti. eas nihil respondisse angelis, ex turbatione aut quod nihil locutæ sunt custodibus iacentibus: at custodes iam tum fugisse crediderim potius cum Theophi.

Custodes sepulchri exterrę motu continuo fugerūt.

¶Aut dicendum quod fœminæ in via, qua pergebant, vt nuntiarent apostolis, domini resurrectionē, secundum quod angeli duo, illis iusserant, qui erant in parte secretiori monumenti, nulli quicquam dixerunt. Timebant enim, vel furorem principum sacerdotum, aut stupefactæ ex angelica visione tacitæ transegerunt iter secum cogitantes spectaculum angelorum, quod in sepulchro viderunt.

¶Venerunt ergo ad discipulos Christi vndecim, vt ex alijs euangelistis habetur & illis nuntiarunt lætissimum nuntium dominicæ resurrectionis: & non solum vndecim, sed cæteris omnibus discipulis domini, qui non erant apostoli, vt Lucas commemorat. Vnde subdit Lucas, Et visa sunt ante eos sicut deliramētum verba ista, & non crediderunt illis.

¶At verò quia angeli dixerant mulieribus, signanter esse nuntiandam resurrectionem Petro, Dicite ait, discipulis eius & Petro, quippe Petrus correptus fuerat ex summa tristitia, quia dominum negarat, ideo illi singulariter nuntiandam lætitiam resurrectionis angelica constituit iussio. Idcirco Magdalena cucurrit, vt Petro particulariter nuntiet resurrectionem Domini. Forsan omnibus dixerant vniuersaliter quæ viderāt, Petro vero seorsum particularius rem denarrat Magdalena sola: vnde videtur, quod Petrus & Ioannes aliquantisper segregauerant se à conuentu aliorum di

Concordia euangelistarum.

lierum

scipulorum, postquam acceperunt mulierum testimonium, de resuscitato domino, vt secum testimonium expenderent. Isti enim duo discipuli erant feruētiores in amore Christi, cæteris, ideoque rem meditatius vt librent, seorsum ab alijs, mulierum testimonia considerant, ideo ait, Cucurrit ergo, scilicet, Maria Magdalene, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum.

¶Hoc factum est postquam omnibus apostolis, & alijs discipulis, nūtiarat domini resurrectionem, tūc ad Petrum cucurrit, vt habuerat in mandatis angelicis & ad Ioannem quia tūc erant cū Petro. Et suo more Ioannes supprimit nomen suū, sed ex Christi indicato in eum amore, se prodit, dicens, Quem amabat Iesus. Cæterum Magdalenam, non refert Ioannes retulisse verba, quæ ab angelis mandata erant illi apostolis referre, solū enim ait, *Tulerunt Dominum meum, & nescimus vbi posuerunt eum.* Verum Lucas commemorat mulieres apostolis nuntiasse omnia, quæ ab angelis illis erat iniunctum, vt nuntiarent. Cæterum postquā omnibus nuntiarant, quę ex angelis acceperant mulieres, Maria Magdalene feruentissimum gerens affectum, quia amantes sæpe admodum increduli, ideoque ipsa etiam tunc credebat dominum fuisse furto sublatum, & hoc quod ipsa credebat, exponit Petro & Ioanni seorsum, vt diximus paulo ante. *Tulerunt.* Credebat furto sublatum domini corpus, quod vocat ex toto partē, vt per dominum, corpus Domini suum vsitato tropo sermonis ex sinecdoche quo dicimus, Hic iacet rex vel episcopus, cum solum ibi sit cadauer regis, vel episcopi. Audito igitur sermone Magdalene, *Tulerunt Dominum, &c. Exijt Petrus & alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebāt autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumētum. Et cum se inclinasset, vidit lintheamina posita, & sudariū, quod fuerat super caput eius, non cum lintheaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit. Nondum enim sciebat scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere.* Græcè habetur, & quod oportuisset. Si furto sublatum fuisset corpus domini, sudarium, & lintheamina, non ibi relinquerentur: sed totum corpus vt iacebat fuisset sublatum. Et ideo, vt mulieres & apostoli, non falso opinarētur, quod alioqui sunt opinati, diuina dispēsatione relicta sunt in monumento, & sudarium, & lintheamina. Hoc est sindō, in quo fuit inuolutum corpus, & ligamina alia quibus mortui solent ligari, & sudarium, quod erat inuolucrum capitis.

Cur Christus depositis sudario, & lintheaminibus ex sepulchro resurrexit.

Hæc autem mortuorum vestimēta, qui viuus immortali vita surgebat iustè deponit in sepulchro: quia nihil vitæ immortali, cum inuolucris mortuorum. Manent igitur funeris indumenta, in domo sibi propria, in sepulchro, scilicet, quod est domus mortis.

¶Lazarus surgens ex mortuis institis inuolutus mortalibus, surgit, & soluitur ab apostolis, in testimonium resurrectionis eiusdem, qui mortuus fuerat. Quippe hic surgebat moriturus, ideo secum mortalia rediuiuus deuehit indumēta. At qui resurgit iam non moriturus simul cum morte, mortuorum deponit vestimenta. Beata vt diseas corpora claritate Dei & immortalitate vestienda, non vestimentis, ex lino vel ex mortuorum animalium pellibus contextis.

¶Quippe nos etiā viui expellibus mortuorum circundamur: quia vitam mortalem gerimus. At vero Adam à Deo in paradiso constituitur nudus, & tunc demum erubuit ex nuditate, quando primum peccauit contra dominum. Idque temporis post miserabilem infandumque lapsum, à domino vestiuntur primi nostri parentes. Dominus ergo surgens ex mortuis nudus ex nostris vestimentis surgit vestitus tamen stola glorię, & immortalitatis, vt nos doceret quod quomodo ipse resurrexit, & nos resurgemus, depositis omnibus mortis indumentis, ad immortalem vitam possidendam.

Allegoricus sensus.

¶Gregorius in homil. allegorizans hæc inquit, per Ioannem iuniorem, Synagogam significari: siquidem gētilitas prior fuit, quam Iudaica religio. Quare gentium multitudo, per Petrum seniorem adumbratur. Ioannes ergo se inclinat, sed non intrat in sepulchrum, quippe Iudæi, audientes oracula de Domini morte & resurrectione nihilominus obduruerunt,

ruerunt, & nõ intrauerunt in sepulchrũ non credentes in Christum mortuum, sed solum viderunt sudarium & linthea mina: quoniam ex prophetis quos legebant, illa ventura credebant. At Petrus intrat in sepulchrum, quia ecclesia ex gentibus collecta Christi mortem colit. Porro apud Lucam solum legimus Petrum cum procubuisset in monumentũ vidisse lintheamina, & quod recesserit, mirans secum quod factum fuerat, Non tamen scribit Petrum introisse in sepulchrum: verum quod Lucas tacuit, Ioannes commemorat. Et fieri potuit, primo procubuisse, & deinde introisse, & postea egressus ex sepulchro abijt secum demirans gestum quod viderat. Ioannes autem qui præcucurrerat, & nõ intrauerat primo, introiuit post Petrum, quia cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret ad Roma. 11. vel aliter per Ioannem qui sublimis est ex euangelij sui celsitudine doctores ecclesiæ subintelliguntur: per Petrum vero apostolica sedes. Pontifices ergo summi & doctores pariter currunt per fidem: at vero Ioannes, præcucurrit citius: quia doctores ecclesiæ sæpe præpollẽt summis quibusdam pontificibus in differendis mysterijs fidei, at verò Petrus primo intrat & Ioannes sequitur: quia suprema autoritas diffiniendæ fidei penes solam Romanam ecclesiam est: non penes doctores: quam sequi doctores ecclesiæ tenentur: ideo postquam Petrus intrauit sepulchrũ Ioannes est secutus. *Et sudarium quod fuerat.* Sudarium quod capitis erat inuolucrum semotum ab alijs lintheaminibus corporis, videt Petrus. Quippe diuinitatis mysteria, valde sunt inuoluta, & secreta ab omni commercio creaturarum. Aut quia sudarium, ex nomine sudoris laborem subdenotat: ideo quod capitis sudarium esset per se separatum à lintheaminibus corporis, subdenotabat passionem Christi, qui est caput nostrum, multo diuersam esse à passione sui corporis mystici. Nam ille passus est spontaneus nos repugnantes: ille citra culpam, nos propter peccata nostra &c. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.* Græcè, rursus, & non iterum ad se ipsos ideſt, ad domos suas. Ioannes fidem in resurrectionem, ex viso sepulchro, conceptam à se & Petro, ostendit cum ait. *Nondum sciebant.* Non solum fidem suam declarat Ioannes, sed etiam Petri fidem in resurrectionem domini. Et quidem res miratu est dignissima cum dominus toties inculcasset discipulis suis resurrectionem suam, cur apostoli tam tardi fuerunt ad credendum. Cęterum Petrus & Ioannes fuerunt primi qui crediderũt dominum resurrexisse ex viso vacuo sepulchro, & sudario, & lintheaminibus. Et quanuis angeli eis non sunt locuti, cæterum suffecit eis, videre sudarium inuolutũ in locũ vnum & lintheamina, &c. vt crederent. Magdalena autem, etiam admonita angelico oraculo, quæ primo visa est credere dein mutat opinionẽ. Primo enim videtur credidisse, quippe gauisa est gaudio magno ex angelico de resurrectione Domini testimonio, & nõ gauderet, nisi opinaretur Dominum resurrexisse: at verò dein mutat opinionem, quia stat ad monumenti ingressum plorans, vt subdit Ioannes. *Maria autem stabat ad monumentũ foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumẽtum, & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicunt ergo ei illi, mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerũt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Abeuntibus discipulis Petro, & Ioanne Maria Magdalena ad fores monumẽti, siue in parte exteriori eius, siue in ipso horto, vbi erat monumentũ stat plorans. Primo scribitur gaudens ab alijs euangelistis gaudio magno, quia ex verbis angelicis conceperat Christum surrexisse: at vero, quæ est sexus fœminæi conditio, cito mutatur, & plorat, quæ gaudebat, & credit Christi corpus furto sublatum. Angeli verò, qui iam eam admonuerant de resurrectione Domini, nihil de re hac loquuntur modo, sed potius tacite reprehendendo eius incredulitatem, petunt, Mulier quid ploras? ex mulieris nomine eiusdem mobilitatem reprehendũt. Quod verò nunc describuntur sedentes angeli, qui à Luca descripti sunt stantes, forsan non vacat à mysterio, vt ex varietate angelicæ positionis, varietas in animo Magdalenæ significetur. Quod verò ait, in albis, seu albis esse indutos, idẽ

Concordia Euangelistarum.

est,

est, atque in veste fulgenti: quippe lux candida est, vt experimur.

¶Erant ergo vestes angelicæ quales & mens eorum, quæ summè fulgida est fulgore diuinæ claritatis. Neque vestes istæ erant veræ vestes, sicut & nostræ, quippe angeli sunt spiritualis substantiæ, quæ vestibus non eget, imo neque vestiri potest. At in assumptis corporibus lucidissimas demonstrarunt habere vestes, vt ex vestibus lucidis fœminæ, resurrectionis lætitiam conciperēt. Græcè, non vidit sed, videt legitur. Pro eo tamen quod legimus in albis, amictos albis apertius reddi poterat.

Angeli in corporibus assumptis fulgidas demonstrant vestes.

¶Primus angelus visus fuit sedens super lapidem monumenti intra monumentum. Isti verò traduntur sedentes sed non super lapidem, sed vitia monumentum, altero tenente caput, altero verò pedes monumenti. Hoc autem factū est, vt Magdalena videns sepulchrū domini, vtrinque & ex initio, & ex fine esse obmunitum angelica custodia, crederet nullum potuisse suffurari corpus Domini, cuius sepulchrum angelica custodia seruabatur. Quocirca crederent non sublatum furto, sed diuinitatis potentia surrexisse: vnde & reprehensibiles magis erant eius lachrymæ.

¶At obtupescet aliquis, secum voluens, cur apostolis Petro, & Ioanni angeli nō loquuntur, neque pandunt resurrexisse dominum, & mulieribus pandunt? Cessabit tamen stupor si consideramus apostolos gnaros esse prophetici sermonis, & fœminas ignaras scripturæ, quia literas nesciunt: ideoque sufficiebat Petro, & Ioanni videre sepulchrum vacuū, &c. vt ex viso sepulchro adiuti scripturę testimonio crederent. Fœminis vero locum scripturæ suffecit, angelica apparitio, & sermo.

¶Vel aliter, quia angelus malus fœminæ in horto Gen. 3. instillauerat sermonem mortis dicens, Cur præcepit vobis Deus, &c. Ideo Deus instituit etiam angelum in horto instillare fœminę sermonem vitæ dicens, Quid quæritis viuentem cum mortuis: vt sicut Eua decepta à malo angelo, fuit ruinæ humanæ occasio, ita & fœmina erepta à fallacia, per angelicum sermonem salutiferæ resurrectionis veritatem ostendat. Quod si forsan te angit dubitatio, cur Magdalena nihil scisciteatur ab angelis quærēs, vbi posuistis corpus Domini, aut si vos non sustuliſtis, quis obsecro sustulit, vel quid vis aliud, sed tacita lachrymas fundit. At verò, viso Domino, non credens esse Dominum, ab eo interrogat, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi? Dixerim Magdalenam non ausam fuisse angelos quicquam interrogare, detentam stupore ex angelica maiestate, quam cernebat. At verò, quia credebat dominum esse hortulanum ideo ausa fuit dominū scisciteri, quasi hominem mediocris sortis, cuius ferebat status, vt ab illo Magdalena scisciteretur, Domine si tu sustulisti eum &c. Quod autem valde ipsa & aliæ reuerite fuerint vultum angelicum ex illo Lucæ constat, cum autem timerent ait, & declinarent vultum in terrā, quæ declinatio vultus ex maxima admiratione & reuerentia procedebat. *Dum ergo fleret.* Impatiens amoris affectus nō sinebat Magdalenam consistere, ideoque primo stabat ad monumentum foris plorans, deinde verò ingreditur monumentum, & inclinans se prospexit. Prospiciebat autem, si ibi aderat corpus Domini. Iam prius viderat ibi non esse: at verò ex amore exæstuans, idem repetit videre si forsan erat prius decepta. *Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans quod hortulanus esset dicit ei, Domine si tu sustulisti eum dicito mihi, vbi posuisti eū, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister.* Postquam viderat angelos intra monumentum & ipsa aspexerat iterum monumentum esse vacuum, rursus conuertit se retrorsum exiens intima monumenti. Et cōuersa videt Iesum stantem non sedentem, vt viderat angelos. Et Iesus eam interrogat, quod angeli dudum interrogauerāt, Mulier quid ploras? quē quæris? Optimè sciebat, cur plorabat, & quem quærebat, quia Iesum ipsum quęrebat: verum, vt exponat ipsa animum suum, & paulatim eam deducat ad fidē suæ resurrectionis, ideo ab ea scisciteatur cur ploret, &c. At dicet aliquis, cur hæc mulier tam anxia est in quærendo corpore Domini quod credebat furto iam subla-

In horto fuimus sepulti in peccato, & in horto surreximus à peccato.

Impatiēs animus amoris consistere nescit.

sublatum esse? cum si furto sublatũ erat, Magdalena non erat potens illud iã sibi vsurpare, quia mulieris vires inualidæ erant, vt corpus Iesu à furibus sublatum sibi donaretur. Dixerim, vel quia ipsa diues & potens erat, & sibi persuasa erat, si corpus Domini extaret alicubi, sibi pretio magno esse paraturam. Aut flammigero æstuans amore, possibilia sibi putabat subripere corpus, & sibi tollere, si reperiretur, quod alioqui impossibile erat: amanti enim vehemẽter nihil ducitur esse impossibile. Desiderabat autem corpus Domini apud se habere sepultum, vt tanti memoria magistri nusquam à sua, & aliorum memoria aboleretur, & à nemine vltra cõtumelia afficeretur. *Dicit, Domine.* Non dicit, quod quærit corpus Iesu, sed ex abundantia amoris distracta, putat suum animũ cuilibet patere. Ideo, non ait, quæro corpus Iesu, sed Domine, si tu sustulisti dicito mihi, &c. Putabat Maria Magdalene Iesum, quẽ videbat esse hortulanũ, idest, horti illius, vbi Dominus sepultus fuerat, colonum vel custodem. Cum ergo ibidem fuisset sepultum corpus Domini, collegit apud se forsan ab illo hortulano, fuisse furto sublatum, ideo ait, Domine si tu sustulisti eum, &c. Ego eum tollam, Intellexit, ego tollã mihi, quia tibi non proderit, vt mihi proderit ad meam consolationem: quia est corpus magistri & Domini mei.

Amor Magdalenę in Christum singularis.

¶ Stupẽdus amor mulieris huius in Christum, corpus eius sibi tollere, instanter amat, vt quem viuum habere non poterat sua opinione, in mortui saltem conspectu quieſceret aspectu.

¶ Solemus mortua corpora etiam charissimorum horrere & fugere, & curamus ea statim ex domo efferre: at ista Christi amantissima mortuum corpus Christi curat in domum suam si posset inferre. Hoc enim sibi vult cum ait, Ego eum tollam. Neque veretur principum inuidiam sacerdotum, aut Pharisaicam calumniam, nihil hæc curat, nihil formidat sibi venturi mali, si modo corpore mortuo Christi sibi detur frui.

¶ Hinc tu expende quantas viui Christi radices in hac fœmina egerat amor, cum maximas flammas euomat in eum quem esse mortuum tunc credebat.

Existimans quod hortulanus esset. Aut quia Dominus, in hac se ostendebat forma congruens horto, vbi ostendebatur. Ne putaret Magdalena alium quempiam esse, & non auderet eũ interrogare. Corpus enim glorioſum, in qua volet se poterit ostendere forma, vt discipulis euntibus in Emaus, Lucæ. 24. sub forma peregrini longius agentis iter se demonstrauit. Vnde trifariam se ostendit Dominus, sub hortulani forma & sub peregrini specie, & sub propria forma vt apostolis.

Num acceperit Dominus hortulani formam.

¶ Sub hortulani quidem specie Magdalenæ: quippe ipsa indigebat cultura fidei, & discipulis duobus non credentibus, sub peregrini specie: quippe peregrini erant à fide resurrectionis, Apostolis vero in propria, quia futuri erant summi præcones resurrectionis.

¶ Aut nõ hoc, sed ipsa Magdalena, quia vidit Dominum sub habitu mediocri & in horto stantem, credidit esse hortulanum. Cyrillus existimat, tunc non potuisse cernere rectè Magdalenam Dominum: quia adhuc tenebræ erant, ideô iudicauit eum visu decepta esse hortulanum.

¶ Verum, etiam si primus accessus Magdalenæ ad sepulchrum fuerit nondum clara micante luce, cæterum hic erat iã secundus accessus. Quippe post primũ accessum, ipsa cum alijs mulieribus ex monumento, regressæ sunt ad domos apostolorum, & nuntiauerunt illis, quæ habebant nuntiare ex angelicis mandatis. Et dein secundo venit ipsa cum Petro & Ioanne, ad monumentum, & illis abeuntibus, ipsa fixa stabat iuxta monumentum quærens quem tam feruidè diligebat: ideo videtur hoc tempore, iam clara luce micasse diem. Hieron. ad Hedib. q. 5. item putat Dominum sub forma hortulani non apparuisse nunc sed Magdalenam attonitam ex eo quod acciderat, errore deceptam credidisse hortulanum esse. *Conuersa illa.* Postquam dixerat Domino, Si tu sustulisti eum dicito mihi, rursus se auertit à vultu Domini, & se conuertit ad Domini sepulchrũ. Amor nanque vehemens eam reddebat valde inquietam, vt vultum defixũ non haberet, in Christũ sed vbi sciebat fuisse thesaurum suum reconditum eò suum

sæpe

sæpe conuertebat aspectum. Neque ibi tamen figebat obtutum, quia Christi corpus ibi non videbat: ideo rursus auertit à sepulchro aspectum, & conuertit se ad dominum, qui eam appellans ex proprio nomine, cognitus est ab ipsa. Vnde respondit, Rabboni, quæ est vox syriaca & interpretatur Magister, vel magister meus.

¶Ioannis decimo scriptū est oues meæ vocem meam audiunt. Magdalena ouis Christi audiens vocem Christi, quam ipsa solebat audire, scilicet, Maria, continuo cognouit pastorem suum. Primam vocē audierat, Mulier quid ploras? quē quæris? hanc Christi vocē, non cognouit esse sui pastoris, hanc tamē aliam vocē, Maria, qua ipsa sæpe à Domino appellatur, hanc cognouit, vt sibi propriā. Vt discipuli duo illi Dominum cognouerunt ex fractione panis, ita Magdalena cognouit Christum ex voce, Maria quia eam appellauit modo, quo solebat eam appellare: quare tunc Christum cognouit.

Maria cognouit Dñm ex assueta prius appellatione.

¶Mirabilem Dei sapientiam quis non mirabitur? Primo enim Christus nō appellauit eam Mariam, sed ex appellatione communi fœminei sexus, Mulier ait, quid ploras? De in verò eam ex propria appellatione appellat: cur ita? Vt sensim deduceret eam, ad fidem resurrectionis, & non de repente, vt ipsa confiteretur in primis amorem in Christum, quē gerebat, & de in se panderet Christus: vt demum nobis constaret, quia amantissima fuit Christi hæc mulier, quantique fecerit eam Christus quæ alioqui fuerat turpissima peccatrix in ciuitate: cui nihilominus ante omnes alias mulieres, & viros, voluit primo apparere. Et hęc fuit domini prima apparitio. Vnde Marci. 16. Surgēs autē Iesus prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ. Multi tamen crediderunt hanc clausula fuisse adiectam, seu assutam euangelio Marci: si quidem dominus, non quando surrexit apparuit Mariæ Magdalenæ, sed postea. Surrexit nanq; re sub initio diluculantis aurorę, at verò apparuit Magdalenæ multo post, vt supra diximus. Verum hoc participium, surgens, Græcis ἀναστὰς, idem est, atque cum surrexisset. Et sensus est, postquam surrexisset Iesus apparuit primo Magdalenæ. Aut oportet punctuare ad hunc modū. Surgens Iesus prima sabbati apparuit Mariæ Magdalenæ iuxta Hiero. lib. 2. contra Pelag.

Concordia Euangelistarum.

Porrò autem dubitabit aliquis quomodo canit Ecclesia, Dic nobis Maria quid vidisti in via? Et ipsa videtur respondens, Sepulchrū vidi viuentis & gloriam Christi resurgentis, sicut scriptum est, vt ex Ioāne modo liquet Maria Magdalene, non vidit Christū in via, sed in termino: quippe vidit in horto vbi erat monumentum sepulchrum.

¶Porrò apud Matth. 28. traditum, mulieribus reuertentibus ex sepulchro nunciarent resurrectionem apostolis, apparuisse dominum: vnde dubio procul etiam Magdalenæ tunc apparuit, quia non excepit Magdalenam, quam prius dixerat venisse cum alijs viderē sepulchrum: nisi dixeris, cum Ambrosio super Lucam, duas fuisse Magdalenas, mihi tamen verisimilius est fuisse vnam solum. Ideo bis apparuisse Magdalenæ dominum dixerim, primo in loco vbi denarrat Ioannes, scilicet, in horto, quia ipsa recedentibus socijs, perstitit ad monumentum fixa, ex viso monumento etiam vacuo, sibi captans cōsolationem.

Magdalenæ bis apparuit dominus & de secunda intelligitur hymnus Ecclesiæ.

¶Post hanc autē apparitionē, Magdalena arripuit iter, vt consequeretur socias mulieres, quæ iam abierant, & præcesserant, & eas consecuta, ipsi & alijs in via apparuit Iesus, vt Matth. dicit, Et ecce Iesus occurrit illis.

¶Maiorē ergo gratiam obtinuit mulier, quæ peccatrix fuerat, quam aliæ, quæ peccatrices non fuerunt: vt latro peccator maiorem etiam obtinuit, quam apostoli iusti, si quidem vidit ā morte Domini, Dei clara visione essentiam.

Magna gratiā Deus confert verè pœnitentibus.

¶Vt hinc exploratum sit nobis, Deum maximi facere peccatores verè pœnitentes: quippe ipse ad hoc venerat vocare peccatores ad pœnitentiam. Vt ergo cal caria adijciat dominus peccatoribus, vt errata veteris vitæ deponant, & induant nouum hominem qui secundum Deum creatus est, propterea maximis gratijs legimus à Deo decoratos peccatores esse.

¶Accedit tamen istis, quod Magdalena feruentius cæteris diligebat: nam si tardiōr fuit ad credendum, non ex incredulitatis

litatis animo, hoc fecit, sed ex multitudine amoris. Ipsa enim subitam cum desideraſſet resurrectionem Domini, nullam esse putabat, quam oculis continuo non cernebat. Latro verò in cruce sua confessus Domini potestatem, pendentis etiam in cruce, maximam est professus fidem, atque singulariſsimam. Quis obsecro, tanta fide polleret hominum, vt secum crucifixum, & ignominioſius crucifixum, regem confiteretur, at Dominum dicens, Memento mei Domine cum fueris in regno tuo. Stupenda latronis fides, quam in nullo discipulorum cernimus Christi. Nam crucem videt, clauos, spineam, vibices flagellorum insultantes carnifices, subsanantesque sacerdotes, & nihilominus mentis oculis, quos Christus illuminarat, sub summo vilipendio crucis, summum regnum Christi protestatur. Ex singulari igitur fide hac & amore singularem prærogatiuam obtinuit.

¶Porrò sciscitabitur quispiam, Quid ergo est, quod meminit Marcus apparuisse primo Mariæ Magdalenæ, & alij Euãgeliſtæ etiam meminerunt apparuisse alijs mulieribus: at vero si apparuit virgini sacræ omnes tacent.

¶Sunt qui putent Mariam virginem veniſse cum alijs mulieribus ad vidẽdum Christi sepulchrum, vt Nicephorus insinuat, quod si hoc verum esset, soluta esset quæstio, apparuisse in via beatæ virgini simul cum alijs.

¶At verò tunc impendebat maior dubitatio, si ita esset. Cur ergo primo Magdalenæ? Et equidem ratio nulla fert, primo apparuisse Magdalenæ quã matri virgini. Quidquod virgo sacra resurrectionis Christi fidem incontaminatã habuit semper. Quid ergo fides hæc intemerata nõ poscebat ampliorem prçrogatiuam, quam fides labefactata, qualis erat in mulieribus, & apoſtolis? Aut ergo dicendum Christum nunquam apparuisse matri post resurrectionem suam, id quod nemo dicere audebit. Quia si in cruce pendens curam maternalis gerit obsequij discipulo enim eam commisit, resurgens glorioſus ex mortuis, nũquid eam reliquit? Aut si virgini apparuit, ante omnes apparuit eidem. Scriptura autem hoc sub silentio pertransiuit, quia

Virgo beata fidẽ resurrectionis Christi semper habuit in contaminatam.

superfluum videbatur scribere, quod fidelibus per se notum, Christũ, ante omnes alios, & alias virgini esse apparitu-rum: vt quam digniorem fecerat cũctis, in omnibus donis, & fauoribus præcunctis eandem nobilitaret. *Dicit ei Iesus, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrũ, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene & nuntiauit discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Maria cognito Domino, vel se prouoluit ad pedes eius, aut recurrit ad amplexus, maximo gaudio oppleta. Dominus autem abegit eam à tactu suo dicens, Noli me tangere, &c. Vulgatum dubium est, cur hæc mulier est prohibita modo, quandoquidem ipsa in via cum cæteris occurrenti Domino tenuerunt eius pedes? Et rursus Dominus, non solum non prohibuit apoſtolis tactum sui corporis sed præcepit Thomæ, vt infra dicetur. Quidquod erat necessarium in argumentum dominicæ resurrectionis, vt tangeretur: ideo ait, Palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet. Porrò aduertendum est, Magdalenam viso Domino in habitu & forma priori, ex qua solebat prius cum ea conuersari duxit surrexisse instar fratris Lazari, cum quo ipsa cõuersabatur, vt ante resurrectionem suã. Dominus autem, vt eam manuduceret, ad meliorem sententiam, vt inquam, crederet non resurrexisse Christum instar Lazari fratris, qui surrexit rursus moriturus, sed surrexisse ad vitam immortalem mortis nesciam: ideo ait, *Noli me tangere.* Quasi dixisset, Iam sum nouus homo, non passibilis vt prius, neque mortalis, vt prius vt tu falso putas, ideoque iam non tibi licebit mecum agere, vt solebas. Neque iam tibi & alijs ero familiaris, vt prius eram. Dies enim hic, resurrectionis meæ, alia iam poscit gerenda, quam hactenus gesta sunt. Prius enim cunctis erant visibilis iustis & peccatoribus, cunctis tractandum me exponebam: iam verò à peccatoribus subtrahã meum conspectum & iustis non omnibus exhibebo, neque quibus me visibilem exhibuero, semper me exhibebo, sed solum pro opportunitate resurrectionis meæ testandæ, ab ijs, qui me visuri sunt.

sunt. Ambrosius autem comm. ad Lucam facilius se expedit ab hoc dubio dicens, hanc Magdalenam prohibitā tangere pedes Domini, vt dubiam, tenentē fidem resurrectionis dominicę, esse aliā, ab ea, quam cōmemorat Matth. 28. quæ simul cum alijs mulieribus, osculata est Domini pedes, quippe quæ credebat Dominum surrexisse. At vero ego adhæreo magis placito Augu. & Greg. testātibus vnitā fuisse & non duas. Quod verò ait, *Nondum ascendi*, &c. submisè loquitur Dominus, ne clarè dicat, quod volebat intelligi à Magdalena sub verbis suis, scilicet, mox ascendam ad patrē meum. Porrò si hoc dixisset apertè Magdalenæ, summam lætitiam, Dominus turbasset, si ipsa audiret mox Christum esse subtrahendū à conspectu eius, ideò dixit nōdum ascendi ad patrem meum. ¶Postquam autem iam Magdalena intellexit, Dominū surrexisse glorioſum ad vitam immortalem, & iam non esse agendum cum eo, vt prius, sed sublimiori modo, Dominus in via illi, & cæteris mulieribus occurrens, se permisit tāgendum. ¶At apostolis sui corporis præcepit tactum. Apostoli enim erant futuri testes in toto orbe Christi resurrectionis: ideo ex tactu dominicę carnis erant confirmandi in fide hac, quam erant docturi. Quod ait igitur, Nondum ascendi ad patrem meum, significare volebat, mox sum ascensurus ad patrem, ideſt, corpus iā est mihi glorioſum, & immortale, quod iam iam sum illaturus supra sidera ipsa: ideo mecum iam non poteris tu agere familiariter solito more.

¶Voluit autem Christus suis apparere discipulis in habitu priori, & non in forma glorioſa: ne ipsos exterreret glorioſa forma: & fides resurrectionis turbaretur, quia non crederetur idem qui prius. Quocirca, vt crederetur idem erat ipse, qui mortuus, & sepultus, ideò sub habitu, & forma priori, Magdalenæ & alijs fuit ostensus. Vocat autem suos apostolos fratres, quos prius vocarat amicos. Digniore titulo eos appellans, ne putarent ex gloria resurrectionis, eos minoris esse apud Christum, quam prius fuerant vt in omnibus & per omnia in homine assumpto diuinos mores ostenderet & humilitatem, & benignitatem absolutiſsimam, & transcēdentem omnia hominum ingenia, & mores demonstraret. ¶Obserua autem, quod non dixit communiter Deum nostrum, sed distrete Deum meum & Deum vestrum, &c. vt diuinitatem suam post resurrectionē suam profiteretur. Deum ait, meum, quem vocat suum, propter vnitatē deitatis, quam habet cum patre, & Deum vestrum ex creationis potestate. Patrē meum ex æterna generatione, & patrē vestrum ex filiali adoptione. ¶Narrat autem Matthęus de mulieribus, Quę cū abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem & nuntiauerūt principus sacerdotum omnia quę facta sunt. Id quod non est intelligendū de secūdo abitu, sed de primo, videlicet, in regressu illo, cuius meminit Lucas, Et egressę, dicens, à monumento, nuntiauerunt hęc omnia vndecim. In hoc igitur regressu primo quidam de custodibus, non omnes, subaudit, sed quidā forte grationes principibus nuntiauerunt, &c. Concordia Euāgelistarū

¶At quæ erat Phariſaica pertinacia contra Dominum, vt ipsis custodibus, quos ipsi authoritate præsidis admonerunt sepulchro in custodiam, testantibus veritatem dominicę resurrectionis, noluerunt assentire, vel assentiēdo noluerunt fidei obedire. Vnde satis liquet Phariſęos non fuisse motos ex zelo Dei, contra Christum sexcentas quotidie calumnias texentes, sed zelo diabolici odij contra Christum temerè concepti.

¶Non protestantur equidem illis resurrectionē Christi, apostoli, non mulieres discipulæ Christi, sed Christi hostes, & inimici Domini ipsi sunt testes. Et quidem maximæ authoritas est veritas, quā odio habentes ipsam veritatē, presi alio qui veritatis euidentia, testantur, vt modo accidit. ¶At verò malitia sacerdotū custodes auro copioso subornant, vt veritatem Dei commutēt in mendacium. Nam corrupti pecunia testantur, à discipulis furatum esse corpus Domini. Et mentita est iniquitas sibi: siquidem si discipuli suffurati fuerant, cur principes sacerdotum super hoc articulo nihil intentarunt causæ, contra apostolos? Nam si vera esset causa, maximi referebat, ad palliandum principum odium contra Christum. Veritas ab inimicis testata maximæ fidei est. Obstinatio incomparabilis Iudæorū.

¶Quid quod ab apostolis imbellibus, & impotentibus, qui omnes fugerũt relicto Domino, quomodo posset furto subripi à potentibus militibus corpus Christi? Et quorsum suffurarentur, quæ ve illis vtilitas ex corpore mortuo, quod alibi esset necessario humandum. ¶Verumtamen, vt olim est induratum cor Pharaonis, & quo maiora videbat signa, eò indurabatur vehementius, quousque rubri maris gurgites tantæ obdurationis vltores fuerunt. Quia ipse cum suis descenderunt in profundum sicut plumbũ, & in aquis vehementibus submersi sunt, sicut lapis, Ita propemodum Iudæis accidit, ex clarissimis Christi, quæ viderant signis magis obdurnerũt, & quotidie obdurescunt vehementius, quousq; à barathro infernali absorbeantur. *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Magdalena peccatrix sit excelsissimi mysterij prima euulgatrix. Hæc est enim, quæ resurrectionem Domini prima annuntiat apostolis, & discipulis Domini. Non credidit angelis nuntiãtibus, sed mœrore profundo correpta iuxta monumentum foris astans plorat, at lachrymarum suarum optimũ promeruit consolatorem Christũ. Huicque se prodẽti, cõtinuo assensit, statimq; credidit. Hanc Christus reputat dignã, quæ apostolos suos doceat de veritate suæ resurrectionis. O miram Christi in peccatores benignitatem? Mulierem in ciuitate peccatricem, ex qua septẽ dæmonia eiecerat, tantopere honorat, quantopere nullã aliam. Huic enim primo se demõstrat: hancque fidelẽ iudicat, quæ lętissimum resurrectionis suæ nuntiũ sibi charissimis apostolis nuntiet. Cæterũ Magdalenæ nuntianti non crediderunt apostoli, vt ex Marco traditur. Et illi audiẽtes quod viueret, & visus esset ab ea nõ crediderunt. Primæ nuntiationi factæ à mulieribus, non crediderunt, vt Lucas narrat, Visa sunt ante eos sicut deliramentum. Et modo item Magdalena singulariter nuntianti, etiam fidem nõ præbent. Verumtamen hæc infidelitas non videtur omnium apostolorum, siquidẽ Petrũ, & Ioãnem, supra relatum est credidisse, sed de alijs apostolis, & discipulis Domini. Et equidem eorũ incredulitas merito à Domino increpata fuit siquidem testibus oculatis & nõ pœnitentibus non credebant. Quid quod ipsi audierant à Domino se surrecturum à mortuis, & viderant Dominũ excitasse Lazarũ, & alios mortuos, verbo solo: ideo nõ erat summi negotij credere, quod se posset excitare. Porrò Deo permittẽte tardi fuerunt ad credendam Domini resurrectionem apostoli, & discipuli Domini, vt eorum tarditas multis argumentis superata veritatis, resurrectionis fides nostra robustior euaderet.

ENARRATIO. II.
In caput vigesimum.

¶*Cum ergo sero esset die illo vna sabbatorũ, & fores essent clausæ, ibi erant discipuli cõgregati, propter metum Iudæorũ, venit Iesus in medio & dicit eis, Pax vobis. Et cũ hæc dixisset, ostẽdit manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo iterũ Iesus, Pax vobis: sicut misit me pater, & ego mitto vos.*

EX superioribus iam exploratum est primo Dominũ ipso die, quo surrexit apparuisse Magdalenæ, & secundo apparuisse eidem cum alijs sanctis mulieribus. Nunc vero aliam apparitionem exponit Ioan. ex qua Deus se ostendit, vndecim Hierosolymis congregatis in domum vnã. ¶At verò ante hanc apparitionem, tertio loco denarratur aliam esse factam Petro, & quod illi singulariter apparuerit Dominus ex Luc. 24. liquet. Discipuli enim illi duo denarrantes apostolis quæ in via eis acciderant viso Domino, dicunt, Quod surrexit Dominus verè & apparuit Simoni. Sed obstrepet quispiam, Simon erat cum illis alijs apostolis, quibus discipuli illi duo, denarrabant Christum surrexisse, & apparuisse Simoni, quorsum ergo quasi esset absens Simon, dicunt apparuisse Simoni? Cum potuissent dicere, & apparuit huic Simoni, qui vobiscũ est. Rursus cur Petrus non legitur denarrasse se vidisse Dominũ, vt Magdalena, & duo discipuli, quos refert Lucas? Porrò quod illi apparuerit Dominus non solum apud Lucã extat, quin etiam apud Paulum. 1. Corin. 15. Primoq; denarrat apparuisse Cephę, &

dein

dein alijs apostolis omnibus. ¶Vnde videtur quod quia Dominus ipso die resurrectionis, ad vesperam apparuerit vndecim si primo apparuit Petro, ipso die apparuit: quanuis quota hora apparuerit ex scriptura nō liquet. ¶Sunt qui existimēt, tunc apparuisse Dominū Petro, quādo viso sepulchro, reuertebatur secū admirans quod gestū viderat. Lucę 24. Verū si ita esset, primo apparuit Petro, quā Magdalenę, cū tamē Mar. primò apparuisse Dñm Magdalenę facilè testetur. Nā vt ex Ioanne apparet, hęc admiratio Petri, cuius Luc. meminit, fuit ante quā Dominus appareret Magdalenæ. Nā ait, Abierūt ergo discipuli ad semet ipsos. Maria autē stabat ad monumentū foris plorās. Igitur post discessum Ioan. & Petri, Dominus apparuit Magdalenę. ¶Adhęc cū Ioan. dicat, ambos recessisse credibile est, vt venerunt simul ad monumentū, recessisse item simul. Igitur si Petro tunc apparuit Ioanni quoq; apparuisset, quod scriptura nō cōmemorat. ¶Fortasis igitur, postquā apparuit Magdalenæ, & alijs eius socijs, antequā serotina hora appareret vndecim, idest, collegio vndenario (vt sic loquar) apparuit Petro iā separato à Ioanne, priusquā omnes conuenirēt in domū, vbi clausis, apparuit Dominus. ¶Primo igitur obiecto respōdetur, nihil obstare veritati, si corā Simone dicant discipuli & apparuit Simoni, vt si hactenus non erat Simon testatus resurrectionē Domini, tūc contestaretur. Aut forte cū primo isti discipuli venerunt, nondū erat ibi Petrus. Neq; officit, quod infra subditur, Et inuenerunt cōgregatos vndecim, quia per vndecim intelligenda est maxima pars collegij apostolici: quia quanuis Petrus tunc aberat, nō accessit, antequā Dominus veniret. Dubiū secundū dilues, si dixeris fortasse Petrū pudefactum ex proxima, quā fecerat contra Christū negatione, etiam si vidit Christum ante alios apostolos, non tamen ausus fuit eius resurrectionem coram alijs apostolis manifestare. Erat enim Petrus humilis corde, vt satis liquet ex verbis illis, Exi à me Domine, quia homo peccator sum ego. Propterea se se deijciens ex negationis crimine proximè patrato, non est ausus, dicere alijs apostolis se vidisse Dominum: ne forte impedimēt um fidei resurrectionis exhiberet. Non enim erat facile creditu, quod Petro, qui dudum negarat Dominum, ante alios apostolos, apparuisset Dominus. Potrò Dominus non ad quæ patramus peccata, sed ad pœnitentiā spectat. Idcirco Petro primum se se ostendere dignum duxit, antequā alijs se monstraret discipulis: vt quem sciebat feruidum gerere pectus in Christi amore, & non peccasse ex malitia, sed ex humana infirmitate. Sciebat que condignis fletibus culpā absterfisse suam, hunc visione sua ante alios honorasset apostolos. Præsertim, quia hunc caput, suæ ecclesiæ constituerat, ideoq, prima ratio exhibendę consolationis de eo erat habenda: Quocirca Petro seorsum, in singularē honoris prærogatiuā Christus se rediuiuū ostendit, ante alios omnes apostolos, vt præeminentiam sui apostolatus, super alios apostolos, nos doceret. Nam etsi Iacobo sit visus singulariter etiā, vt Paulus testatur. 1. Cor. xv. At verò hæc apparitio facta Iacobo, nō fuit ipso die resurrectionis: sed quātum colligitur ex Paulo, fuit post quam Dominus apparuit vndecim, & postquam apparuit quingentis fratribus. Tametsi ex euangelio Hebræorum quod refert Hieron. Iacobus ipso die resurrectionis vidit Dominum extra alios apostolos. Cæterum Paulo est standum & non huic euangelio Hebræorum. At dicet aliquis, Vnde discipuli isti duo, habuerunt Petrum vidisse Dominū? Quia dicunt, Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Videtur autem hoc non habuisse ex Petri relatione, quia dicunt quæ ex mulieribus acceperunt, ea, scilicet, quæ mulieres ex primo aduentu ad sepulchrum viderunt, non quæ in secundo. Et adijciunt quam ex nostris, abierunt & inuenerunt, sicut mulieres dixerunt & hi videntur fuisse Petrus, & Ioannes. Si verò Petrus denarrasset istis duobus se vidisse Dominum, vt cętera coram Domino, commemorarunt, etiam istud non silerent: at nihil de viso ab alijs Christo referunt. Me latet, vnde acceperunt isti duo hoc, quod apostolis referunt, scilicet, Christū apparuisse Simoni, nisi ex ipso Simone, quanuis in illorum denarratione ad Christū habita

Lyranus in Matth. 28.

cætera explicantes, hoc siluerunt. Istis ergo forte apparitionem suam narrauit Petrus, postquã discesserunt à Domino forsitan Petrum venientem ad alios apostolos isti duo obuiũ habuerunt, & obiter declarauit se vidisse Dominum. Aut si Petrus non narrauit, ipse Christus eisdem dixit se apparuisse Petro, etsi scriptura non cõmemorat. Et ideo isti duo discipuli planè denũtiant apostolis collectis in domo vna surrexisse Dominũ verè & apparuisse Simoni. ¶ Quarta autẽ apparitio fuit duobus discipulis euntibus in Emaunta vicum Luc. 24. Quinta est apparitio, cuius modo meminit Ioãnes, dicens, quod apparuit vndecim. Et quamuis solum essent tunc decẽ apostoli, quia aberat Thomas, at vocantur vndecim, quia pars maxima collegij apostolici, nominatur ex nomine totius. Et istæ quinque apparitiones ipso die quo Dominus resurrexit sunt celebratæ à Domino. ¶ Sexto apparuit, octauo die resurrectionis suę, rursus apostolis vndecim, quippe tunc Thomas aderat cum eis, vt Ioan. hoc cap. commemorat. ¶ Septimo apparuit Petro, & socijs suis piscantibus ad mare Tyberiadis Ioan. 21. Octauo in Galileæ monte Tabor, Matth. 28. Nono apparuit in Hierusalem die suæ Ascensionis, conuescẽs cum apostolis suis, Acto. 1. & demum ipsa Ascensionis hora Mar. vltimo.

¶ Porrò autem, istam apparitionem à Marco denarratam, non omnes credunt esse vltimam, imò putant fuisse ipso die resurrectionis Domini quã refert Ioannes. Et quidem non est mihi improbabile dogma hoc sed maximæ probabilitatis. Nanque Marcus scribit in hac apparitione Dominum increduli tatem carpsisse apostolicam, & duritiem cordis. At vero in die Ascensionis iam nulla erat incredulitas, sed plena fides de resurrectione Domini. Quippe post tot apparitiones, post tot resurrectionis veræ signa, quæ Dominus in quadragenario tempore exhibuerat, nihil iam erat incredulitatis in apostolis, & discipulis Domini. Adhæc quia Marcus postquã denarrauit apparuisse Christum discipulis euntibus in Emaunta, continuo subdit, apparuisse Dominum discipulis vndecim cõgregatis Hierosolymis. Obstat tamen huic placito, quod est aduersus Augustini & aliorum placitum, primo quia dicit Marcus, Nouissimè autem recumbentibus, &c. Vnde videtur hanc, quam refert Marcus, postremam apparitionem fuisse. Accedit eodem, quod post pauca subdit Marcus, Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum. At verò quod primo obijcitur diluitur ex textu græco, vbi nõ legitur, nouissimè, sed postea. Aut dicendum reuera fuisse nouissimam illam apparitionem non simpliciter: quippe fuerunt aliæ posteriores, sed secundum quid hoc est in prima sabbatorum hæc fuit nouissima. Et perinde est ac si dixisset Marc. nouissimè in prima sabbati apparuit vndecim apostolis. Secundo obiecto, item est, facile satisfacere. Quia quod ait, Et Dominus quidem Iesus, &c. non significat quod statim post apparitionẽ relatã à Marco Dominus fuerit assumptus in cœlum: sed oportet intelligere, Mar. vt & Luc. quod postquã multa fuerat Dominus locutus per dies quadraginta in ipso die Ascẽsionis, assumptus fuerit in cœlũ. Non diffiteor argumentũ factum in suffragiũ huius placiti, nõ omnino conuincere, siquidem diceret aliquis Dominũ non increpasse incredulitatẽ, quam tunc habebãt apostoli, sed quã prius habuerãt. Quod si credimus, eam quã Marc. denarrat apparitionẽ factã à Domino duobus discipulis euntibus in villã, esse eandẽ, cũ ea, quam Lucas describit (vt videtur credendum) etiã si non desunt ex Theologis, qui diuersam esse credant: quia ait, esse ostensum Christum in alia effigie. Verũ istud nõ est magni põderis argumentũ: etenim visus est Dominus illis duobus sicut peregrinus: quia Dominus finxit se longius ire. Cũ ergo eadẽ fuerit apparitio, quæ apud Lucã, similiter & quod subnectit, Dominũ apparuisse post illam, vndecim apostolis Hierosolymis congregatis, est eadẽ, quæ apud Luc. & quę modo apud Ioãnem: etsi Lucas vberius quædã, quę tũc acciderũt prosequatur quam Ioannes, vt Ioannes alia addiderit, quæ Lucas suppresit vt patet conferenti. Quamquã Theo. nõ omnia, quę Luc. sub hac apparitione denarrat verba Domini credat eo die dicta esse à Domino,

no, sed sensim à Domino in quadraginta illis diebus fuerũt dicta. *Venit Iesus, & stetit in medio.* Nihil est quod miremur, quod ianuis clausis ingressus sit Dominus, ad apostolos. Qui clausum penetrauit sepulchrum resurgendo, & clausum virginis vterum penetrauit nascẽdo. Et maioris miraculi fuit, penetrare nascendo, quam resurgẽdo: quippe resurrexit corpore glorioso, cui ex dote subtilitatis, hoc congruit. Quomodo autẽ sermo hic accipiendus veniat, nihil moror modo, quia in. 4. Senten. plenius discussimus, dist. 49. stat in medio discipulorũ Christus vt omnibus sit conspicuus. Et hic locus est sibi opportunus, quippe qui est mediator Dei, & hominum. Et quia iam per mortem suam pacem fecerat inter Deum, & homines, ideo quam acquisierat per mortem crucis suæ, pacificans, quæ in cœlo, & quæ in terra hãc modo impartit discipulis suis dicẽs, pax vobis. Erat autem inter apostolos dissidium tunc: quidam enim credebãt, alij verò non credebant. Et rursus quia commemorante Luca, viso tunc Domino, conturbati sunt discipuli videntes, & conterriti putantes se phantasma videre. Enimuero, cum clausa esset ianua, subito in medio eorum videre Christum, existimauerunt, secũdum communem opinionem hominum esse spiritum apparentẽ in corpore assumpto: quia mortalium nemo potuisset intrare clauso ostio, nisi aperiretur. Dominus ergo per hæc verba, Pax vobis, hanc conturbationem, huncque stuporem profligare voluit. Et repetit verbum, Pax vobis, vt ex verbi repetitione magis innotesceret eis Christi vox, quam solebant audire frequentissimè, vt ex voce Christũ crederent esse verum. Pax, ait, vobis, vt nõ sit in vobis fidei diuisio, pax vobis, vt omnis à vestris pectoribus depellatur conturbatio. Vnde subiecit, Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere. Et cum hæc dixisset ostendit eis manus & pedes Lucæ. 24. Ioannes verò adiecit, & latus, & ad verbum Domini discipuli deposuerunt omnem stuporem, & turbationem & incredulitatem: vnde subdit Ioannes, Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Post conturbationẽ enim ex propria natura humana resultantem, consecuta est, pax ex Christi munere donata, & post pacem gaudiũ. Lucas verò commemorat eos non credidisse tunc: nam ait, Illis autem adhuc non credentibus, & mirantibus prægaudio. Verum hoc non erat incredulitatis propriæ actus, sed admirationis & gaudij effectus. Quæ enim maximè desideramus, si maxima sunt, & arduissima esse facta putamus, si narrantur nobis, ab alijs esse facta, non credimus, non ex mẽtis obstinatione, aut affectus peruersitate, quippe sic accidisse maximè optamus, verum, ex admiratione, & stupore sæpe non credimus, facta quæ plurimũ gaudemus, cum narrantur nobis esse facta. ¶ Tria igitur Dominus exhibuit nunc discipulis, primum, quod ianuis clausis intrat: secundo quod ostendit eis manus, pedes, & latus: tertio quod se palpandum præbuerit, etsi non legamus apostolos tunc aut postea palpasse Christi carnem, sed solum mulieres tenuisse pedes Domini: quia contenti ex prioribus, sufficientem iam de Domini resurrectione conceperant fidem. Primũ igitur, quod intrat ianuis clausis, non solũ se resurrexisse à mortuis demonstrauit, sed etiam glorioso & impassibili corpore, cuius est alia corpora penetrare. Vnde corpus Lazari post resurrectionem, non potuisset alia penetrare corpora, quia non surrexit glorioſum. Quod verò monstrauerit eis manus & pedes, & latus suũ, vt Græcus habet codex, ideò fecit, vt apostoli videntes cicatrices clauorum crederent vere ipsum crucifixũ Christum surrexisse. Dèmũ, quod ait, Palpate & videte, &c. ideo dixit, vt se veram gerere, non phantasticã carnem crederent. At verò si sciscitaris, cur Dominus cicatrices superstites esse voluit, in corpore suo glorioso, id quod fœdare corpus suum videtur? Fuerunt hæretici, astruentes superstites fuisse, ex impotentia resurgentis. Sed planè isti sunt deliri: qui corpus suum ex sepulchro ad immortalem & beatam educere vitam an non potuisset, si voluisset eas tollere? Verũ eas reliquit, ad cõfirmãdã discipulorũ fidẽ. Nã Dominus maximopere curauit fidẽ resurrectionis in cordib⁹ suorũ

Christus asseruauit in corpore suo vulnerum cicatrices non ex impotentia curandi, sed ex voluntate confirmandi discipulorum fidem.

discipulorum constituere firmissimam, ideò nihil intentatũ reliquit, vt illi crederent verè, ipsum surrexisse à mortuis. Quãobrem ostendit illis manus', pedes, & latus. Reliquit autẽ has cicatrices non cum fœditate sui corporis, sed cum maxima gloria, & decore. Cicatrices item vulnerum in martyribus alijs esse permansuras hæsitando, Augustin. ait. 22. de ciuitate Dei cap. 20. Et Beda super Luc. Non, ait, ex impotentia curandi, cicatrices seruauit, sed vt in perpetuũ victoriæ suæ circumferat triũphum. Tertia ratio est, vt in conspectu Dei illę semper extent, quasi impetrantes Dei propitiationem erga nos. Quarto vt illas in finali iudicio vniuersis ostendat hominibus, ad confusionẽ peccatorum, & gloriam sanctorum suorũ. Vnde videntes Iudæi in quẽ transfixerunt, ex sua infidelitate citra fructũ tamen sempiterno confundãtur. Vnde Augustin. lib. de symbolo, Inimicis vulnera demõstraturus sua, vt conuincens eos veritas dicat, Ecce hominẽ, quẽ crucifixistis, videte vulnera, quæ in fixistis: agnoscite latus, quod pupugistis: quoniã per vos, & propter vos apertum est, nec intrare voluisti. ¶ Verum tamẽ adhuc hæsitabit quispiã, nunquid erant tantũ cicatrices sanatorum vulnerum an etiã ipsa foramina clauorum, & apertio lateris, adhuc erant in corpore Domini glorioso? Siquidem scriptura hoc postremũ docere videtur: quãdoquidem Thomæ Dominus ait, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meũ. At si sola esset cicatrix seu vestigium sanati vulneris, non diceret Dominus, Infer digitum tuum, & mitte manũ tuam, siquidẽ cicatrix ex vulnere obcalluit, & solidescit, ideoque in eam inferri nequit digitus, aut mitti manus. At si dixeris, in corpore Domini glorificato esse non solum vestigia fixurarum, sed esse ipsam perforationem, opponam tibi, huiusmodi perforationem, repugnare cum vita humana. Vnde crucifixi, propter huiusmodi perforationem animã in cruce exhalabant: quippe sanguinis fontes erumpentes per hæc foramina, animã simul exhalant: & Dominus clauis confixus mortuus est. Si ergo huiusmodi perforatio, non sinit hominem

An in corpore Domini sint sola vestigia clauorũ, an nõ solum hæc sed ipsa clauorũ perforatio.

diu viuere, ob causam commemoratã, miraculosè igitur viuit corpus gloriosum Christi: siquidem miraculo erit tribuendum, quod per huiusmodi foramina sanguis non effluat.

¶ Rursus quia huiusmodi perforatio solui continuitatem corporis humani, at verò cum hæc solutio sit repugnans integritati corporis, cũ quare surrexit Christus, videtur Christum, sola vestigia clauorũ, & lanceæ, gessisse in suo corpore. ¶ Adhæc quorundam sanctorum martyrum corpora etiam fuerunt vulnerata, & perforata, quid ergo etiam sancti martyres, surgent cum corporibus perforatis? ¶ Accedit eodem quia cum etiam caput Domini fuerit spinea punctum corona & corpus flagris cęsum, debuisset quoque resurgere cum vibicibus flagellorum, & puncturas spinearũ apostolis demonstrare.

¶ Dicendum autem est, Dominum nõ solum cum vestigijs, sed etiam cum ipsis fixuris clauorum, & lateris sui apertione surrexisse: quæ quoque apostolis suis ostendit. Hoc autem solum probari potest ex hoc euangelio, quod palam testatur, Christum dixisse Thomæ hærenti, Infer digitum tuum, & mitte manum tuam, &c. Neque eodem modo iudicandum est de corpore misero quale est nostrum, & de corpore beato Christi. Corpus enim nostrum perforatum, sanguinem emittit, vnde necesse est mori nisi aliunde sanguinis profluuium sistatur. At vero corpus beatum plene subditur animæ, quæ potens est sanguinem illum intra venas contentum cohibere, ne per illas scissuras effluat. Et istud est animæ beatæ dignitas, quæ ex glorificatione sua, plene habet sibi suũ subditum, citra violentiam, quo ad omnia corpus: vnde citra miraculum sanguis Domini, non effluit exterius anima illum sistente. Quod si dixerit aliquis, & quid scimus si beatus sanguis ille est fluidus, vt noster? quod si fluidus non est sanguis beatorum, adhuc miraculum non est. Verum de re hac nihil temerè est differendũ. Secũdo dices, quod illa dissolutio continuitatis est à Deo permissa ad maiorẽ accidentalẽ gloriam animæ Iesu Christi, & omnium sanctorum stigmata illa beata videntium visi-

biliter

biliter humanæ redemptionis trophæa. Quidquod illa dissolutio nullam habet deformitatem, nullam fœditatem, sed summum decorem in Christo.

¶Tertio dices Augustinum rem hãc reuocasse in dubium, & sub dubio credidisse loco dudum indicato, stigmata etiã perseueratura in corporibus sanctorum martyrum. Et quidem non est hoc irrationabile, neque difficile creditu, siquidem si in Christo persistunt propter rationes commemoratas, & in martyrum corporibus apparebunt, vt membra conformentur summo capiti. Cedent enim huiusmodi vestigia vulnerum in martyribus ad summam gloriam accidentalẽ martyrum: quippe quod ab omnibus beatis visibiliter cernantur stigmata illa vulnerum, quæ passi sunt sancti martyres propter Christum, plurima lætitia beabit animas ipsorum. Nanq; si apud nos miles stigmata vulnerum, quæ in obsequium sui Regis passus est omnibus demonstrat ad gloriam suam, vt palam sit cunctis, & fidelitas militis, ad suum principem, & strenuitas & fortitudo contra aduersarios, quidquod cedet in eximiam gloriam sanctorum martyrum, quando visibiliter omnibus beatis constet per stigmata vulnerum suorum fidelitas ipsorum in Christum principem, cuius fidei gratiam suppoſuerunt ceruices suas gladijs impiorum, vnde eorum strenuitas atque inuincibilis fortitudo à beatis socijs: summè commendabitur, & osculabitur? Dices, Non ob hoc necessaria est stigmatizatio in corpore, quia omnes beati contemplantes verbũ Dei illam discent.

¶At verò etsi hoc sufficeret, Deus tamen superabundanter volens remunerare martyrum suorum passiones, & tormenta, non solum mentaliter vult demonstrare beatis omnibus, sed etiam ad oculum sensibiliter, vt cunctis beatis pateat, quam strenui fuerunt Christi milites. Et quemadmodum in Christo seruata sunt stigmata vulnerum cum summo decore, ita in sanctorum martyrum corporibus: siquidem in ęterna illa fœlicitate, nihil indecens est, sed omnia erũt decentissima. ¶Quarto dices, non fuisse necessaria alia superesse in corpore Domini, quandoquidem præcipua remanserunt, quæ sola sat erãt ad demonstrandum ipsum Christum crucifixum esse eundem, qui resurrexerat, Chryso. autẽ insinuat typos seruatos vulnerum reseruatos dispensatorie solum, ad fulciendã fidem apostolorum. Item Damas. 4. de fide. iuxta quos videtur, modo non reseruari in cœlo: at vero Augu. contra, & est vulgata sententia. *Sicut misit me pater.* Antequam surrexisset à mortuis miserat discipulos ad prædicandũ: vnde ait, Quando misi vos, sine sacculo, & pera, nunquid aliquid defuit vobis, &c. Lucæ. 24. Verumtamen tunc nõ misit eos ad prędicandum in orbẽ, sed solum in Iudęã, & Galilæam, & in alias Iudæorum prouincias. At verò resurgens à mortuis gloriosus, misit eos prædicare in orbem vniuersum. Ideo ait. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Ideſt, sicut patris authoritate, quatenus homo destinatus sum, ad docendum euangelium meũ. Fui enim primus legatus, & apostolus patris eius ad hoc munus peragendum in Iudęorũ regione: ita mea authoritate vos creo legatos meos, vt prædicetis meum euangelium, quod ipsi à me audistis, in vniuerso orbe. Ego enim hactenus vobis nõ iniũxi hoc munus, quia ego præsens erã vobiscũ agens, & ipse prædicabã & docebã populos: nunc autẽ quia iam vado ad patrem, vos subrogo in meum locũ, meas iam agite vices, vt ecclesiæ meæ doctrinam euangelij, & cætera illi necessaria ad vitam ęternam consequendã ministretis. Prius ergo Dominus firmauit in fide suos apostolos, se viuum post mortem illis ostendens, & cætera faciẽs quæ diximus: & postquam cõfirmauit eos, ait, Sicut misit me pater, & ego mitto vos: nanq; nutantes in fide non sunt idonei ministri euangelij. *Hæc cum dixisset insufflauit, & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Græcè, hoc, & non, hæc. Postquam apostolos suos vniuersales fecit legatos euãgelicæ prædicationis, eisdem donat potestatẽ vniuersalem in foro animę. Et sicut prima potestas fuit singularissima, quia nulli vnquam prophetarũ collata est à Deo ista amplissima legatio prædicãdi in vniuerso orbe terrarũ: siquidẽ solũ notus erat in Iudæa Deus, & in Israel magnum

Christus primus legatus Euangelij quatenus homo primusq; apostolus.

Amplissima Euangelij legatio nulli prophetarũ est cõmissa.

magnum nomen eius. Nanque etiam si legamus Ionam missum fuisse à Deo ad prædicandum Niniuitis, & Hieremiã, legatum gentibus à Deo esse datum, at vero nullus horum, vel aliorum in vniuersum habuit à Deo legationem, vt sancti apostoli. Hæc ergo legationis vniuersalis potestas, fuit singularissima: verũ, & quę subnectitur, item fuit singularissima, ante apostolos nulli vnquam concessa. Acceperant sanè in cœna potestatem conficiẽdi ex pane corpus Christi, & ex vino sanguinẽ eiusdem, at tum solum potestatem obtinuerunt super corpus verum Christi, nunc vero super corpus Christi mysticũ seu spirituale quod est visibilis ecclesia. Hanc vtique potestatem promissam legimus Matth. 16. non tamen collatam vt modo Domino dicente, Accipite Spiritum sanctum.

¶ Agitatur dubitatio, cur modo conferens potestatem remittendorum peccatorum, & retinendorum, Dominus præmisit, Accipite spiritum, &c. at verò neque dicens, Hoc facite in meam commemorationem neque mittens apostolos baptizare dicens, Ite docete, &c. non præmisit, Accipite Spiritum sanctum, cum alioqui Spiritus sanctus operetur in omnibus sacramentis? Et sacramentum baptismi sit primum sacramentorum, & sacramentum altaris sit maximum sacramentorum.

¶ Tu tamen considera sacramentũ pœnitentiæ, esse sacramentum quod per claues collatas Petro, administratur, & cætera sacramenta non exercentur per claues. Nam quanuis baptismus sit clauis aperiens cœlestia regna, non tamen est clauis sacerdotalis: siquidem seculares homines baptizare possunt de facto, etsi non de iure, nisi necessitas poposcerit. ¶ Eucharisticum autẽ sacramentum, etiam si non possit confici nisi ab homine clauibus prædito, verum confectio Eucharistica, non est clauis opus, vt est remissio peccatorum. ¶ Quãobrem, pœnitentiæ sacramentariæ administratio, plura requirit in administrante, quã administratio cõmemoratorum vel aliorum sacramentorũ. Siquidem plurima diligentia est adhibenda, ne erret clauis: nam hic error est sacrilegiũ saltẽ quo ad culpã remittendam & retinendã. Nam errat clauis si nõ remittendarũ aut retinendarũ habeatur ratio culparum, vel si habetur, nõ circunstantiarũ, & demũ vel contritionis, vel dispositionis ipsius pœnitentis. Etenim exercitium clauium fit per formam iudicij, audita rei confessione, & reatuum qualitate, &c. Vnde sacerdos si absoluit non contritũ formata vel informi contritione clauis errat, si à casibus reseruatis, quorum non habet copiam si excõmunicatum, sine facultate, si non subditum sine priuilegio, si non condignã imponit satisfactionem. Itaq, errare potest clauis, vel quo ad remissionem, aut retentionẽ culpæ vt qui dignũ noluisset sacerdos absoluere, aut quo ad satisfactionem, etsi hic est leuior error.

¶ Quia ergo plura sunt libranda in hoc sacramento, ne clauis erret, & ne sententia absoluens, aut retinẽs sit fallax, quippe confessor circa multa particularia agit, in quibus parata est deceptio, nisi diligens adhibeatur obseruatio. Propterea Spiritus sancti exprimitur à Domino assistentia tanto negotio peragendo. In sacramento autem baptismi, non tantus exigitur apparatus, siquidẽ, prolatis verbis legitimis secundum ecclesiæ intentionem, &c. baptismus fruitur suo effectu, item in Eucharistia. Hac igitur causa potestatẽ clauium collaturus præmisit, Accipite Spiritum sanctum. Hoc est exponente Chrysostomo spiritualẽ gratiam ad remittenda, & retinẽda peccata. Et vt semel dicam, Spiritus sancti operatio, in sacramento baptismi maior est, quam in sacramento pœnitentiæ: quia ibi regenerat, & hic non regenerat.

¶ Rursus in sacramento altaris, maior est operatio Spiritus sancti, quam in sacramento pœnitentiæ: quia ibi ex pane fit corpus Christi, & hic non. Cæterum in ministro baptismi non est tanta operatio Spiritus sancti, vt in ministro pœnitentiæ, itemque in ministro Eucharistiæ, vt in eodem ministro pœnitentiæ. Quandoquidem in ministrantibus baptismum, prolatio verborũ legitima, &c. sat est, quando fit super materiam debitam. Cæterum, in ministrante pœnitentiæ sacramentum, antequam verba absolutoria proferantur, multa diligentia, & solertia est vtendum à ministro, ne erret clauis, neue pœnitentiale corrum-

Baptismus clauis, est aperiens regnũ Dei, at potest exerceri sine clauí.

Maior est operatio spiritus sancti in sacramento baptismi & Eucharistiæ quam in sacramento pœnitentiæ.

corrumpat iudicium. *Accipite Spiritũ ſanctum.* Auguſtinus hunc locum detulit ad proceſsionem Spiritus ſancti à filio, ſi quidem hoc ſignificabat dominum inſufflantem dicere, Accipite Spiritũ ſanctum, Chryſoſto. & Theo. ad donũ gratiæ ſpiritualis referunt locum, de qua re iam vbi ſupra nonnihil egimus.

Peccatores remittere poſſunt & retinere peccata.

¶ Quod ſi colligas, qui ergo non habent Spiritum ſanctum, inepti ſunt ad remittenda, aut retinenda peccata: qui ergo ſunt peccatores non poſſunt alios iuſtificare. Abſit à te dogma hoc hæreticum: Spiritus enim ſanctus datur bifariã, aut ad iuſtificationem accipientis, iuxta illud Pauli, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Alio verò modo datur, non ad bonum priuatum recipientis, ſed ad bonum fidelium, & hæc donatio ſpiritualis gratiæ gratis datæ eſt, quę modo ſignificatur in verbis iſtis, *Accipite Spiritum ſanctum.* Id eſt, accipite poteſtatem ſpiritualem ſupra naturam vobis cõceſſam remittendis peccatis, &c.

¶ Et equidem ſublimis eſt hæc donatio cum enim ſolius Dei ſit peccata relaxare, aut retinere, quod homines etiã peccatores hac donentur ſpirituali gratia, vt poſsint aliorum peccatorũ relaxare ſcelera, & non ſolum relaxare, ſed retinere eximij doni eſt.

¶ Eſt autem remittere peccata condonare: retinere verò, non eſt, vt quidam exiſtimant, non remittere: ſi quidem iſtud eſt puræ negationis: vnde & profanos dicere retinere, quia ipſi non remittunt. At eſt quidem non remittere peccata ex officio illa retinere. Tunc enim confeſſarius retinet, quando perſpecta pœnitentis conditione, eum vt indignum abſolutione orbat. Ideoque pœnitentiarius interim dum dormit etiam ſi non remittat peccata, non tamen rẽtinere ea tũc quiſpiam dicet. Quod ſi quiſpiam tumultuatur exquirens, cur dominus modo primo dixit, Quorum remiſeritis, & de inquorum retinueritis, cum tamẽ Matth. 16. & 18. præmittat ligationem, ſolutioni dicens, Quodcumque, vel quæcumq; ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit in cælis: quando ligare non aliud videtur quam retinere & ſoluere, nõ aliud quam remittere. Quid ergo cauſæ eſt quod promittens dominus claues præmiſit retentionem remiſſioni, & conferens eas ordine diuerſo, eas contulerit. Non enim hoc temere factum eſſe à Domino credendum eſt, ſed multa ex cauſa.

¶ Cæterum conſequentia ſermonis hoc exigebat, vt quia pollicebatur claues ad ſoluendum peccata, & nemo ſoluit, niſi quod eſt prius ligatum, ideò oportebat præmittere, quæcumque ligaueritis, in terra, &c. Itidem cohærentia ſermonis poſcebat, vt remiſsio premitteretur ad retentionem. Namque, vt dicebam, ea retinẽtur, quæ ex officio nõ remittũtur.

¶ Porrò forſan hæſitas, cur non dixit dominus, quæ volueritis remittite peccata & quæ volueritis retinete? vtique ne putaremus, remiſsionem peccatorum eſſe noſtri arbitrij, & pro arbitrio vel placito noſtro eſſe gerendam, imò potius pro arbitrio ſancti Spiritus. Ideoque præmiſit. Accipite Spiritum ſanctum, &c. Enim vero, qui pro arbitrio ſuo donat peccata, aut ea retinet, efficiet nihil. Non enim tunc ipſo remittente Deus remittet, aut ipſo retinente Deus retinebit: quandoquidem tum ſi ſolum pro arbitrio ſuo remittit, vel retineat, iniuſtè remittit, vel retinet. Quo circa pœnitentiario iniuſtè remittente peccata pœnitentis Deus nõ remittet, vt & ipſo retinente Deus non retinebit. Iniuſtum enim ſacerdotis iudicium Deus non probat, ſed ſolum iuſtũ, quale ab Spiritu ſancto eſt.

Remiſsio & retentio peccatorum non pro arbitrio ſacerdotis, ſed ſancti ſpiritus eſt faciẽda.

¶ Verumtamen vniuerſalem Chriſtus voluit eſſe hanc poteſtatem clauium. Non enim ad quædam, & non ad omnia peccata illam contulit, ſiquidem ad omnia cuiuſcumque conditionis ſint peccata, claues extenduntur: niſi quod in papa ſunt pleniſsimè claues iſtæ, in cæteris autem coarctatę. De qua re in. 4. ſenten. fuſius tractauimus.

¶ Super eſt hæſitatio, nunquid ex hoc loco confeſsionẽ eſſe iuris diuini promptũ ſit. Enim verò Chriſtus ex his verbis ſolum confert poteſtatem remittendi peccata, non tamen obligationem imponit (vt prima facie videtur) fidelibus, vt ea confiteantur. Et nihil expreſsit de vocali aut auriculari, vel publica confeſsione. Caietanus hunc exponens textum, Fa-

teor ait, hoc loco ſacramenti pœnitentiæ hic inſtitutionē haberi nō pręceptū. Sed equidem ego Caietano hac in re nō duxi ſubſcribendum, vt neque Scoto qui ante ipſum. 4. lib. Senten. etſi non cum tanta aſſeueratione, idem tamen innuere videtur, locum, ſcilicet, hunc euangelicum nō colligere confeſsionis vocalis præceptum. Et eſt motus eodē quo Caieta. argumento. Quippe Dominus non iniunxit ex hoc verbo onus cōfitendi fidelibus, ſed conceſsit poteſtatem abſoluendi peccata, & retinēdi apoſtolis. Et profecto hæretici huius temporis, fatentur, nullum eſſe locum in ſcripturis imponentem nobis præceptum confitendi vocaliter. Et ſi vera narrarent Scotus & Caieta. locum præſentem nō conuincere fideles teneri ad confeſsionem vocalem ſuorum peccatorum, nullus alius meo iudicio extat, qui idē probet: imo omnes alij patebunt multis tergiuerſationibus, ſi iſte patet. Quocirca hunc locum puto colligere præceptum, & non ſolum inſtitutionem ſacramenti pœnitentiæ. Enimuero, apoſtoli ex hoc loco conſtituti ſunt iudices in foro interiori ad donandum, aut retinendum peccata. Vel ergo conſtituuntur iudices ordinarij, aut arbitri: non arbitri: ſiquidem iudices arbitri, à partibus litigantibus ſortiuntur poteſtatem iudicij, nō à principe: at verò apoſtoli ſortiuntur hanc ſpiritualem poteſtatem, non à populo fidelium, ſed à principe Chriſto: igitur eſt ordinaria, & non arbitraria poteſtas. Quidquod hæc poteſtas, quæ in eccleſia in foro interno à nullo fidelium poteſt auferri: ideoque etiam num eſt magis ordinaria, quam ſecularis iudicū poteſtas, quæ ab ipſo populo auferri poteſt: ſiquidem ab ipſo populo eſt interpretatiue regum poteſtas. Quocirca ſi hæc eſt ordinaria & non arbitraria poteſtas fideles tenentur ex Deo illi ſubdi, quo ad remiſsionem peccatorum. Dices forſan, me ſolum, probare papam, & epiſcopos poſſe obligare eccleſiam ad vocalem confeſsionem quia ipſi ſunt ordinarij iudices in foro animæ à Chriſto conſtituti & non poſſunt hanc ordinariam exercere poteſtatem, niſi vocaliter eis manifeſtentur peccata ſiquidem non ſunt dij, ſed homines, quibus abſcondi-

An confeſsionis vocalis præceptū ſit diuinum an humanū præceptum.

tur aliorum mens, niſi voce manifeſtetur. Porrò ſi hoc donamus, cōſectarium eſſet, confeſsionis præceptum eſſe humanum præceptum, & non diuinum, id quod multis fuit confeſſum doctoribus & theologis, & iuriſconſultis, non altius ſapientibus de huiuſmodi præcepto, quam de præcepto quadrageſimalis obſeruationis, quod ab apoſtolis dimanauit in totam eccleſiam. Imo hæretici non tantum tribuunt confeſsionis vocalis præcepto, vt apoſtolicum eſſe credant, quippe quod credunt ab Innocentio tertio originem duxiſſe de pœn. & remi. ca. omnis vtriuſque ſexus. At verò diuinum eſſe, & non humanum de confitendis vocaliter peccatis, ex hoc loco, ſic oſtendo, quam breuiſsimè, quia in. 4. Senten. vberius rem hanc ſumus proſecuti. Etenim Dominus ait, Quorum remiſeritis peccata remittūtur eis, & quorum retinueritis, &c. igitur quæ non remiſerint apoſtoli peccata nō ſunt remiſſa: remiſsio igitur peccatorum à Deo, & non ab homine apoſtolicæ ſubiecta eſt poteſtati. Si à Deo igitur eſt ſubiecta peccatorum remiſsio, apoſtolicæ poteſtati. Qui ergo voluerit obtinere remiſsionem peccatorum, neceſſe eſt Chriſto ordināte vt illam ab apoſtolis, vel ſucceſſoribus ſuis petat: at vero apoſtoli nō poterant remittere peccata, niſi primum eſſent cognita ipſis. Neceſſe ergo eſt ad remiſsionem quod cognitio remittendorum peccatorū præcedat. Hęc autem cognitio peccatorum, fieri poteſt aut verbo, aut ſcripto, aut nutibus. Cæterum commodiſsima manifeſtatio, & apertiſsima, & citra ambiguitatem ſit quæ fit verbo, quæ eſt etiam reorum in iudicio ſeculari, quia eſt euidens occultorum manifeſtatio: nam quæ fit ſcripto, ambigua eſt, item quæ fit nutibus incerta eſt. Si ergo apoſtolicæ poteſtati ſubditur peccatorum remiſsio, & nullum ſecundum Chriſti præfatum verbum peccatum poteſt remitti, niſi per apoſtolicam poteſtatem, & ab apoſtolis remitti nequibat, niſi per manifeſtationē ipſorum peccatorum, & nulla manifeſtatio eſt euidentior, quam ea, quæ fit verbo neceſſum eſt fidelibus, ceſſante omni iure humano ex Dei præcepto, vt vocaliter ſua manifeſtent crimina, vt per apoſtoli-

Cōfeſsio vocalis ex iure profecta eſt diuino.

ſtolicam poteſtatem à Chriſto tunc eis, & de in ſucceſſoribus collatã, remiſsionẽ poſſunt obtinere ſuorum peccatorum. Quia igitur hæc eadem poteſtas defunctis apoſtolis deriuata eſt in ſuos ſucceſſores, inde conficitur quod fuerat neceſſe vocaliter ex loco prænotato confiteri in primitiua eccleſia apoſtolis, aut ordinatis ab eis ad hoc obeundum munus, quare & modo eſt neceſſe ex Dei iure confiteri eorum ſucceſſoribus. Et vt ſemel dixerim perinde eſt ac ſi dixiſſet dominus, quæcumque remiſeritis, erunt remiſſa, & quæ non remiſeritis manebunt nõ remiſſa. Igitur peccatorum remiſsio & retentio ex Chriſti verbo, apoſtolis, & ſucceſſoribus neceſſario ablato omni humano iure eſt ſubiecta à Deo.

¶ Forſan hæſitat quiſpiam (vt hæc interim mittamus) quid eſt cauſæ, quod dominus primo confert poteſtatem remittendi peccata per pœnitentiæ ſacramentum, quam per baptiſmum cum alioqui baptiſmus ſit prior quam pœnitentia? Namque poſt modũ dixit, apud Matth. & Mar. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Dixit porro Cyrillus c. 56. libri. 12. in Ioannem, dominum per hæc verba, *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* non ſolum præcepiſſe pœnitentiam, ſed etiam baptiſmum. Si quidem apoſtoli, ad baptiſmum dignos recipiebant, indignis repulſis: vt etiam ad abſolutionem ſacramentalem: ſi quidem vtrobique eſt peccatorum remiſsio, & vtrobique peccatorum retentio, quando indigni expellũtur ab obtinẽda remiſsione. Cæterum plauſibilius mihi videtur, non de baptiſmo nunc fieri mentionem, ſed ſolum de pœnitentię ſacramẽto, quod & inſtituit Chriſtus modo, & etiam pręcipit, vt prędiximus. Namq; inſtitutionẽ baptiſmi priorem eſſe legimus, quam omniũ aliorum ſacramentorum nouæ legis. Quandoquidem Ioan. 3. eam legimus. Quanuis enim officium baptizandi vniuerſale omnes gentes fuerit à Domino nouiſsimè iniunctum apoſtolis iam iam aſcenſuro in cælum, verum inſtitutio eius antiquior fuit, imo & vſus Ioan. 4. etiam ſi vſus generaliſsimus baptiſmi ortum habuit poſt domini in cælos aſcẽſionem. Quid quod, vt diximus, aliquid grande & inſolitum inſinuare volebat Dominus diſcipulis commiſſum, quando præmiſit, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* id quod aliàs feciſſe non legimus. Quid quod multo aliter fit remiſsio peccatorum per pœnitentię ſacramentum, quam per baptiſmum: quia per pœnitentiam iudicialiter remittuntur, aut retinentur, & per baptiſmum ſolum ſacramentaliter donantur, & nõ iudicialiter. Quocirca quanuis verum ſit miniſtros eccleſiæ per baptiſmũ remittere peccata, non tamen miniſtri tunc dicuntur remittere peccata, ſed potius baptiſmo tribuitur hæc remiſsio. Verũ miniſtris pœnitentiæ, tribuitur remiſsio peccatorũ dum ait, *Quorũ remiſeritis, &c.* quippe tunc ceu iudices abſoluunt vere pœnitentes, & cõfeſſos, alios vero repellunt. Neque propriè dixeris fideles retinere peccata infidelium, quia eos non baptizant.

Multo aliter fit remiſsio peccatorum per baptiſmũ quam per pœnitentię ſacramentum.

¶ At ſciſcitaberis rurſus, ſi donamus quod verum eſt confeſsionem vocalem eſſe diuini iuris, vnde poterimus habere diuini eſſe iuris, quod ſit occulta & clancularis ſine quod ad aurem tantum celebretur? Vtique publicorum peccatorũ aliquando fuit publica confeſsio, vt occultorum occulta: modo verò omnia, ſiue occulta, ſiue publica ad aurem ſacerdoti inſtillantur.

¶ Porrò qui volet etiam occulta ſua publicitus ſacerdoti confiteri, non ob id nõ confitebitur aut non implebit Chriſti de confitendo præcepta. Nam licet modus confitendi ad aurem & ſecretè de iure diuino ſit, in fauorem tamen pœnitentis introductum, qui iuri ſuo, & ei, quod pro ipſo noſcitur introductum cedere poteſt, nec enim illi præcipitur vt ſecrete & ad aurem ſemper confiteatur, vt docet Concil. Trid. ſeſs. 14. cap. 5. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille autẽ dixit eis, Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.* Deo diſponẽte aberat ab apoſtolico illo ſenatu Thomas, vnus ex eodem ſenatu. Qui poſtea cum acceſsiſſet in locum, vbi, ſcilicet, erant apoſtoli congregati ex formidine Iudæorum atque retu-

Confeſsio vocalis iuris eſt euangelici, modus autẽ vocaliter cõfitendi eccleſiæ ſubditur.

retuliſſent ei alij apoſtoli, vt Dominum vidiſſent: quique ad eos intraſſet ianuis clauſis, cuius & clauorum veſtigia, & militaris lanceæ vulnus aſpexiſſent, ille nihilominus non aſſenſit collegis. Volebat enim etiam ipſe ex viſu & tactu ſuo Chriſtum agnoſcere. Forſan enim Tho. interrogauit coapoſtolos, Nunquid vos tetigiſtis loca clauorum? nunquid immiſiſtis digitos in fixuras eorum? num manum introduxiſtis in vulnus lanceę? Illis autem reſpondẽtibus, non tantũ proceſsiſſe, quia ſat illis fuerat typos videre clauorum, & lanceæ, & vltro non fuiſſe progreſſos, ille continuò ſubiecit, non mihi ſatis eſt vos vidiſſe typos, & non tetigiſſe loca: imò niſi videro, & palpauero loca clauorum, & lateris vulnus, propria manu contrectauero, non credam. ¶Deus igitur, vt dudum aiebam permiſit huius apoſtoli pertinaciam in non credendo, vt fides reſurrectionis vegetior euaderet, & ab ea omnis dubitationis vmbra ſubmoueretur. Didymus verò eſt idẽ quod geminus, forſan nactus eſt nomen, quia vterinus frater erat, vt Iacob, & Eſau. Quidam putant geminum dictum, quia dubiam nimis traxit mentem de reſurrectione Domini.

τυπος Fixura figura veſtigium cicatrix.

¶Conſidera interim ex hoc loco, duo voluiſſe Thomam, vt deponeret infidelitatem, & videre fixuras, ſiue vt Græcè habetur veſtigia ſiue figuras, vt legit Irenęus, at Auguſt. cicatrices, & mittere digitos in perforationem clauorum, & vulneris lateralis. Supra referebam Chyſo. & Theophil. qui credunt hæc aſſeruata diſpenſatoriè pro tempore ad tollendã ambiguitatem à cordibus diſcipulorũ. Itemque credit Cyrillus, qui diſſerens, cum corpus Chriſti eſſet tum beatum & incorruptibile, quî erant in eo perforationes manuũ, & pedum, quæ ſunt corruptio integritatis? Et quid nonne ſurgent ſancti incorrupti? 1. Corin. 15. Reſpõdet ſolum aſſeruata veſtigia, vt fides diſcipulorum conualeſceret, hæcque ſeruaſſe Dominũ fatetur quouſque aſcenderet in cœlũ indicãs ad hoc Eſaiam. 63. Quare rubrum eſt veſtimentum tuum. & Zachar. 13. Quæ ſunt plagæ iſtæ in manibus tuis. Quia propter angelos, ait, tunc fuere aſſeruata, vt ipſi crederent reſurrectionem. Porro angeli non egent ſenſibili demonſtratione, quippe euidenter viderant Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis. Verum hoc dictum Cyrilli ad exaggerationem dictum accipito. Porrò hæſitas forſan, ſi Thomas non erat cũ reliquis apoſtolis, quando Dominus primo ſuo reſurrectionis die apparuit apoſtolis, & eis dixit, Accipite Spiritum ſanctũ, igitur Thomas non accepit Spiritum ſanctum cum alijs apoſtolis, vbi ergo Spiritum ſanctum accepit?

Cyrillus expenditur.

Cyrillus loco dudum prænotato exiſtimat abſentem recepiſſe, quando coapoſtoli præſente Domino receperunt. Etenim Numer. 11. legimus à cœtu ſeptuaginta virorum, quibus ex ſpiritu Moyſi diſtributus eſt Dei ſpiritus abfuiſſe, Eldad, & Medad, nihilominus ſimul recepiſſe hos duos abſentes Spiritum ſanctum, ſicut & præſentes. At verò obſtat huic ſententiæ, quod Dominus inſufflans halitũ ſuum contulit Spiritum ſanctum apoſtolis decem congregatis, verum in Thomam abſentem nõ peruenit hic flatus, niſi gratiæ concedas miraculum.

Cyrillus expenditur.

¶Rurſus quia Cyrillus vertit in dubiũ cur apoſtoli tetigerunt Domini corpus, & Magdalena prohibetur à tactu, & reſpondet, apoſtolos fuiſſe ſanctificatos à Domino per Spiritum ſanctum, ideo eis permiſſum eſt tangere corpus Chriſti, Magdalena autem non erat ſanctificata, quippe quæ nondum exceperat ſpiritum ſanctificationis. Quamobrem infert, quod Thomas abſens, accepit hunc ſpiritum ſanctificantem, ideò modo iubetur tangere Dominum. Porro hæc difficilia ſunt intellectu: ſiquidem Magdalena eodem die reſurrectionis Domini num tetigit cum cæteris mulieribus: & rurſus Thomas abſens, erat incredulus: quia ipſe ſe non crediturum teſtatur, quouſque videret typos clauorum, & loca eorundem & lanceati lateris tangeret. Quod ſi incredulus erat & infidelis, vr Dominus illi obuertit dicẽs, Noli eſſe incredulus, ſed fidelis, non poterat vtique recipere ſub ſua incredulitate ſpiritum ſanctificantem: quippe infidelitas repugnat cum ſanctificatione, vt quod libet aliud crimen. Quanuis enim hæc infidelitas nõ procedebat ex animi peruerſitate qualis erat infidelitas Phariſęo-

rum

rum: cæterum crimen etiamnum erat: id quod facilè liquet, quia à Domino fuit reprehẽsa, & acriter increpata. Quid quod alios apostolos tetigisse Dominũ non legimus & Petrus & Ioan. ante visum & tactum crediderunt.

¶ Quod vero. Tho. receperit Spiritum sanctum ad remittendum peccata, & retinendum, vt & cæteri receperunt apostoli, non est vertendum in dubiũ, quippe æqualem sortitus fuit cum cæteris potestatem: quando autẽ eam receperit, si absens, vt Cyrillo placuit, aut forte quãdo Dominum octauo resurrectionis die vidit & tetigit me latet. Et si non est mihi incredibile octauo illo die postquam Dominum vidit, & tetigit, & credidit dicens, Dominus meus, & Deus meus, Dominum illi insufflasse, vt fecerat cæteris & dixisse ei, accipe Spiritum sanctũ &c. quanuis scriptura hoc non referat, cui suffecit retulisse, cæteris apostolis collatum fuisse Spiritum sanctum ex Domini flatu vt & Thomam eundem accepisse non ambigeremus. Quo autem tempore eiusdem Spiritus sancti ad remissionem peccatorum, & retentionem acceperit gratiam euangelium suppresit.

¶ Sunt qui putant Thomam solum vidisse vestigia vulnerum & vulnera non tetigisse, quia Dominus non dixit, quia vidisti Thoma, & tetigisti, sed quia vidisti me Thoma. Ad hanc rationem theologizat Euthimius: verum fragili fundamento, cum constet ex scriptura hac, visum comprehendere tactum, vnde Dominus, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, ideſt tange: quia solum ad videndum non erat necesse inferre digitum. Etiam in vulgato sermone quæ tactu nos percipimus vidisse dicimur: imo quæ audimus. Exod. 20. Cunctus populus videbat voces, &c. *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vidit Thomas, & videndo tetigit, etsi euangelium, nihil meminerit de tactu, sed suffecit vt dicebam, meminisse visus. Apostoli igitur alij à Thoma ex visu Domini conceperunt fidem, Thomas ex visu, & tactu: nos vero ex solo auditu.

Scriptura per visum aliquã do cõprehendit tactum.

¶ Vnde de fidelibus alijs ab apostolis & discipulis Domini, verum est quod Paulus ait Roma. 10. fides est ex auditu. Pro nuntiat autem Dominus beatos esse, qui credunt ex auditu: vnde forsan credet aliquis beatos non fuisse apostolos, quia ex visu, & tactu crediderunt. At verò eosdẽ beatos profert Lucæ. 10. esse Christus dicens, Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, &c. Aduertendum igitur est fidem esse inuisibilium, ad Hebræos. 11. argumentum est non apparẽtium. Quo circa aliud videbat Thomas, aliud credebat: vidit vulnera: at credidit vulneratũ esse Deum & dominum suum: istud nõ vidit, quod tamen credidit: nam quod vidit, hoc non credidit, & quod credidit hoc non vidit. Cæterum ad habendam hanc fidem motus fuit ex visu, & tactu. Nihil enim obstat, ad concipiendam fidem inuisibilium, ex visibilibus hominem moueri: fideles autem non ex visu vel tactu mouemur ad fidem concipiendam, sed solum ex auditu. At vero quia inefficacior est auditus ad mouendum, mentem, quã visus, vel tactus, ideo Dominus beatiorem pronuntiat esse fidem quæ ex auditu, quam fit, quæ ex visu, vel tactu paratur: quandoquidẽ ita certo credere, ex minori motiuo, vt certo credebant, qui ex maiori motiuo credebant, nobilioris gradus est fides, ideſt, maioris laudis digna fides. Quod ergo Dominus ait, Beati qui non viderunt, & crediderunt, aut & credunt, vt legit Augustinus, hũc habet sensum, valde laudãdos esse non videntes, & credentes. Quãuis non ex hoc consequitur nostram fidem maiori gloria esse donandam, quã apostolicam fidem: si quidem batitudinis pondus non correspondet fidei soli, sed fidei cum charitate: maximo autem excessu nostra charitas superatur ab apostolica charitate: ob hancque causam, ipsi sunt beatiores multo, quam erunt fideles. Cæterum hoc sibi iusto nomine vendicat laudis fides posteriorum fidelium, quod minori motiuo credunt, quã crediderunt apostoli. Fuit porrò necessarium, apostolos vt ex visu, tactu crederẽt quippequi ad posteritatem certitudinẽ suæ fidei erant transmissuri. Neque probo tamen Caietanum dicentem fidem huiusmodi Thomæ fuisse conuictam vt est fides dæmonum qui credunt & contremiscunt. Si quidem, quod vidit hunc esse Christum refusçitatum non credi-

Auditus ineficacior est ad mouendũ animum, quã tactus vel visus.

Apostoli ex visu, vel visu & tactu conceperũt fidẽ.

dit

dit, conuictus enim fuit ex visu, & tactu, at quod credidit esse suum Dominum, suumque Deum non conuictus credidit, sed spontaneus: si quidem vestigia tangere clauorum non erat signum euidens diuinitatis. Diabolo verò signa sunt euidentiora nobis, ex perspicuitate sui ingenij idcirco ille conuictus credit. *Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus, Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.* Græcè, vtrobique est articulus, ille Dominus, ille Deus meus. Et expressus est hic testimonium, quam alibi in scripturis, de Christi diuinitate ex quo confunditur Arrius antiquus & hæresiarchæ, & Ebionitæ cum modernis Anabaptistis cõfodiuntur contendẽtes Christum non esse verum Deũ. Quod si dixerint Thomã hoc dixisse nõ Christum, vtique Thomas dixit, at Christus agnouit, quia ait, Quia vidisti me Thoma credidisti: & apostoli audientes, nõ sunt refragati. Ideoque cum à Christo sit commendata Thomæ fidei cõfessio, est vera fides docens Christum esse verum Deum, vt etiam Matth. 10. etsi non tam euidentem, at eandem Petri Christus commendauit confessionem, quando dixit, Beatus es Simon Bariona. Petri nanque confessionẽ diuinitatis Christi Christus beatificauit tunc, quia non ex visu, non ex tactu, aut ex auditu exteriori sed interna auditione, didicerit Christum esse filium Dei. Nunc autem Thomæ confessionem, apertiorẽ quam fuerat Petri, non beatificat tamen, quia visum & tactum præexegit, vt crederet. Et attende opera Dei, vt omnia moderatur sapientissimè, Thomam permisit in tanta duritie obuersari, vnde postmodũ magnificam exprompsit fidei confessionem, & multò illustriorem, quã fuerit aliorum apostolorum, qui non tanta opera suam produxerunt continuo viso Domino fidem, *Noli esse incredulus.* Græcè, noli esse infidelis, sed fidelis, aut noli esse incredulus sed credens. At interpres, noluit obseruare προσονομασιαν, seu ad nominationem Græcam horum nominum, scilicet, απιστος, & πιστος. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu suorum discipulorum, quæ non scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* In fine capitis vltimi dicet Ioannes, Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror capere posse, eos, qui scribẽdi sunt, libros. Atq; inter hunc locum, & priorem, istud est discriminis, quippe in priori loco solum meminit de signis, quę fecit in cõspectu discipulorum, hæc autem signa fuerunt post resurrectionem suam. Post hanc autem non conuersabatur nisi solum cum apostolis, & discipulis suis, neque tamẽ semper. Quibus se præbuit viuũ in multis argumẽtis, vt denarrat Lucas, Act. 1. Siquidem, vt diximus, decies apparuit in quadragenario illo. Et quia Ioannes non denarrat omnes apparitiones Christi post resurrectionem suam, sed solum quasdam, reliquas autẽ relinquit, quas aduertebat ab alijs Euangelistis esse denarratas, ideo ait, multa alia fecisse signa &c. Et Luc. ait, multa fecisse argumẽta, seu sensibiles apparitiones coram discipulis suis. Posterior vero locus de miraculis Christi absolutè est intelligendus, quæ edidit, non solum coram discipulis, sed in conspectu omnium dignorũ, & indignorum. Miracula verò post resurrectionem suam discipulis solis ostẽdit, quos testes instituerat suæ prædicandæ ab eis resurrectionis. Miraculosæ autem apparitiones, sunt scriptæ à Ioanne & cæteris, non propter Christi, sed propter nostrum spirituale lucrum, vt per hęc scripta signa admoniti fidem synceram, & viuentem concipiamus, per quã possimus assequi vitam æternam. *In nomine eius.* Idest, ad fidem hanc Christi, ad iuuante Christo, perueniemus. Habemus igitur vitã in Christi nomine, idest, eius ope, & gratia cooperante nobiscum ad fidem viuam habendam.

¶ At quæret quispiam, In dierum ante Ascensionem Domini quadragenario, vbi erat Christus? quia multis antiquis doctoribus creditum fuit, in paradiso illo terrestri toto hoc egisse quadragenario: id quod insinuat Nicephorus lib. 1: cap. 31. dicens, animã Christi simulatq; expirasset à corpore, descendisse, in partes terræ, inferas, vbi animæ sanctorum patrum asseruatæ erant, & cõtinuo eduxisse illas ab eo in quo detinebantur infero

fero loco: & deduxisse eas in paradisum terrestrem, ibique cum eis fuisse. Rursus adiecit, has animas ibidem asseruari ad resurrectionem vsque finalem suorum corporum. At verò hoc vltimum dictū, fuit sane persuasum olim multis patribus, & Græcis & Latinis, vt supra à me est cōmemoratum: & videtur Ambros. idem sentire cōm. ad psal. 45. translatos esse quosdam mōtes in paradisum. Quibus dicitur, Hodie mecum eris in paradiso, & cui dicitur sic volo eum manere donec veniam, Tu me sequere, & Enoch, qui translatus est &c. At vero iam modo non est probatum dogma ecclesiæ Dei, credenti certò animas continuo à depositione suorum corporum, si mundæ euaserint, beari beata visione. Vnde & quod primo asserit, est citra auctoritatem certam prolatum: si quidem Christi animam eduxisse animas illas longa expectatione expectantes suam libertatem, est fidei confessio: at vero, quod illas in paradisum deduxerit, non est fidei confessio, sed opinionis propriæ assertio.

Nicephorus nō probatur & Ambrosius expenditur.

¶Enim vero, animarum proprius locus nō est paradisus terrestris: quippe amœnitas loci illius & celsitudo, non confert ad delectationem animarum beatarum, sed delectatio quæ est in fruitione diuinitatis. Si ergo animæ illæ fuerunt beatæ continuò post animæ descensum Christi, ad inferos, quid opus facto erat, has deducere ad terrenum paradisum? quippe, erant donatæ iam paradiso multo illustriori cælesti, id est, clara imbutæ Dei notitia.

¶At verò Nicephorus credens animas non anteuertere suorum corporum beatitudinem, sed sua expectare corpora, vt simul bearentur, putauit beatitudinem quandam esse animarum sanctarum existere interim in paradiso illo amœnissimo, & splendidissimo, ex falso fundamento, falsam inferens conclusionem.

¶Thomas in. 3. scripto. dist. 22. q. 3. videtur sapere, Christum in quadragenario commemorato diuersatum fuisse in terrestri illo paradiso: quanuis in. 3. part. q. 55. art. 3. ad. 2. re oculatius inspecta, dixit incertum esse locum hunc, quia scriptura non tradidit, vbi tūc fuerit dominus. Et hæc mihi certa est sententia locum hunc esse incertum.

Latet locus vbi fuerit christus in sacro quadragenario ante ascēsionem.

¶Cæterum, quia animæ illæ sanctæ expectabant Christi ascensionem, vt cum illo conscenderent super æthera, ideo cum animabus illis omnibus fuisse in quadragenario facio illo dierum mihi videtur. Etenim Christus corpore gaudens beato, diuinitatē suam illis patefaciebat, & gloriā sui corporis illis manifestabat, vt ex priori essē tialem consequerētur beatitudinem, & ex posteriori ex viso Christi beatissimo corpore accidentariam, sibi conciliarent gloriam. Vbi autē hæ animæ erant tunc congregatæ super terram, quis nouit? Vtiq; ille solus nouit, qui omnia nouit. Fuit autem hæresis cuiusdam Præmonstratensis apostatę docentis inter alios articulos, quod Christus non descendit ad inferos, neque animam Christi eduxisse animas sanctas ibi detentas. Neque animas sanctas in limbo vnquā fuisse. Imò quod Christus dicens in cruce, Deus Deus meus, cur dereliquisti me, desperauit. At hic insanus non videbat, quod subiecit Christus, Pater in manus tuas commēdo spiritum meum non esse desperantis verba: & qua ratione desperabat qui latroni dicebat, Hodie mecum eris in paradiso. Verum Deus huius seculi excæcauit mentem huius, vt poneret in cælum os suum. Quod si animæ sanctorum non erant in limbo, vbi erāt. Non in inferno, neque in purgatorio, quia purgatissimas eas esse supponimus neque in cælo illis obdito verum hanc hæresim modo mittamus. Porro vt ad priora remeet oratio, si credimus sanctorum corpora, quæ surrexerunt sub Christi resurrectione, surrexisse ad immortalem cum Christo obtinendam vitam animæ sanctæ illæ, quæ corpora non resumpserunt sua, & animæ quæ resumpserunt omnes erant cum Christo, & Christus cum eis. At verò animæ à nullo videbantur, quia suapte natura sunt inuisibiles: corpora autem sanctorū gloriosa iam reddita etiam erant inuisibilia pro sua voluntate. Quippe beata corpora sese monstrant quibus volunt, & occultant ea quibus videri nolunt. Ideoq; etsi beatissimus ille sanctorum cœtus in media esse Hierosolyma, fruebatur sua beatitudine, & à nullis erat visibilis, Christus verò ex potentia suæ diuinitatis

tis poterat visitare apostolos, non relinquens beatum illum cætum, vt modo non deserta ætherea sede, se locat in omnibus consecratis hostijs, de qua re alibi. De funere, & resurrectione Domini, deque generali omnium resurrectione particulares edidimus declamationes ad Esaiam, ideo illis modo supersedemus.

ENARRATIO. I.

In caput vigèsimum primum.

¶ *Posteà manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem se sic, erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari: dicunt ei, Venimus & nos tecum. Exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto, stetit Iesus in litore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus, Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei, Non. Dicit eis, Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.*

MATTHÆVS, & Mar. tradiderunt Dominum dixisse die suæ resurrectionis mulieribus, vt nuntiarent discipulis Galilæam petere visum Dominum. Quocirca accepta consolatione ex Domini resurrectione, resumptisque viribus, quas depositerant ex Domini morte, remeant ad propria, idest, in Galilæam, prius enim formidine correpti conclusi tenebantur intra domus suæ parietes: Iam verò liberius agentes remeant in Galilæam, scientes quod ibi erant visuri rursus Dominum, vt ipse prædixerat. Voluit autem post resurrectionem suam Dominus primo videri Hierosolymis, vbi mortuus, & sepultus fuerat, vt vbi ignominiam mortis sustinuerat, gloria suæ resurrectionis clarescceret. Dein verò in Galilæa se demonstrat, vbi diutius fuerat conuersatus, Petrus igitur, vel vt quæreret sibi victum, vel ne ocio torperet ad consuetam prius piscationem reuertitur. Quã sane intermiserat, propter Domini sequelam: quod autem post Domini resurrectionem, apostolis nõ dabatur Dominum comitari, vt ante resurrectionẽ: quippe, non semper illis apparebat, sed pro sua volũtate. Immortalis iam enim existens Christus, cum mortalibus, non diu agebat, sed solũ, vt opus facto erat, ad constituendam apostolicis mentibus suæ resurrectionis fidem. Propterea igitur ad priora piscationis studia regrediũtur apostoli tantisperdum eis non imponebatur à Domino euangelizandi officium, quod longe dignius erat quam commemoratum. Postquam autem Dominus cœlestia petiuit habitacula, ipsi non piscationi piscium vacarunt, sed animarum. Nam imbuti Sancto spiritu die Pentecostes, continuo se se promunt impauidi in plateas, vt palam sublato omni timore Christi gloriam prædicent. Interim tamen piscationi, vacant, quod munus ab eis innoxiè tractari poterat.

¶ At verò Matthæus, non telonæo vacauit amplius ab apostolatu, quia vix exerceri potest, mercatura absq; noxa. Demum his diebus ante Spiritus sancti in eos descensum, quilibet apostolorum ijs operam nauabat actionibus, quibus innoxiè nauari poterat.

¶ Petrus igitur primus vadit piscatum, & eius solertia, alios accendit apostolos, vt similem præstent. Enimuero prælatorum diligentia in piscatione spirituali inferiores pellicit, vt eodem laborẽt studio, vt eorum inertia, inferiores inertes quoque facit.

¶ Studentes autem piscari apostoli nihil ex piscati sunt: nanque tota nocte laborãtes, missis retibus, in mare nihil prẽdiderunt. At vero coruscante mane aduenienteque Christo, & eius iussu, retia iactantes copiam piscium vberrimã ceperunt, vt etiam Lucæ. 5. gestum simile legimus, vbi ait Petrus, Præceptor, totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete: & cum hoc feciſſent concluserunt piscium multitudinẽ. Itaque vtrobique laborat Petrus, & quicunque cum Petro erant, & vtrobique nocte tota laboratur, & vtrobiq; nihil capitur, & vtrobiq, per Christi verbũ, iam die lucente, frugifer redditur piscationis labor: & demum vtrobique Petrus introducitur, vt præcipuus piscator,

piſcator, cuius authoritate cæteri piſcantur. ¶Siquidem prima authoritas, in Dei Eccleſia, eſt Petri, ideſt, ſedis apoſtolicæ authoritas. Huic enim eſt primum commiſſa fidelium piſcatio: huic primum eſt commiſſum docendi, & gubernandi eccleſiam munus. Cæteri verò omnes prælati, ſub hac apoſtolica Petri ſede ſubſident: ab eaque piſcandi modum & rationem haurire eos oportet: cæterum omnis piſcatio huiuſmodi, infrugifera eſt, etſi operoſiſsima ſit, niſi Chriſti gratia opituletur: noſtra enim omnia frigida ſunt, niſi calore diuinæ gratiæ foueantur. Hæc autem ſi aſtiterit, vberem, & valde fructuoſam facit ſpiritualem piſcationem. Verumtamen nunc in litore ſe oſtendit, & dicit, vt iaciant retia ad dextram nauigij partem. Apud Lucam verò nõ deſcribitur, in litore ſed in naue Simonis: quippe ſiue in litore immortalitatis conſiſtens, extra huius ſeculi fluctus glorioſè iam agens, ſiue quando nauim noſtræ mortalitatis verſabat, ſemper curat eccleſiã ſuam ſaluberrime mouere, ore quidem proprio, quando in naui, ideſt, in carne mortali degebat, & per ſcripturã ſuam nunc in litore cœleſtis regnans patriæ. Et ſicut Petrus exequens iuſſa Chriſti, mirabilem obtinuit piſcationem ſupra vota ſua: ita fideles iuſsis Chriſti ſi parue rint non inanem habebunt laborem.

Myſtica expoſitio duarũ piſcationum Petri.

¶Rurſus apud Lucam commemoratur Dominum iuſsiſſe Petro & ſocijs, vt in altum ducerent nauem, & retia laxarẽt: at verò non hoc iubet modo, ſed quod ad dextram nauigij, iacerent retia.

¶Ad hæc multo maior multitudo fuit capta, ex piſcatione, quæ refertur apud Lucam: quippe piſcantes duas ex piſcatione impleuerunt nauiculas, quæ adeò onuſtæ piſcibus erant, vt penè mergerentur. Cæterum apud Ioannem, etſi rete plenum erat magnis piſcibus, ideoque magnitudinis dignitate videntur excedere priores piſces, non tamen numero. Etenim non commemoratur, præ multitudine piſcium, penè fuiſſe mergenda nauis, vel quod ex vberi piſcatione alia etiam nauicula oneraretur. Nanque ſolũ referuntur modo eſſe centum quinquaginta tres piſces, aliorum autem piſcium numerus non refertur. Præterea à Dominus huiuſmodi piſces diſtribuit diſcipulis, & ad horum prandium inuitat dicens, Venite prandete. Verum de alijs piſcibus relatis à Luca nihil horum refertur: vt hinc ſuſpicari liceat, nonnihil magni latere in his duabus piſcationibus ſacramenti. Equidem prima piſcatio promiſcuam ſignificat fidelium Eccleſiam ex bonis, & malis fidelibus congregatam, ex electis & reprobis coadunatam. Sunt enim fideles, qui tametſi fidem ſyncera ſeruent, & ab illo non deciſcunt, malis tamen operibus illam dehoneſtant: omnes tamen fideles ſub eccleſiæ poteſtate, ſub rete que Petri continentur. Nunc ergo, quãdiu mortalis delabitur vita in altũ ducitur rete, quia profundũ eſt hoc ſecretũ, qui nã ſunt ex fidelibus, qui pertineant ad illã æternã Dei electionẽ, qui ve, qui ad illã non pertineant, etſi ex fide videã tur pertinere. Nunc quoq; laxatur rete: quia Eccleſia Chriſti omnes homines ad ſe curat trahere, neminem à ſe repellit: ideo laxãtur retia, at ſub profundiſsimo diuinæ prædeſtinationis ſecreto iacitur & laxatur hoc rete. Cęterũ ſecunda Petri piſcatura electos fideles facile denotat: quia ad dexteram ſunt reponendi in die iudicij: qui etſi minores ſint numero, maiores ſunt dignitate, quam reprobi. Et quia quinquagenarius numerus eſt numerus iubilei. Leui. 25, & centenarius eſt numerus perfectionis, quia dedecẽ cadibus conſtat, vnde Matt. 12. centeſimus fructus eſt perfectiſsimus, & ternarius item diuinam denotat Trinitatem, ideo numerus hic. 153. piſcium facile innuit beatorum perfectiſsimam pacem, quam habebunt ex viſione beatifica diuinę Trinitatis. Vel centum gentium plenitudinem credentem in Chriſtum ſignificat & quinquaginta Iudęorum paucitatem. Capiuntur igitur per doctrinam Euangelicam, & trahuntur ad eccleſiæ fidem non ſolum ij, qui futuri ſunt beati, ſed etiam ij, qui futuri ſunt damnati, vt in collegio apoſtolico, etiam fuit Iudas proditor, perditionis filius. Et in cœleſtibus ſedibus non ſolum fuerunt angeli boni, à Deo creati, ſed etiam angeli, qui ſuo vitio ad tartareas ſunt deiecti ſedes. Porrò captura electorum piſcium. 153. eſt ca-

Euãgelicum rete seu doctrina ecclesiæ ex omni genere piscium capit.

ptura frugifera, & apostolis quam gratissima: ex qua vescuntur sancti apostoli, quia hanc maximè amant. Et ad huiusmodi conuiuiũ Christus inuitat, quia suo dono fructuosè isti pisces sunt capti. Aliorũ vero captura piscium frugi non est Deo neque apostolis, imo ipsis piscibus noxia: quia melius fuisset illis si viam veritatis non cognouissent, quã post agnitã ab ea recedere. 2. Pet. 2. *Non cognouerunt.* Adhuc detinebãtur oculi apostolorum ne Christum cognoscerent, cum alioqui non esset distans à nauigio: quippe solum ducentis cubitis distabant à Domino, hoc est. 300. pedibus vel. 60. passibus. Est enim cubitus sesquipes, & passus quinque continet pedes. Cæterum quia apostoli occupati erant in piscatione nõ aduertebant, quod Dominus erat, qui ex litore eis loquebatur. Quidquod intrauerat ad eos Hierosolymis, ianuis clausis, & non fuerat visus hactenus iuxta mare. Aut quia fortasis diculum erat, & non clara micabat luce dies, ideo nõ cognouerunt Dominũ: etsi non tradatur quod illis apparuerit in altera effigie, vt Luc. 24. Vel demum nõ cognouerunt statim Dominum maris litora tenentem, quia mortales cũ simus, non facile immortalium gloriam cognoscere possumus. *Dicit ergo eis.* Per pulmẽtarium intellige obsonium. Perinde est igitur ac si quæreret, Nũquid sunt vobis pisces ad comedendum? Pueros autem eos vocat, quia Hebræi operarios, ob robur ad exercendum opus pueros vocãt annotante Euthimio. Habetur Græcè, Pueri, numquid obsonij habetis, Laurẽtius vero edidit. Num quod est vobis pulmentarium? *Non valebant illud.* Apte quæret aliquis, si solum erãt. 153. pisces, quomodo non poterant discipuli Domini præmultitudine pisces illos trahere. Etenim cum essent septem discipuli potentiores erant quam pondus centum & quinquaginta trium piscium. Quocirca videtur quod propter magnitudinẽ piscium, scriptum sit à Ioanne, qui tũc aderat, non potuisse apostolos trahere rete præmultitudine piscium, id quod ipse Ioannes post modũ exposuit dicens, rete fuisse plenum magnis piscibus. Itaque etsi non erant multi numero, erant nihilominus multi valore. *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus Petro, Dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare.* Ioannes cognouit Dominum ante alios apostolos, at verò Petrus prius venit ad Dominum quam cæteri apostoli. Quod si quispiam roget me, Vnde promptior fuit Christi notitia Ioanni, quam Petro, & alijs? Vtique quia forsan obseruabat gestum illud quod iam Dominus fecerat Lucæ. 15. vbi dixit Petro, Duc in altum, &c. & confestim eduxerunt magnam vim piscium. Videns ergo Ioannes, idem modo factum, intellexit Christum esse. Vnde mirum valde est, cur Petro non subierit idem in mentem, cui acciderat quod Lucas denarrat. ¶ Aut forte Ioãnes, vocem Domini accuratius obseruans, cognouit Christum ex voce: aut denique conferens secum quod erat se Christus manifestaturus in Galileæ, vbi est mare Tyberiadis, quia est in prouincia Galileæ, vt supra traditur Ioan. 6. Et videns modo piscationẽ vberem illis accidisse ex verbo Domini, collegit Dominum esse. Perspicacior igitur Ioannes fuit, quam Petrus, & quam cæteri apostoli: at Petrus feruentioris animi erat erga Christum, & actuosior alijs, & ideo continuò credidit Ioãni, & se misit in mare, vt discamus verè dictũ esse à Paulo, diuisiones esse gratiarum, eundem autem spiritum: diuisiones esse ministrationũ, eundem autẽ Dominũ, &c. 1. Cor. 12. Ioanni ergo gratia hęc perspicacitatis concessa est, vnde mirabile edidit Euãgelium, Petro feruidus donatus est in Christum amor. Impatiens igitur Petrus amoris, continuo se succinxit tunica, & se misit in mare. Per tunicã hoc loco nõ est accipienda vestis intima, sed pallium, & Græcè vocatur ἐπενδύτης. Est autem ependytes Theophilacto linteum quoddam, quo Syri, & Phænices piscatores se amiciebant: siue nudi essent siue vestiti, hoc super imponebant, etsi Euthimio aliud arriserit Græcis est super indumentũ. Quod vero succinxit se idem est quod induit se, vel superinduit se. Nõ enim erat omnino nudus, sed respectiue vocatur nudus, quia exuerat palliũ, siue epẽdytẽ. Hãc enim loquẽdi formã etiã nos obseruamus, eũ vocantes nudũ, qui nõ est suo pallio tectus,

προσφάγιον. Obsonium quod pani additur.

Ioannes perspicacitate pollebat inter apostolos Petrus actuositate, & animi feruore.

ctus, quod Hispanè dicũt, *Estar en cuerpo.* ¶Verũ sciscitabitur quispiã, Quomodo se misit in mare? Nõ aliter enim videtur nisi natãdo, at verò natataturus non se induit, imo exuit: quomodo ergo Petrus nãtaturus se induit? Et quidem arbitror, Petrũ non natãdo se misisse in mare, sed quia pars illa maris Tyberiadis, erat terræ propinqua, distabat enim cubitis. 200 vel passibus. 60. ideo erat submissa, & humilis, ideoq; pedibus transuadari poterat. Forsan enim talos Petri aut medias tibias tãgebat solũ. Propterea succinxit palliũ Petrus quod induerat, ne sibi sua laxitate esset impedimẽto, ad facile trãsuadandũ. Ideoq; rectè interpres transtulit, Succinxit se: quippe indutũ pallium succinxit. *Tunica succinxit.* Euthimius credit hãc tunicã fuisse piscatorũ vestẽ, quę corpus vsq; ad genua cõtegebat manicis carentẽ, quã Petrus succinxit vt properaret ad Dñm. Et Græcè nõ est in ablatiuo, sed in accusatiuo επενδυτην διεζωσατο, tunicã succinxit. Neq; Græcus codex habet se, sed solũ tunicã succinxit, idest, tunicæ laxitatẽ cingulo cohibuit. *Alij autẽ discipuli nauigio venerunt (non enim lõge erãt à terra, sed quasi cubitis. 200) trahẽtes rete pisciũ.* Petrus feruẽtior cæteris nõ nauigio vectatur ad Christũ, sed pedibus suis venit: alij vero apostoli nauigio vehuntur ad Christũ. Omnes enim recipit Christus, siue eos, quos aliorũ doctrinæ, & cãdida exẽpla ducũt ad Christũ, siue eos, qui Dei pręsidio & proprio marte laborãtes ad Christum accedunt. Videtur autẽ iuxta hanc lectionẽ si nauigiũ legimus apostolos istos, nauigasse nõ per eã partẽ maris, per quã Petrus trãsuadando peruenit ad litus, vbi erat Christus: siquidẽ hæc pars quia humilis erat, & nõ alta nauigio cedere nõ potuisset, sed per partẽ maris profundiorẽ nauigantes tardius Petro venerũt ad Christũ. Aut si nõ nauigiũ sed nauiculã, aut nauigiolum legimus, per eãdẽ partẽ venire poterãt quia nauigiolo sufficit aliquãta altitudo maris, ad nauigandũ Hispanè dicitur, *barca.* ¶At Græcè hic habetur, πλοιαριον, quod nauiculam significat, at πλοιον est nauigium quam vocem primo scripsit Ioan. cũ refert Christũ dixisse, Mittite in dexterã nauigij partẽ: sic enim Græcè legitur. Vnde apostoli, vt videtur, relicto nauigio, acceperũt nauigiolũ, vt per humile mare, possent cito post Petrũ venire ad Christũ. Trahebant autẽ rete pisciũ, non humeris subaudi impositũ, sed trahebant pisces in rete cõclusos, in ipsa naui. Quãta autẽ mensura sit cubitus, paulo ante exposui. Petrus igitur præcesserat, apostolos, & eos præstolabatur existẽs in litore cũ Christo. Admonẽtur ex hoc loco summi pontifices instar Petri feruẽtissimos debere esse in Christi amore: & quantũ præcedunt alios pastores, & plebes sibi cõmissas pontificatus celsitudine tantũ præcedant & vitæ puritate, & doctrinæ integritate. *Vt ergo descẽderunt in terrã, viderunt prunas positas, & piscẽ super positum, & panẽ. Dixit eis Iesus, Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete, in terra, plenũ magnis piscibus, centũ quinquaginta tribus. Et cũ tanti essent, nõ est scissum rete. Dicit eis Iesus, Venite prandete. Et nemo discumbentiũ audebat interrogare, Tu quis es? scientes, quia Dominus est.* Antequã proferrent pisces apostoli quos ceperant, verbo Christi admoniti, simulatq; descẽderunt ex mari in terrã, viderunt prunas positas, & piscem superpositũ & panẽ. Quæ omnia miraculo sunt tribuẽda: siquidẽ nullus ibi prunas cõgesserat, neq; piscẽ ingesserat, neque panẽ apposuerat: sed diuina opera hæc sunt parata, vt ex miraculo certius adhuc apostoli stabilirentur in resurrectionis fidei. Qui ergo panes, & pisces multiplicauit in deserto trans mare hoc idẽ Tyberiadis Ioan. 6. nunc quoq; ipse prunas format, piscẽ & panẽ constituit. ¶Pisces ergo hic nõ ab apostolis fuit piscatus, sed à Domino solũ: alios verò pisces, expiscati sunt apostoli, qui simul cũ pisce Domini obsoniũ perfecerunt. Primus autẽ piscis à Domino piscatus, fuit apostolicus senatus. Nam Christus fuit primus piscator huius spiritualis piscationis, verbo suo, & vocatione sua trahens ad se apostolos, & discipulos. Dein verò ab hoc primario animarũ piscatore Christo constituti sunt apostoli piscatores, qui piscati sunt gentes, trahentes illas ad vnitatem fidei, quã ipsi profitebatur. Itaq; ex pisce quem piscatur Dominus solũ, & ex piscibus magnis, quos traxerunt apostoli vnum & perfectissimũ factum est prandiũ: quia ex Iudæis, &

gentibus vna constat ecclesia. Piscis autem Christi vnus refertur: qui verò ab apostolis sunt piscati multi esse leguntur: siquidem Dominus paucos sibi cooptauit apostolos, paucosque sibi sociauit discipulos. At verò apostoli ingentem multitudinem fideliũ Domino pararunt: siue autem vnus ille, siue multi isti pertinent ad conuiuium Christi. Petrus autem refertur traxisse rete refertũ magnis piscibus, & obtulisse Christo. Et supra dictum est apostolos traxisse rete hoc, & quod non poterant trahere præmultitudine. Vnde videtur quod non solus Petrus traxit rete ad terram: siquidem si omnes discipuli septem, non poterant trahere pisces præmultitudine, quomodo solus Petrus potuisset? At verò Petro tribuitur tractio huius retis ad terram, quia prima cura piscium horũ, ideſt, fidelium regendorũ penes Petrũ est: alij enim prælati Petro cooperãtur. Est enim sedes apostolica vna cui incumbit Ecclesiæ vniuersalis administratio. Papa enim de vniuersali ecclesia tenetur Christo exhibere rationẽ: cuius est hoc rete plenum piscibus non scissum, neq; euacuatum sed integrũ, & plenũ Christo iudici præsentare: cæterique prælati idem pro sua ratione. *Et cum tanti essent.* Erasmus nontanti, sed tot transtulit. Verumtamen, tantus quantitatẽ cõtinuam seu magnitudinẽ significat, tot vero quãtitatẽ discretã, seu multitudinẽ. Et hoc loco aptior videtur nostra lectio: siquidẽ hactenus Euangelista non tã multos esse dixerat, quãmagnos. Quippe nõ est multitudo notabilis piscium, quæ ex cẽtũ quinquaginta tribus constat: cęterũ magnitudo erat nõtabilis. Et ideo ait, Non est scissum rete cũ tãti essent, ideſt, tam magni essent. Etenim pisces magni viribus ex sua magnitudine pollentes, cum obuoluantur, & obluctentur in reti exitũ molientes, sua vi, & potẽtia sæpe rumpunt rete, quod piscículis non accidit. Quod verò supra Ioannes dixerat, Non poterant illud trahere præmultitudine, vsurpatur sæpe in vulgata loquendi forma multitudo pro magnitudine. Erant ergo multi robore, non numero: siquidẽ si piscículi essent quiuis apostolorum facile posset trahere rete continens centũ quinquaginta trespiscículos, ¶Postquã autẽ laboratũ est ab apostolis frustra per totã noctẽ, nihil capientes, adiuti tamen verbo Christi diluculante iam die, frugi ferã obtinuerunt piscationẽ, hac demũ peracta ad lętissimũ prandiũ vocantur cũ Christo. Quippe labores nostri, nisi Christi gratia opituletur inanes sunt ad vitã consequendã æternã: qua tamẽ opitulante sunt fructuosi. Quia tunc verum erit, quod hymnidicus ille dixit, Labores manuũ tuarum quia mãducabis, beatus es & benè tibi erit. Manducatio autẽ hæc erit cũ Christo in litore cœlestis patriæ. Præuenit igitur nos igne sui spiritus, & pisce suæ voluptatis, & pane suæ cõsolationis & nihilominus nostros exigit pisces dicens, Afferte de piscibus, quos prendidistis, volens nostro labore vti ad bonum nostrũ. Die porro resurrectionis Dominus se primo manifestans apostolis suis, dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur, at apostoli obtulerunt partẽ piscis assi, & fauũ mellis. Et ante hanc manifestationẽ eodẽ die, recũbẽs accepit panẽ, & dedit discipulis duobus. Et demũ ipso die Ascensionis cõuescens pręcepit eis. Verũ cũ fregit panem duobus euntibus in Emaunta discipulis nõ cõmemoratur tũc comedisse, sed neque modo, sed in die primo resurrectionis, quando apparuit vndecim, tũ comedit piscẽ assum, & mellis fauũ. ¶Porrò quia Dominus dabat operã tunc, suã resurrectionẽ firmiter plãtare in cordibus discipulorũ, ostẽdens esse verè suũ magistrũ, & Dominũ, quẽ prius mortalẽ sectabãtur, ideo etiã si nõ referatur, subintelligitur tamen. Piscis autẽ & panis, & mellis fauũ, est Domini eduliũ post resurrectionẽ, siquidẽ carnis detrimẽta iã sentire non poterat, sed ex fluctibus nostrę mortalitatis eductus, dulcedine sempiterna fruebatur. Aut solum hæc comedit, quia solũ hæc erãt tũc edulia apostolorũ, quę Christo fuerunt oblata. Comedit autẽ nõ ex necessitate, quia hoc mortalis est cõditionis, ad reparãdũ humidũ radicale, id quod dũ viuit, semper exhalat, instar titionis ardẽtis, qui semper fumat, vt Aristo. dixit: cibatio autem in viuente, hanc humidi radicalis perpetuam exhalationem restaurat. ¶Verum beata corpora aliter comedũt, ex potestate, scilicet, non ex necessitate: siquidem

beata

Beata corpora non indigent nutricatione ideoneque cibo.

beata corpora nihil humidi radicalis à se exhalant, neque exhalare possunt. Quocirca nutricatione non egent instar angelorum, quibus à Domino assimilantur Matthæ. 22. Per nutricationem enim exhalata ex viuentis corpore, restituuntur. Verum comedunt ex potestate, citra indigentiam tamen. Non ergo Christus cibum, quem comedebat, in carnem suam, vel sanguinem transferebat, vt noua caro illi accresceret vel nouus sanguis, sed cibus in aliam transiuit materiam, non in viuentem materiam Christi, cuius corpus beatum nutritionem habere non potest, neque quanuis aliam vel substantiæ, vel qualitatis, vel nouæ quantitatis mutationē. At dices, Quî ergo ex huiusmodi comestione firmabat infirmam apostolorum fidem, si

Vera comestio non necessario vocat cibi concoctionem.

non erat vera comestio? Imo erat vera comestio, siquidem vere veris dentibus sibi proprijs terebat cibum, & per veras suas fauces in yssophagū traijciebat. Ad veram autem comestionem, non est necessaria secuta nutricatio: Aliâs vomentes cibos continuo, à traiectione, non vere comederēt, id quod falsum esse in. 4. lib. Sent. ostendimus. *Et nemo.* litera Græca non, discūbentium, sed discentium, vel discipulorum legit. Discipuli igitur reuerentes Christi maiestatem, & potentiam, non audent quicquam ei loqui sed silentium putant apostoli Christi laudem. Sed neque Petrus, qui argutulus solebat esse, nunc quicquam loquitur: neque dicit modo quod Lucę. 5. Exi à me Domine, quia homo peccator sum &c. *Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter*, Græcè, *accipit, dat.* Non solum viatoribus distribuit dona gratiarum Christus, sed & beatis illa impartit. Hoc enim significat allegoricôs, quod iam in litore immortalis existens panem porrigat, & pisces discipulis suis. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus, discipulis suis cùm surrexisset à mortuis.* Cum supra dictum sit Dominum se manifestasse ex euangelica lectione, pluries discipulis suis ante hanc manifestationē, quid est quod modo tertio se manifestasse dicit Ioannes? Quandoquidē iam se manifestarat die primo resurrectionis quinquies, & post modum octauo die resurrectionis rursus se manifestauit, vn decim discipulis? Collisio tamen hæc bifariā diluitur: aut quod tertio manifestauit se discipulis suis simul congregatis: siquidē bis se illis manifestauit Hierosolymis, & modo tertio se illis manifestauit. ¶ Verū hæc dilutio, non est libera à contradictione, quia modo non erāt omnes discipuli Christi cōgregati. Quippe ex apostolorū cætu solū referuntur Petrus, Thomas, Ioannes, Iacobus filij, scilicet, Zebedęi. Nathanael enim, nō erat apostolus, & alij duo discipuli forsan erant ex numero. 70. & non ex collegio apostolico. Ideo aptior videtur dilutio, vt sit sensus, Hoc iā tertio, ideſt, hic fuit tertius dies manifestationū Iesu siquidē primo die se manifestauit pluries in prima sabbatorū. Dein se manifestauit in altero die, scilicet, in octauo die post resurrectionē. Et nūc modo est tertius dies vbi se se manifestat. Et forsan erat etiam dies hic dominicus vt priores vt sit sensus, hoc manifestationis tertio die à resurrectione manifestauit se Iesus. *Cum ergo prandissent dicit Simoni Petro Iesus, Simō Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiā Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterū, Simon Ioannis, diligis me? ait illi. Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterū, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei, Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce oues meas.*

ENARRATIO. II.
In caput vigesimumprimum.

¶ *Cum ergo prandissent.*

IAM iam Christus moriturus nouissimā cœnā cœnans cū apostolis suis venerabile instituit Eucharistię sacramē tum, & resurgens ex mortuis ipso die resurrectionis discipulis duobus panem frangens, à prandio vespertino, aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, præloquentes mortē, & resurrectionem suā. Nunc quoque à prandio matutino Petrum vniuersalem suæ ecclesiæ pastorem constituit. Et vt olim Dauid in medio fratrum suorum, est à Samuele fratribus suis, & toti populo Israelitico prælatus, ita modo Petrus à Domino in

medio aliorũ apoſtolorum conſtitutus, eſt illis prælatus, & vniuerſali gregi Chriſti. Et hanc ſingularem prælationem Petro commiſſam eſſe, & non alijs apoſtolis Chriſtus vt doceret, & modo ſolum loquitur, & non alijs apoſtolis: illi nanque ſoli ait, Paſce agnos meos, &c. Neque alijs modo dixit, Paſcite, ſed ſoli Petro paſtus iſte gregis Chriſti vniuerſalis committitur. Et ideo quia ſingulariſsimum hoc paſcendi gregem Chriſti vniuerſalem munus Petro iniungebat, ideò ſingulariſsimum erga ſe prælijs amorẽ ab eo exigit dicens, Simon Ioannis diligis me plus his? Et Petrus quidẽ ſemper ſingularem ſe exhibebat in affectu ad Chriſtum prælijs apoſtolis. Vnde Domino dicenti Matth. 16, ſe iturũ ad mortem in Hieroſolymam, &c. ipſe continuo dixit, abſit à te Domine. Et alijs tacentibus, ipſe pro eis loquitur Matt. 16. Vbi ſingularem de Chriſto confeſſus eſt confeſsionem: & ob ſingularem confeſsionem, ibidem promiſſa eſt illi clauium cœleſtis regni collatio. Et modo ob ſingularem eius erga Chriſtum amore, promiſſa collatio, traditur & opere exhibetur dũ Dominus ait, Paſce agnos meos, &c. Vnde in præſentia quoque, ipſe cognito Domino, nõ ſuſtinuit nauigij tarditatẽ, ſed ſeipſum miſit ad mare, vt citius frueretur Chriſti optato aſpectu. ¶ Ad hæc die reſurrectionis, Ioanne ſe retrahente, à conſpectu ſepulchro Petrus audacius ſe gerens, in Domini ſepulchrum intrat, & Matth. 14. Chriſto calcanti nudo veſtigio vndoſum & turbulentum mare Petrus ait, Domine ſi tu es iube me venire ad te. Et vt ſe ſingulariter Chriſtum diligere profiteretur Ioan. 13. inquit, Quare non poſſum te ſequi? animam meam pro te ponam, & Marc. 14. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint ego non ſcandalizabor. Et ipſe ſolus exemit gladium & percuſſit Malchum ſeruum pontificis. Quæ vniuerſa ſingularia erant præſtantiſsimi in Chriſtum amoris ſymbola. Quid quod à negatione Chriſti continuo fleuit amare: nempe amariſsimè dolens quod ſibi dilectiſsimum magiſtrũ, tam enormi offenſa offendiſſet? Purgata igitur per amariſsimos fletus negationis trinæ labe, in ſuum priorem reſtaurator Chriſti amorem. Voluit autem Chriſtus, vt trina amoris confeſsione, trinam reſarciret negationis iacturam, vt qui verbo trino Chriſtum negarat, trino quoque eundem Chriſtum verbo confiteretur. *Simon Ioannis.* In quibuſdam Græcis codicibus, non eſt Ioanna, ſed Iona, vt legit Cyrillus. Diligis me plus his, hoc eſt plus, quam hi vt amphibologia orationis euitetur. Eſt enim ambigua oratio diligis me plus his, ſcilicet, diligis me magis, quam hos, aut magis quam iſti me diligunt, & hic eſt ſenſus verborum? Quia autem ſingularem prælaturam illi erat iniuncturus, ſingularem amorem ſui exigit Chriſtus. Decentiſsimum enim & opportuniſsimum eſt, vt qui eſt ſingularis paſtor gregis Chriſti ſingulariter præ cęteris omnibus diligat Chriſtum. Neque petit, Credis in me, pluſquam hi, aut, confidis in me pluſquam hi, aut, ſapis pluſquã hi, aut, potẽtior es, pluſquam hi, ſed diligis plus his? vt videant Lutherani non eſſe fidem potiſsimam omnium virtutum, vt ipſi ſomniant. Nanque ſi eſſet hanc haud dubium nunc à Petro exegiſſet Chriſtus: quia vt conſtitueretur optimus gregis Chriſtiani paſtor, optima virtus erat ab eo exigenda. Si ergo non exegit, Credis in me, aut, confidis in me plus his, ſed, diligis me plus his, charitas Chriſti eſt virtutum regina & forma, non fides, vt Paulus proclamat. 1. Cor. 13. Nunc manent tria hæc, fides, ſpes, charitas, ſed maior harum charitas. Enimuero, qui ſyncerè amat Chriſtum ſyncerè etiam credit, & ſyncere ſperat Chriſtum, non tamen diuerſo? Non ergo à ſuo Petro Chriſtus exigit opum ſplendorem, aut humanæ potentiæ vigorem, ſeu ſanguinis clariſsima ſtemmata, ſed quod eſt omnium præſtantiſsimum ſui dilectionem. Non enim regem conſtituit Chriſtus Petrum, aut ſecularem Imperatorem, ſed paſtorem myſticum ſui gregis: ideo neque alia petit, niſi dilectionem. Hæc enim ſatis eſt paſtoribus iſtis in robur ſuum, in ſapientiam, in diuitias mentis, vt gregem Chriſti dirigere valeant. Fuerunt autem hæretici, qui hinc argutati ſunt peccatores non eſſe paſtores, neque ſacerdores, neque alia eccleſiæ moderamina

Symbola Petri amoris ſingularis in Chriſtum.

mina posse obtinere fulcientes hæresim suam in hoc verbo Christi.

¶At verò, Christus perfectum creare volens pastorem Petrum amorẽ sui ter petiuit, & ad confessionem amoris, collata est dignitas pastoris. Vnde qui volent perfecti esse pastores necessario ex amore Christi recturi sunt Christi oues. Nam qui ita regunt oues, ad fastum, ad ambitum vt ditentur, vt primogenituras creent, & non vt pascant Christi gregem pastos eos dicere poteris, potius quam pastores: isti nanque mercenarij sunt, & non veri pastores. Cæterum alio qui sunt pastores etsi imperfecti, quippe qui cum administrant gregibus necessaria, etsi non ex amore Christi, sed ex studio proprij lucri, & fastus illecti gloria nihilominus si administrant pastoralia, munera faciunt sane pastorales fructus suos. Nos cap. 10. supra longum de re hac tractatũ texuimus, ideò nihil opus facto hoc in loco immorari diutius.

¶Obserua interim Dominum non dixisse diligis oues meas plus his, sed diligis me plus his, siquidem etsi pastor debet diligere oues, at scopus pastoralis officij non est dilectio ouium, sed dilectio Christi, qui est pastorum princeps.

¶Rursus obserua, Christum non dixisse, Pasce has, vel illas oues, sed absolute, pasce oues meas. Enimuero constituitur Petrus non particularis huius vel illius prouinciæ sed totius orbis pastor. Et quia apostoli erant agni, & oues Christi Petri prelatio etiam erat supra alios apostolos. Est sanè verum alijs apostolis vniuersalem Christianę ecclesiæ esse authoritatem Matth. 18. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlis, &c. Et Matth. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti: cæterum hæc non fuit in eis ordinaria potestas, vt in Petro; ideò solũ apostolica vis in sede Petri mãsit, non in sedibus aliorum apostolorũ. Erat sanè potestas hæc spectans apostolatum, apostoli enim fuerunt constituti legati vniuersales in vniuersum orbem, nihilominus apostolica hæc potestas erat solum ordinaria in Petro; vnde solum Petri successores dicuntur apostolici, & Romana sola sedes est apostolica, cæteri autem episcopi, non dicuntur apostolici. Neque sedes Constantinopolitana, aut Antiochena, aut Hierosolymitana, aut quæuis alia sunt vel fuerunt apostolicæ sedes: siquidem apostolica aliorum apostolorum potestas extincta est cum ipsis apostolis, sola Petri potestas permansit, vt lucerna in ecclesia Dei. Et quanuis in republica Christiana multos numerare poteris reges, pluresque habuit olim Imperatores Constantinopolitanum, & Germanicum, at vero non potest habere simul duos aut plures Papas: siquidem, sicut Christus non est diuisus, sed solum est vnus Christus. 1. Corin. 1. ita neque diuisus est Petrus, sed vnus tantum est Petrus, Christi vicarius: vni soli dixit, Pasce agnos meos, pasce oues meas, &c? non duobus, aut pluribus. Et ecclesia Dei biceps, aut triceps nequit esse.

¶At hinc calumniantur hæretici, nos facere bicipitem ecclesiam Dei, siquidem Christus est caput, & Papa est caput. Cæterum quis inficiabitur Christum esse caput, Paulo clamante ipsum dedit caput super omnem ecclesiam? Sed quid, quando Dominus constituit modo Petrum vniuersalem totius orbis pastorem erant ne duo capita in terris, Christus & Petrus, quis ita desipiet? Si ergo tunc non erant duo capita Christo agente in terris, cur modo versante cœlestia, erunt duo capita Christus, & Papa? Vbi enim est vnum propter alterum ex regula topica, ibi est tantum vnum. Papa igitur est sub Christo, & à Christo constitutus super omnem ecclesiam: & collatus Christo, non est caput sed membrum, non est pastor, sed ouis, non est princeps, sed subditus: at verò collatus ecclesiæ caput est à Christo constitutum. Si Papa proprias oues haberet, alias ab ouibus Christi, iam duæ ecclesiæ essent, duoque capita: at oues Papæ non sunt Papæ sed Christi: ecclesia item non est Papæ, sed Christi. Vt ergo vnica est spõsa, & vnicus est sponsus Christus, vnicũ est caput. At vero ab hoc capite vnico deriuata est capitis dignitas œcumenica in Petrũ, in totã ecclesiam. Ab hoc vnico sponso, deriuata est cura sponsalis in Petrum totius ecclesiæ, quæ est sponsa Christi: ideoq; Petri successor, & gaudet gloria capitis

ecclesiæ, & sponsi vniuersalis, quia illi commissa est administratio generalis huius sponsæ mysticæ Christi. Vtrum que igitur participat ab ipso capite & sponso Christo, & capitis honorem, & sponsi dignitatem. Quia vicem agit in terris, proprij capitis, proprijque sponsi regnantis in cœlis. Sicut igitur Dominus in cruce pendens commendauit matrem suam charissimũ sibi pignus, Ioanni dilectissimo discipulo, ita, & scansurus cœlestia habitacula Petro nũc commendat ecclesiam suam. Abiturus nanque in cœlestes sedes, indignum duxit, sponsam sibi charissimam, quam mundauerat sanguine suo orbatam relinquere pastore, & custode. Fidelissimum igitur censuit Petrũ apostolũ cui tãtũ onus crederetur, ideo ait, Pasce agnos meos, Forsan ter dixit, pasce, vt pascendos insinuaret & incipientes & proficientes, & perfectos singuli pro sua ratione, & incipiẽtes subintellexit per agnos, per reliqua pascenda, proficientes, & perfectos.

Lutheri vesania in papalẽ sublimitatẽ.

¶ Infelix Lutherus, qui hostis fuit huius papalis dignitatis, quam Christus in custodiam, in pastum sui charissimi gregis constituit. Ille gloriabatur esse se indignum Christi euangelistam, at rectius doleret se esse pessimum euangelistarũ corruptorem. Sanè si euangelium Christi amaret, & crederet, non vtique infestus, sed summæ obseruationis illi esset papatus. Sed age, nunquid hæc sunt verba euangelistæ Christi, quæ ipse sibi iussit mortuo pro epitaphio exarare sepulchri. Pestis eram viuens moriens tua mors ero Papa? & in lib. de abroganda Missa Papam vocat Antichristum, & episcopos eius apostolos. Rectius aiebat lib. contra Anabaptist. omnia à papatu, ad nos defluxisse bona. Et quando humiliter se subdebat Leoni decimo dicens, Vocem tuam, Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam, vt habetur in præfatione ad Leonem decimum, & alibi etiam Papam recte nuncupauit nucleum totius ecclesiæ. Porrò hæc veracissima verba mendacissimus homo, non ex animo, sed fictis vomebat vocibus. Quod enim ex animo illi erat carmine prædicto protulit, Pestis eram viuens, &c. Sed re vera, qui hostis est papalis celsitudinis, hostis est Christi, qui illam constituit iam iam ascensurus in cœlum. Nanque Deus qui vniuersa dispensat per medias causas, custodiam, regimen, & administrationem vniuersalis ecclesiæ suæ, per Petrum, & successores Petri administrare voluit. Et quia vnus homo vniuersali administrationi totius orbis impar erat, alios voluit esse particularium ecclesiarum pastores qui essent summi pastoris papæ cooperarij, & coadiutores. Sed de istis alibi operosius locuti sumus. Et quidem papalis functio ab ipso Christo, non ab homine originem traxit. Nam Christus ait Petro, Pasce agnos meos, &c. A Papa verò episcopi deriuantur, ab istis sacerdotes, à sacerdotibus sacramenta conficiuntur & administrantur. Cum ergo Lutherana ecclesia Papam non habeat, quia sedem detestatur apostolicam cũ suo impudentissimo, & mordacissimo magistro, docente lib. de refor. ad Carol. 5. ex baptismo omnes esse Papas, Episcopos, & sacerdotes & nihil differre laicum & sacerdotẽ, consequens est eam non habere episcopos, neque sacerdotes: vnde ait quod nec vera habeat sacramenta, quæ sacerdotalẽ requirunt functionem. Etenim quos in sacerdotes constituebat Lutherus, non erant magis sacerdotes, quã meri laici: igitur non conficiunt Eucharistiam. Quomodo enim conficiunt qui non sunt creati sacerdotes ab episcopo? Lutherana igitur ecclesia non habens sacerdotes ab episcopis ordinatos nõ consecrat corpus & sanguinem Christi, & idololatræ Lutherani sunt, si Eucharistiam falsam adorant. Neque apud eos est peccatorum remissio, ob eãdem causam. Quod si neque Papa gaudent, neque episcopis, neque sacerdotibus nullus est ordo ecclesiasticus apud Lutheranam ecclesiam. Quod si nullo constat ordine, ecclesia illa similis est inferno, vbi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quocirca Lutherani non in vera agunt ecclesia: sed in synagoga Sathanæ, & cum Ægyptijs in tenebris morantur, & in vmbra mortis, & in via infernali. *Diligis me plus his.* Et si dilectio non significet amorem impetuosum: at verò ex subiuncto Christi verbo plus his, significat dominus amorem affectuosum. Si enim solum dixisset,

Lutherana ecclesia non est Hierarchica, sed inordinata ecclesia.

Lutherana ecclesia est synagoga Satanæ.

Hostis sedis apostolicę hostis est Christi.

set, Num Petre diligis me? amorem vtcũ que exquirebat à Petro: at dicens, plus his, amoris vehemẽtiam se exigere à Petro non obscure indicauit. Et quidem Petrus intelligens verba Domini, non dixit, Etiam Domine tu scis, quia diligo te, sed ait, quod amo te est enim amare vehementer diligere, vt diligere & tam affectuosè, sed amare vtcunque. Et in diuinis literis vtrumque persæpe confunditur cum altero. Petrus autem non respondet ad Christi interrogationem ex integro & adæquate quia non est ausus se præferre cæteris apostolis in amando Christo. Erat enim Petrus non solum Christi amore sed etiam erat humilitate conspicuus: vnde dixit Lucæ. 5. Exi à me domine, quia homo peccator sum. Quid quod latebant eum aliorum apostolorum pectora? Dominus autem non interrogat, vt discat, sed vt confessione Petri constet affectuose, ipsum amare Dominum. Litera Græca etiam distinguit inter verbum significans dilectionem, & amorem, vt Latina translatio distinxit: sunt enim Græcis ἀγαπῶ & φιλῶ quod Latinis diligo est, & amo. At vero quia semper Dominus intelligebat amorem vehementem, & singularem, ideo in tertia interrogatione non quærit. Diligis me plus his, sed, amas me plus his: vt ex hac tertia interrogatione aliq; intelligantur fuisse etiam de amorẽ singulariss imo, vt singulariss ima ecclesiæ dignitas, quæ est papalis dignitas, singulariss imo confitenti Christi amorem conferretur. Non ergo Christus ascensurus in cælum, curauit instituere secularem monarchiam, quam ipsa ratio naturalis constituere docet, sed curauit spiritualem monarcham suæ ecclesiæ præficere: si quidẽ cum monarchica gubernatio sit optima, voluit suum gregem hac monarchica administratione gerendum.

¶ *Pasce agnos.* Litera Græca non habet bis pasce agnos, sed pasce oues Christi. Grex ex agnis, & ouibus constat, non ex vrsis vel lupis, leonibus, tauris, hircis, aut tigribus, vel vulpibus. Est enim ouis animal simplex frugiferum, lanas enim suas vestibus nostris donat, vt lac in nostrum cibum, animal item mansuetum, & patens iniurijs luporum, quia inerme est: agnus item matri suæ sapit mores ideoque eget maxime cane custode & homine pastore. Oues item Christi, simplices sunt affectu, etsi sapientes intellectu: sunt enim paruuli, non sensu mentis, sed malitia fraudis. Sunt frugiferi, quippe abundant bonis operibus, & ad Dei cultum, & ad fratrum vtilitatẽ. Sunt mites & humiles corde, ideo patẽt sæpe iniurijs impiorum, atque calũnijs, quo circa datus est illis custos & pastor à Christo. Namq; sedes apostolica Christi gregem defendit a væsanijs hæreticorum, hos sua apostolica censura hæreticos eliminans cum apostatis, & schismaticis. Non ergo Christus fraudulentas vulpes, aut truces leones, aut immanes vrsos, aut cruentos lupos, aut feroces tigres sed humiles, modestos, beneficos, simplices, non prouocãtes alios ad iram, sed potius illatam donantes, &c. hos amat Christus in oues. Quanuis autem omnes fideles videantur Christi oues, characterem Christi ex baptismo gestãtes, cæterum ij propriè sunt oues, qui iuxta Christi signaculum opera ouium, & non luporum aut aliorum cruentorũ & rapacium animalium præstãt sapientes eum, qui tanquam ouis ad occisionẽ ductus est Esa. 53. *Pasce agnos.* Græca litera variat hoc loco verba pastum significantia. Primo enim, & secundo posuit Euangelista βόσκε de in ποίμνια at interpres vtrumque eodem reddidit modo Pasce. Est autem secundum verbum significans regere oues pastoraliter: vnde Homerus regem Agamẽnonem ποίμενα vocat, idest, rectorem populorum. Dominus autem hoc verbo est vsus, vt ex pastu materiali ouium qualis sit debitus pastus hominum palam pastoribus fieret. Est enim domino familiare, per sensibilia ineffabilem nos docere theologiã, si quidem non angelos, sed homines sensibiles docebat. At pastorem œcumenicum constituens, perfectum pastorem constituit gregi totius orbis regendo. Ideoque pastor hic ex domini autoritate pascere perfectè potest, & debet Pastor enim materialis si solum posset deducere gregem ad bona pascua, non tamen posset adaquare gregem, non esset perfectus pastor: aut si non posset defendere gregem suum à luporum, & latronum iniurijs, non esset perfectus pastor:

Papa est custos & pastor dominici gregis.

Grex Christi ex ouibus & agnis cõstat.

Papatus habet perfectã pascendi omnes fideles potestatem à Christo.

aut si non posset defendere gregẽ suum à luporum, & latronum iniurijs, non esset perfectus pastor: aut si nesciret morbiculosas curare oues, non esset perfectus pastor, quales sunt plerunque materiales pastores. At hic pastor à Domino constitutus, quia à Deo constituitur, & opera Dei sunt perfecta, perfectissimus est pastor. Poterit igitur vniuersa, quæ sunt perfecti pastoris, absoluere, scilicet, perfectè alere gregem suum, defendere ab hostilibus iniurijs, morbosque gregis curare.

¶ Vnde fit ad Papam pertinere vltimam resolutionem de dubijs concernentibus fidem, & necessarios fidelium mores, veramque de vtrisque doctrinam tradere, & non solum hoc, sed etiam posse condere leges obligantes Christianam ecclesiam, ad peccatum mortale. Enimuero, conditio legum, in omni republica tam seculari, quam ecclesiastica necessaria est ad regimen hominum. At verò quia papalis potestas spiritualis est, & à Deo immediate constituta, ideo poterit condere leges spiritualiter obligantes fideles ad obedientiam illarum. Hęc autem obligatio spiritualis est, obligare violatores ad culpam: si enim hac fuisset orbatus potestate obligandi Papa, vtique non posset pascere perfectè gregem Christi. Intercurrunt enim quædam, quæ sunt valde expedientia obseruatu, vt est quadragesimale ieiunium, cultus festorum, ad honorem Dei & sanctorum & hoc genus alia: quæ sane obseruare maximè expedit fidelibus. Verum fideles ea negligerent, nisi violantes obligarentur ex violatione ad crimen: hęc nanque obligatio eos reddit vigilantes in obseruantia. Cæterum secularis potestas, quia non est spiritualis potestas, etsi aliquando obligare potest, violantes suas leges ad crimen, istud sanè non est ex ratione potestatis solum, sed ex necessitate materiæ quam ex sua lege obseruandam præcipit. Porro Papa per se obligare potest ex sua lege ad crimen: at vero Rex per accidens, ex materię summa necessitate: quam sua lege prohibet, resultat obligatio ad peccatum. Postquam enim Rex declarat ex lege sua regni administrationi esse necessarium: puta non deferre arma ad regna extranea, neque equos, &c. prodit obligatio ad non deferenda arma. Papa vero etiam si ad legem obligantem ad crimen constituendam, materiam idoneam spectet, non tamen est necesse, illam esse materiam necessariam, sufficit esse expedientem saluti spirituali fidelium. Nam inutilia non pertinent ad pastum: quæ verò ad pastum non pertinent, non cadunt sub papali potestate, quæ tota incumbit in pastum spiritualem fidelium, ideoq; Christus sub verbo pascendi contulit Petro potestatem papalem. Quofit, quæ non spectant pastum fidelium, aut quæ sunt contra pastum legitimum fidelium, nõ cadere sub potestate supremi pastoris Papæ. *Pasce agnos.* Non ait, dominare agnis meis, vel ouibus meis. Papa enim nõ habet dominium temporale in omni orbe, quia eius potestas spiritualis est pascendi spiritualiter, non dominandi temporaliter. Ideo est pastor Regum, & Imperatorum & orbis, sed non Dominus. Solus Christus est pastor & dominus, vnde Petrus, Non dominantes ait, in cleris, sed forma gregis facti. Quasi dicat, Sic vos gerite in gregem Christi non tanquam Domini, temporales, sed tanquã pastores spirituales. 1. Petr. 5. Quocirca Papa poterit corrigere imperiales aut regales leges si iniustæ sunt & noxię saluti ouium Christi: quippe pastor est omnium. Si vero hæc causa cessat, vltra se ingerere in Imperiali vel Regali gubernatione non potest. Hinc processit Papam deposuisse quondam Reges & Imperatores à sua celsitudine, propter incorrigibilẽ eorum pertinaciam in hæresi, vnde fidelibus detrimentum fidei imminebat. Ex quibus tibi exploratum erit, quam desipuerit Marsilius Patauinus dicens, Papam non habere potestatem coercitiuam in fideles, sed esse subditũ seculari Imperatori, itemque episcopos. Cęterum cum potestas prędicta pascendi sit suprema & Imperator est ouis Papę necessario est Papę subiectus.

ENAR-

ENARRATIO III.
In caput vigesimumprimum.

¶ *Amen, amen dico tibi cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.*

QVIA dudum Petrus fuerat protestatus, se amare Christum præ cęteris apostolis, modo Christus confirmans protestationis huius veritatem, subindicat Petrum crucifigendum pro Christo, dicens, sub ęnigmate sermonis Petrum ea morte esse afficiendum, pro fide Christi, & gregis sibi concrediti amore, qua & ipse Christus princeps pastorum fuit pro omnibus suis ouibus affectus, scilicet, morte crucis.

¶ Vnde ait, Cum esses iunior, potentia corporali pollebas, vt te posses cingere, pro tuo arbitrio, & ambulare, quo tulisset animus tuus: at vero cũ accesserit senecta tunc sanè deficientibus viribus corporis, crescent animi vires, alterque id temporis te cinget, quando te ligabunt, vt crucifigaris, & extendes manus tuas in cruce pro me, vt ego feci pro te.

¶ Alius cinget te ipsum, scilicet, Neronis carnifices, te ligabunt, & ducent ad crucis trucem mortem, quod tu in vis.

¶ Quod si dixeris, Quid, ergo Petrus in voluntaris crucifixus est, cum tamen legamus ibant apostoli gaudentes à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati? Vtique Petri mors obseruata naturali inclinatione inuoluntaria erat. Natura enim omnibus rebus indita est propensio maxima ad vitam tuendam, quo ad licuerit.

¶ Porrò secundum deliberationem animi mors Petri erat voluntaria, Vt etiam mors Christi, attenta natiua inclinatione, non erat voluntaria: voluntas enim suapte natura refugit mortem sui suppositi: at vero secundum deliberationem promptissima fuit mors Christi ipso docente, Baptismo habeo baptizari quomodo coarctor donec perficiatur Lucæ. 12. *Ducet te.* Hoc est, ducet te tyrannis Neronis, vt patiaris mortem, id quod tua natura summopere refugit, Græcè non, vbi, sed quo legitur, quo volebas, non vbi volebas.

¶ Ex istis videtur Petrum id temporis iuuenem fuisse, nam dominus ait, Cum autem senueris, igitur nõdum senuerat, iuuenis igitur erat. Et hæc verba referenda sunt ad tempus illud, quando à Domino fuerunt dicta non ad tempus quãdo fuerunt à Ioanne scripta. Quippe hæc Ioannes scripsit mortuo Domiciano. Petrus autem passus est sub Nerone. Euangelium autem scripsisse quidam referunt relegatum exilio in Pathmo insula. Verum Simeon metaphrastes in vita S. Ioannis, Hiero. lib. de scriptoribus eccle. Isidorus archiepiscopus Hispalensis in libro de patribus noui testamẽti, & Beda in homilia quadam super euãgelio, Dixit Iesus Petro, Sequere me, suum Euangelium credunt Ioannẽ scripsisse Ephesi. postquam solutus fuit ab exilio, à Nerua Imperatore Romano, qui succedens Domitiano, qui damnauerat Ioannem exilio in Pathmon alteram Sporadum insulam, hoc exilium, cum cæteris actis à Domitiani rescidit. Quale quale hoc fuerit hoc certum est Ioannem scripsisse euangelium mortuo iam Petro. Enim vero Petrum cruci suffixit Nero, vt Eusebius commemorat lib. 2. Eccles. histo. cap. 24. Et Ioannes scripsit euangelium Ephesi. multo post sub Nerua siue sub Traiano, qui post Neruam Romani imperij, moderatus est administrationem. *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hæc dixisset dicit ei, Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna supra pectus eius, & dixit, Domine quis est, qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Iesu, Domine hic autem quid? Dicit ei Iesus, Sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur: sed sic volo manere eum donec veniam, quid ad te?* Quia Dominus obscuro sermone prædixerat Petro genus mortis, quod erat subiturus, ideo Ioannes explicans verba Domini ait, significans qua morte, idest, quo genere mortis, scilicet, crucis morte esset Deũ glorificaturus. Nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Ioannes scripsit euãgelium suum Ephesi solutus iã ab exilio.

¶ Erat

Romanis erat mos cruci affigere ob enormia delicta.

¶Erat autem Romanis in vsu hoc genus mortis maximè sceleratis iusligere: ideo Nero Petrum, quasi maximè impium hoc genere mortis affecit, cum alioqui non ob scelus, sed ob fidei veritatẽ hoc Petrus sustinuit crucis supplicium. Refert autem Sozomenus lib. 1. Eccles. histo. cap. 9. Constantinum Imperatorem crucis supplicium constituisse nemini deinceps inferendum, ob reuerentiam dominicæ crucis. *Hoc autem.* Iubet Petro Dominus, vt eum sequatur, ideſt, vt crucem, quam est laturus, eo animo ferat, quo Christus suam tulit. Christus enim suam tulit ob salutem gregis sui, nã ipse est pastor bonus: & ideo posuit animam suam pro ouibus suis. Tu igitur Petre mea sequere vestigia, quippe pastorem constituí te vniuersalẽ totius orbis, ideo exponas oportet animam tuam morti, ob salutem gregis tibi à me commissi. Sequelam sui corporalem videbatur iubebere Dominus modo Petro: at subsequela hac mysticam subdenotabat sequelá ex morte crucis. Sequebatur igitur nunc Petrus Dominũ gressibus corporis, & Ioannes sequebatur Petrũ, Petro inscio, conuersus retro Petrus vidit Ioannẽ se sequentẽ, & quia singularis inter eos erat amicitia, voluit Petrus sui amici statum discere à Christo futurũ. Nam sicut nostra nos curamus, ita studio sunt quæ sunt amicorum. Iam ergo didicerat à Christo se crucifigendũ, voluit etiam discere de successu Ioannis. Vocat autem se suo more Ioannes, discipulum dilectum. Et duo exponit amoris Christi ad eum non vulgaria symbola, & quod supra pectus Domini se ingessit (vt supra exposuimus) & quod ipse solus ausus fuit, fretus Christi ad eũ insigni beneuolentia quærere de tradito re: cum alioqui Petrus apostolicus vertex, non fuerit ausus Dominum de re hac interrogare. Verum nunc Ioannes contra nihil audet interrogare Christũ: sed Petrus ex verbis Christi audacior factus, ex quibus eum præfecerat cæteris apostolis, & vniuersi orbis eidem pastoralem iniunxerat curam, interrogat de statu condiscipuli sibi charissimi dicens, Domine hic autem quid? Hoc est quid Ioanni accidet mortis? Obseruabis Petrum maximè omnium fuisse à Christo dilectum. Enimuero si Petrus plus diligebat Christum, quam cæteri apostoli, necessum est quod diligeretur à Christo præcęteris ex lib. Sap. Ego diligentes me diligo: igitur maximè diligentes, maximè diligo. Petrus autẽ, vt ex hoc euãgelio liquet, diligebat Christũ plusquã cæteri: igitur dilectus fuit, plusquã omnes alij apostoli. Et quia excellebat dilectione, excelluit quoque papali potestate, ideſt præfectura spirituali super omnem terram. Quod verò Ioannes se vocat dilectum, ideo est, quod sensibiliora dilectionis in eum proferebat Christus signa, quam in Petrum, videlicet, recubitus super pectus & alia hoc genus, vt parentes minoribus signa dilectionis suauiora ostendunt, cum alioqui primogenitum plus ament. Verũ quod Petro collata fuerit vniuersalis animarum cura, est quidem maius dilectionis officium, at intelligibile, non sensibile signum. *Sic eum Volo.* Plurimę sunt ex hoc loco subortæ concertationes. Quibusdam est errata lectio hæc, quia Græcanica non habet sic, sed si, & non volo, sed velim. Et vetusta exemplaria Latina, quæ Erasmus testatur se vidisse, legunt si, & non sic. Et Chrysost. Theoph. Cyrillus, &c. legunt si. Quanuis in Cyrillo Latino, vtrunque legitur, & sic, & si. In textũ enim Ioannis est sic, in commen. Cyrilli, primo sic, dein si. Simeon Metaphrastes legit si, in vita. S. Ioannis, in hæc verba, Vix tandem illius vocis recordati, si eum volo manere donec veniam, quid ad te? ad mentem alacriorem redeunt. Et ille quidem Enoc, & Eliæ Thesbitę coniungitur. Cæterum D. Augu. sic, legit, & Ambrosius in Psal. 45. & aliâs, & Gregorius Archiepiscopus Turonẽsis. Cuius verba sunt. De hoc enim & post resurrectionem dixit, Sic volo manere donec veniam: idemque Beda loco supra relato suffragatur huic lectioni: legit enim sicut Augusti. & commemorati. Qui tuentur lectionem Græcã sibi gratulantur ex verbo illo Euangelistæ. Et non dixit Iesus non moritur: si autem dixisset Dominus, sic volo manere, iam dixisset, quod non moritur. Ad hæc Dominus ex verbis istis voluit supprimere curiosam quæstionem Petri de venturo successu Ioannis: ideo ait, Quid

Ioannes cernens Petrum sublimatũ in papali dignitate non audet Christũ interrogare sed Petrus fit Ioãnis os.

Cõtrouersiæ de lectione.

In vita. S. Ioãnis.

ad te?

ad te? Si vero dixisset, Sic eum volo manere, non correxisset Petri curiosam indaginem, imo illam fouisset. Et, non solum de lectione exortæ sunt litigationes, sed etiam de morte Ioannis nacta occasione ex hac latina lectione extant variæ sententiæ. Enim verò Ambrosius in sermone de sanctis martyribus, putat Ioannem quidem sepultum fuisse, at ibi non substitisse, sed surrexisse à mortuis. Vnde verba eius sunt, Hinc enim clausis tumuli foribus, gratia resurrectionis sublatus est: vt constaret sepultura, & non inueniretur sepultus. Denique cum sacerdotes adorandi causa corpus inquirerent, reserato aditu tumulus non potuit reddere, quem susceperit.

Varia placita de Ioannis morte.

¶ At verò Simeon paraphrastes nõ mortuum fuisse credit, sed persistere hucusque cum Enoc, & Elia, & Isidorus loco supra prænotato. Vnde accidit, inquit vt quidam eum viuere asserant, nec mortuum in sepulchro, sed dormientem iacere contendant. Maximè pro eo, quod illic terra sensim, ab imo, ad superficiẽ sepulchri scaturiens conscendat, & quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora puluis ebuliat. Hæc ille. Porrò Beda locum eundem differens Ioannem quidem mortem obijsse, non dubitat, quippe ex psalmo docemur, Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem? Verum non est mortuus, vt alij apostoli, qui extremo martyrio sunt mortui. Ioãnes non hanc martyrij mortem est perpessus, sed lõgæuam vitam ducens post euersionem Hierosolymorum Palæstinam linquens in Asiam se cõtulit. Quia ergo mortuus est non sentiens dolorem mortis, ideo Dominus ait, Sic eum volo manere, ideſt citra mortis dolorem, volo eum mortem subire. Vnde ait Beda, tam liber fuit à dolore mortis, quam à concupiscentia carnis inuenitur alienus. Atq; ita completa est veridica Saluatoris sententia, quia sic volo manere eum donec ipse veniã ad leuandum eum in cælum. Et Papias existimat Ephesi composuisse euangelium annos centum natum, & mortuum fuisse annos natum viginti supra centum, cui vulgo historiographi non consentiunt. At numerum vitæ Ioãnis mittamus, & ad priora recurrat oratio. Alij denique exposuerũt locum prę tactum, Sic ego volo eum manere, ideſt, quod in Palæstina subsistat, donec ego veniam per Titum, & Vespasianum vltionem sumam de Iudæis. Quia ferunt isti, tunc Ioannem destituta Palæstina commeasse in Asiam. In hanc sentẽtiam etiam inuenio OEcumenium in. 5. cap. Iacobi. Exponit enim hunc locum, Sic volo eum manere, hoc est, volo eum viuere vsque ad excidium Hierusalem, per Romanum exercitum. Etenim hinc porogatum est tempus huius vitæ, vsq; ad captiuitatem Hierosolymorum, & paulo vltra illud tempus. Quodque domini aduentus hic, & in propheta euersionem Hierusalem præsignet, testatur Ioannes Chrysostomus in quadam sua enarratione hoc idem dictum, Donec veniam explicans. Hoc, inquit, significare vult omnimodam euersionem Hierusalem. Hæc Oecume. Vnde Oecumenius etiam legit. Sic eum volo manere. Porro Augustinus legens iuxta vulgatam editionem, allegorizauit locum hunc referens illud ad vitam contemplatiuam, per Ioannem adumbratam, & actiuam per Petrum. Et per verbum, manere, intellexit expectare, vt sit sensus, vitã contemplatiuam, hoc seculo non perfici, sed expectare patriam contemplationem, vbi perficietur: quippe videmus nunc per speculum in ænigmate, &c. At verò actiua dum hic viuitur perfici potest. Quippe in patria non est necessaria, vbi totum occupabit diuinitatis clara contemplatio. Volo igitur eum sic manere, ideſt, vitam contemplatiuam expectare consummationem sanctorum. Et quidquid sit de allegoria hac, equidem nõ est spernendum argumentum, Augustinũ virum summum in diuinarum literarũ eruditione, hanc vulgatam probasse lectionem. *Sic volo eum manere*, vt lectio hæc non sit spernenda. Neque quod illi obijcit Laurentius, est multi faciendum argumentum, videlicet, imperitum fuisse græcanici sermonis, si quidem non tam fuit imperitus, vt nesciret, differentiam inter ἑως ideſt, si, & οὕτως ideſt, sic, quam uis Laurentio donemus, non tam calluisse Augustinũ Græca, quam ipse calluit.

OEcumenius.

¶ Et quid Ambrosius enarrans psalmũ. 118. qui Græcè satis nouerat nonne etiã legit, dicens Dominum ita dilexisse Ioãnem,

nem, vt de eo diceret ad Petrum sic eum volo manere. Itidem enarrans Psal. 45. Neque quia in multis exemplaribus vetustissimis est, si eum volo manere, ideo necessario conficitur indubitatam esse hanc lectionem, quia in alijs exemplaribus quæ habebant Aug. & Ambro. & idem forsan in multis alijs, est sic. Neque enim Erasmus aut quinis alter omnia exemplaria Latina vel Græca lustrauit. Hæc non dixerim, quod mihi omnino probetur lectio hæc vulgata. Nanque
Sessi. 4. c. 2. etsi in Concilio Trident. probetur editio vulgata ad eam tamen rationē probatur, si fuerit correctissima, errata enim eius nō probat concilium. At non videtur esse in hac re erratum ex ratione quę erratum confiteri vrgeat. Nanque quod inducitur ab Erasmo Euangelistā dixisse, *Et non dixit Iesus, quod discipulus ille non moritur*, quod videtur Dominum dixisse, si dixisset, *Sic eum volo manere*, non conuincit. Quippe sensus verborum erat iste, Esto, quod sic voluerim eum manere, quid ad te? Idest non ex hoc soliciteris, tu fac quod tibi est iniunctum reliqua mitte. Est nanque vulgata forma loquēdi, permissiua, non affirmatiua est ex hypothesi enim est sermo. Vnde non conficitur Ioannem non fuisse mortuum, vt quibusdam arrisit, quos supra meminimus. Nāque ratio postulat, Ioannem Baptistam fuisse mortuum, quo nullus maior natus est ex mulieribus naturaliter parientibus, & quod Euangelista nō fuerit mortuus. Ad hæc Petrus magis dilexit Christum quam Ioannes, vt ex superioribus non est obscurum, cur ergo maximè diligentem Deus morti subiecit, & minus diligentem mori non voluit? Quod si dixeris imò mortuus est, at resurrexit: istud sanè qua facilitate dicitur eadem negari poterit: sicut quod vēturus nouissime sit cum Enoch, & Elia, scriptura enim hos solum duos iudiciū præuenturos commemorat Apocal. 11. non Ioannem.

¶ Et nonne etiam videtur gratis dictum terram sepulchri Ioannis ebullire sursum versus, velut acta flatu, iacentis Ioānis deorsum? Et quidem si mortuus non fuisset Ioannes, Ecclesia catholica non celebraret eius natalia: siquidem nullius viuentis in carne mortali festum celebrat, sed solum sanctorum iam defunctorum. Verum est tamen, si surrexisset à morte locus fuisset celebrationi defuncti, qui iam carnem habebat gloriosam. Verumtamen vnde hoc probabitur, priuilegium hoc concessum Ioanni, & negatum Petro, qui diligebat Dominum impensius? & Baptistam eadem dote ornatum, quis credat? *Ioannes Euāgelista vere mortuus est.*

¶ Indicat autem Eusebius libr. 3. histo. cap. 25. Policratem ecclesiæ Ephesinæ Episcopum tradētem in epistola ad Victorem Romanæ Ecclesiæ Episcopum, Ioannem in Asiæ Epheso ciuitate obdormiuisse. Hic accedit, inquit, Ioannes qui supra pectus Domini recubuit, qui que cum esset sacerdos, petalon gestauit, qui denique martyr, & doctor fuit, & Ephesi etiam obdormiuit. Neque officit, quod legimus mausolum Ioannis apparuisse à sepulto Ioanne vacuum. Etenim neque corpus Moysi inuentum est post mortem eius, non tamen eum resurrexisse affirmamus.

¶ Et quidē qui credunt hucvsque Ioannem mortuum non esse, etsi videantur in fauorem Ioannis sermonem hunc texere, fauet tamen illi nihil, nam Ioannē isti orbant ęternæ fœlicitatis participio, quo cæteri fratres eius apostoli, & discipuli Domini, iam pridem fruuntur.

¶ Iam vero, vt ad priora remeet oratio, fateor lectionem conditionatam, si eum volo manere esse planiorem, & quæ nihil ingerat difficultatis lectori, neque expositori. At non quò planior eò certior, neque quò plausibilior, eò verior. Et quidē in missalibus nouissimis, quæ Pius. V. corrigenda mandauit & correcta tradidit omnibus ecclesijs legenda, sic, habetur, non si. Et Cyrillus Græcus inquit, Neque mortis expertem futurū Ioannem, ait, sed, Sic volo manere eum donec venio quid ad te? ideſt, Audisti Petre, quæ ad te pertinēt cur aliena quæris? cur diuinæ iustitiæ secreta rimaris? Nam si etiam vellem minimè istum mori, quid tu vnquam emolumenti, aut cōsolationis consequeris? Vnde non omnes Græci authores legunt, si, siquidem Cyrillus legit, sic, & demum vt dudum commemorabam translationi vulgatæ, sic vertenti, stat ecclesiæ authoritas vt dicebam. Georgius item Trapesuntius lin

guæ

gæ græcè longè peritiſsimus, inquit quod ἐαν græcis ſi iungatur ſubiunctiuo valet, ſi, ſi verò indicatiuo ſignificat Græcis quod Latinis ſic, vt videmus in euangelicis verbis iungi. Ideo cẽſet Germanam eſſe vulgatam tranſlationem. Lege autorem in libro, quem ſcripſit ad Eugeniũ M. Pont. ſuper hũc Ioan. locũ. *Tu me ſequere.* Auguſt. tracta. in Ioan. 124. hunc enarrans locum ait, quod cum dominus dixit Petro, tibi dabo claues regni cælorum, &c. tum vniuerſam ſignificabat eccleſiam: vnde Lutherani fomentũ acceperunt ſui erroris, videlicet, verba illa, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, non eſſe referenda ad perſonam Petri, ſed ad totam eccleſiam in quo ſunt claues & cui datæ ſunt ſub nomine Petri. At verò Petro datæ ſunt claues vt principi Eccleſiæ pro ſe, & ſibi ſucceſſoribus, ad ædificationẽ totius Eccleſiæ, & ad conſummationem ſanctorum, vt in. 4. lib. ſentent. à me eſt latius diſertum.

¶ *Exijt ſermo* Græcè. Exijt iſte ſermo inter fratres, quod diſcipulus ille, non moreretur. Ideſt, euulgatus eſt ſermo iſte, inter apoſtolos, & alios Chriſti diſcipulos, quod Ioannes nõ erat ſubiturus mortem. At vero Chriſtus non hoc dixerat, quod non erat moriturus, ſed quod non erat mortẽ crucis ſubiturus. *Non dixerat ei.* Scilicet, Petro, quod nõ eſſet moriturus Ioannes, ſed ſic volo eum manere. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum arbitror capere poſſe, eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Familiare eſt Ioanni dicere ſe perhibere teſtimonium, de geſtis Chriſti, id quod alijs euangeliſtis vſu non venit. Enim vero Ioannes interfuit omnibus, & ſermonibus, & geſtis Chriſti, quę vniuerſa oculatè reſpexit, ideo vt hoc inſinuaret ait, ſe perhibere teſtimonium: vt ſupra etiam aiebat. Et qui vidit teſtimonium perhibuit. Et quia veraciſsima narrabat, ideo ait, Et ſcimus, quod verũ eſt teſtimonium eius.

¶ Qui enim exploratam habent rei, de qua loquuntur veritatem, hac forma eadem loquuntur, ſcio, hoc eſſe verum. Ioãnes igitur, ſe notans, inquit, Hic eſt diſcipulus ille, ſubaudi, dilectus à Domino, qui tametſi diſcipulus dilectus, non tamen ad adulationem magiſtri ſcripſit hæc, ſed propter veritatem. Etenim qui aſſentandi gratia ſcribunt, ignominioſa prætermittunt, & magnifica proſequuntur: Ioannes autem exquiſitè denarrauit & ignominioſas Chriſti paſsiones & glorioſa eiuſdem trophæa.

¶ Græcè nõ eſt, poſſe, ſed capere libros.

¶ Hoc loco Chryſoſto. Theo. Cyrillus hyperbolen eſſe credunt, quale illud Deu. 9. vrbes muratas pertingentes vſque ad cælum, & Numero. 13. Nos illis comparati quaſi locuſtæ videbamur: & ſæpe aliâs.

¶ Auguſtinus, non poſſe capere mundum retulit, ad excellentiam diuini verbi, quod ab humana mente capi nequit, verum aptior eſt prior intelligẽtia: quia ſi de excellentia agitur diuini verbi non eſt neceſſe multiplicare libros, vt non capiantur, quia minima pagella non capitur ab humana mente. Eſt ergo hic ſenſus. Tot ac tanta dixit Chriſtus, & fecit mirabilia quod ſi eſſent conducenda in libros, eſſet ingens multitudo librorum. Cæterum, non ſunt omnia ſcriptis mandata, ſed ſolum ea, quę Deus cenſuit neceſſaria eſſe hominibus, vt fidem conciperent, & charitatem ſeruarent, & tandem vitam ęternam nobis conciliarent.

Finis enarrationum in Euangelium S. Ioannis.

INDEX ENARRATIONUM huius Secundi voluminis.

ENarratio prima in caput decimum tertium. Super illis verbis. ¶ *Ante diem festum, &c. pagina. 1. a.*

Enarratio. II. in cap. 13.
¶ *Postquam ergo lauit pedes, &c. 16. a.*

Enarratio III. in caput. 13.
¶ *Cum ergo exisset dixit Iesus, &c, 32. a.*

Enarratio. IIII. in caput. 13.
¶ *Mandatum meum do vobis, &c. 33. a.*

Moralia.
¶ *Mandatum nouum do vobis. 37. b*

Enarratio prima in caput. 14.
¶ *Et ait discipulis suis, &c. 47. a.*

Enarratio, II. in caput. 14.
¶ *Amen, amen dico vobis. &c. 61. b.*

Enarratio, III. in caput. 14.
¶ *Si diligitis me. &c. 6. 7. a.*

Enarratio. IIII. in caput. 14.
¶ *Pacem relinquo vobis. &c. 79. a.*

Moralia.
¶ *Ego sum via, &c. 85. a.*

Enarratio prima in caput. 15.
¶ *Ego sum vitis vera, &c. 92. a.*

Enarratio. II. in caput. 15.
¶ *Si manseritis in me, &c. 99. a.*

Moralia.
¶ *Ego sum via, veritas, & vita, &c. 105. b.*

Enarratio prima, in caput. 16.
¶ *Hæc locutus sum vobis, &c. 111. b.*

Moralia.
¶ *Expedit vobis, &c. 125. a.*

Enarratio prima, in caput, 17.
¶ *Hæc locutus est Iesus, &c. 130. b.*

Moralia.
¶ *Hæc est vita æterna, &c. 144. b.*

Enarratio prima, in caput. 18.
¶ *Hæc cum dixisset Iesus, &c. 150. b.*

Enarratio. II. in caput. 18.
¶ *Exiuit ergo Pilatus, &c. 181. a.*

Enarratio prima, in caput. 19.
¶ *Tunc ergo apprehendit, &c. 189. b.*

Enarratio. II. in caput. 19.
¶ *Postea sciens Iesus. 215. a.*

Enarratio. III. in caput. 19.
¶ *Iudæi ergo quoniam, &c. 224. b.*

Moralia.
¶ *Vbi crucifixerunt eum, &c. 234. a.*

Enarratio prima, in caput. 20.
¶ *Vna autem Sabbati, &c. 245. a.*

Enarratio. II. in caput. 20.
¶ *Cum ergo sero esset, &c. 260. b.*

Enarratio prima, in caput. 21.
¶ *Postea manifestauit, &c. 274. a*

Enarratio. II. in caput. 21.
¶ *Cum ergo prandissent, &c. 279. b.*

Enarratio. III. in caput. 21.
¶ *Amen, amen dico tibi, &c. 285. a.*

INDEX COPIOSISSIMUS rerum, & verborum notabilium,

quæ in hoc Secundo volumine continentur, ordine Alphabetico distributus.

A Primam columnam. B. Secundam denotat.

A

ADolescentum via lasciua, pagina. 82. b.
Agnus typicus phase siue transitus. 4. a.
Amicum pro amico mori humanum est: pro inimico non item. 100. b.
Amoris officium amor dicitur. 122. a.
Amor impatiens consistere nequit. 255. b
Anabaptistarum error de capite. 16. Marci. 247. b.
Angelicus fulgor in sepulchro Dñi quid significet. 250. b.
Angeli sedentes, & astantes. 251. a.
Angeli in corporibus assumptis fulgidas demonstrant vestes. 255. a.
Animæ piorum iam nunc gloria fruuntur. 50. b.
Anna auia Christi an semel tantum nupserit. 210. b.
Apostoli Christum esse Dei filium an semper omnes crediderint. 58. b.
Apostoli & alij viri sanctissimi de salute sua ex priuilegio certi. 70. a.
Apostoli vt cognouerunt Spiritum sanctum. 73. b.
Apostoli timore mortis distrahebantur. 97. a.
Apostoli Christi, & Spiritus sancti ministri. 114, a.
Apostoli post resurrectionem Domini capaciores mysteriorum. 123. a
Apostoli ante Ascensionem Christi diuinitatem agnouerunt. 129. b.
Apostoli non repente perfecti. 140. a.
Apostolis post mortem Domini viaticus permittitur. 162. a.
Apostoli ex visu, & tactu fidem conceperunt. 271. a
Appetitus intellectualis corporalibus non expletur bonis, 149. b.
Appetitus intellectualis non omnibus spiritualibus absoluitur. 150. a.
Arrianorum hæresis confunditur. 58. b.
Arrij error vnde. 82. a.
Auditus ad mouendum visu inefficacior. 271. b.

B

BAptismi gratia instãs omne peccatum tollit. 15. a.
Baptismi gratia perseuerans an tollat omne peccatum. ibidem.
Baptismus clauis regni cælestis, sine claui exerceri potest. 266. a.
Baptismi, & Eucharistiæ operatio maior quàm pœnitentiæ. 266. b.
Beatitudinis essentialis gradus. 48. a.
Beatorum mansiones æternæ. 49. a
Beati vt efficiantur Deo similes. 147. a
Beatitudo an sit in mente, vel in actione. 147. b
Bellum an repugnet euangelio. 161. a
Bona minora pro salute maiorum erogãda. 43. a.
Bona corporalia duplicia. 64. a

C

CAro ex semine, & sine semine eiusdem naturæ. 154. b.
Caluariæ locus cur dictus sit. 203. b.
Cedron Hebræis quid. 152. a
Ceremoniæ Ecclesiæ non sunt superuacuæ. 131. b.
Charitas pellit peccatum. 14. a
Charitatem solum Christus discedens commendauit. 33. a.
Charitas Christiana in amicos, & inimicos se tendit. 34. a.

Charitatis præclara munia. 39. a.
Charitas perfecta apud Ioan. 39. b.
Charitas Deum & homines conciliat. 80. a
Christi humilitas stupenda. 9. a.
Christi lauantis pedes intentum. 10. a
Christi venditio à Deo permissa. 15. b.
Christus ex sensibilibus ad spiritualia nos ducit. 17. b.
Christi anima secundum portionem superiorem nunquam turbata. 23. a.
Christi in pauperes cura. 31. a.
Christi ante, & post mortem clarificatio. 32. a.
Christus cæli gloriã effectiuè parauit. 49. b
Christus in cælis fidelium memor. 50. b.
Christus spiritualis via. 51. b.
Christus via regia, cælestis, & perfecta. 52. a 53. a. b. 90. b.
Christus imago patris. 58. a.
Christi diuinitas Apostolis initio dubitabilis. 58. b.
Christus quatenus verbum, vt patrem repræsentet. 60. b.
Christus à patre esse sapere, & posse accepit. 60. b.
Christus in operatione miraculorum Apostolos excesit. 62. a.
Christus, quæ fecit vult fieri. 63. b.
Christi nomine quæ petenda. 64. b.
Christi diuinitatis testimonium. ibidem.
Christus aduocatus, & consolator. 67. b.
Christus in forma humana iudicabit. 75. b
Christi mandatum paterna voluntas. 83. b
Christus aquilæ, & serpenti confertur. 86. a. b.
Christus mortalitatis vetustatem accepit. 87. a.
Christus viantes non deserit. 90. b.
Christus Comes, & protector viantium. 91. a.
Christus vera vitis, & caput fideliũ. 93. b.
Christi caro bifariam expenditur, 94. a. b.
Christus agricola. 97. a.
Christus vt à patre diligitur. 99. b.
Christus semper mediator. 108. b. 123. b.
Christus vbique palmites habet. 109. b.
Christi in docendo methodus. 112. a.
Christi caro cur contra spiritum pugnabat. 126. b.
Christus, vt ante, & post resurrectionem Apostolos docuit. 127. a.
Christi Ascensio quare expediens. 130. a.
Christi orantis ceremoniæ. 131. a.
Chisti mors à patre clarificata. 132. a.
Christi, vt homo, potestas. 133. a. b.
Christus autor gloriæ. 134. a
Christus thesauri infiniti collector. ibidem
Christus cur pro quibusdã rogat, pro alijs non rogat. 137. b.
Christus cur ad patrem, non ad Spiritũ sanctum orauerit. 139. b.
Christi anima ab instanti suę conceptionis omnia nouit. 144. a
Christus vt discipulos dãnificauerit ibidẽ.
Christi diuinitatis visio merces sanctorum 144. a.
Christi dolores antidotus, affectus inculpati. 156. a. b.
Christus mendaciter accusatus. 181. b.
Christi sudor sanguineus. 187. b.
Christi tristitia quatuor ex causis maxima. 188. b.
Christus an bis flagellatus. 190. b.
Christo ludibria illata in domo Pilati. 194. a
Christus, vt maledictionem suscepisse dicitur. 201. a
Christi passio an sit deploranda. 203. b.
Christi vestimentorum numerus ignoratur. 208. b.
Christus non habuit vestes superfluas. ibidem.
Christi morientis miracula. 217. a. b.
Christus cur dicatur inebriatus amaritudine, & absynthio à Iudæis. 218. a.
Christi morte, an fuerit diuinitas separata. 219. a
Christi mortem qualiter tenebræ sint secutæ. 222. a. 224. a.
Christi lateris sanguis, & aqua quid insinuent sacramenti. 226. a
Christi latere sanguis & aqua distincta fluxerunt. 228. a
Christi cruor quomodo astra lauat. 229. a.
Christi diuinitas caput, caro pedes. 229. b.
Christus ab iniustis crucifigitur à iustis & nobilibus sepelitur. 232. a. b.
Christus cur atrocissimam elegit mortem. 241. a.
Christus prodeunte aurora surrexit. 249. b
Christus angelico ministerio sua mysteria dispensat. 251. a.
Christus cur depositò sudario & lintheaminibus surrexit. 253. b.
Christus, an in forma hortulani apparuerit. 256. b.
Christus cur seruet cicatrices. 264. a
Christus Euangelij Apostolus primus. 265. b.

Christus vbi in quadragenario ante Ascen sionem fuerit.273.a
Confessionis vocalis præceptum.268.a.
Confessio vocalis à iure diuino profecta. 268.b. 269.b.
Confessionis vocalis modus iuris positiui. 269.b.
Cognitionis diuinę quatuor genera.144.b
Cognitio Dei naturalis non est vita æterna. 147.a.
Cognoscere in scriptura, quid denotat. 134.b.
Cœna Dñi duas habuit partes. 4.a.
Comestio vera non indiget cibi concoctio ne. 279.a.
Coronarum victricium differentiæ. 191.b.
Corporis glorioſi,& non glorioſi penetratio, qualis.155.a.
Corpus Domini ante resurrectionem passibile. 155.b.
Corpora beata non nutriuntur. 279.a.
Correctio non sit superba. 18.b.
Correctio fraterna lauat peccata. ibidem.
Creaturæ viæ ad Deum imperfectæ. 53.b.
Creatura beatificare non potest. ibidem.
Credere bifariam accidit.137.a
Crucifixi eodē die deponebantur. 225.a.
Crucis stultitia corā Deo sapientia.235.b.
Cruce Christi antidotus noster appensus. 236.a.
Crucis mysterio patefacta diuina misericordia.236.b.
Crux Christi instrumentum iustitiæ, benedictio cælestis, signū saluberrimum. 239.a.b.
Crux à Christo omnē capit virtutē. 240.b
Crux sanctorum procreatrix. 240.b.
Crucis diuini effectus. 241.a.
Crucis mors cæteris crudelior. 243.a.
Custodum sepulchri fuga. 252.b.

D

DAmnatorū quæ pœna maxima.150.a
Deus quomodo dicatur scire, & ne scire.22.a.
Deus pater an possit per Christi humanitatem videri magisquā per aliam creatu ram. 59.a.
Dei illapsus in beatos qualis. 77.a.
Dei assistentia per mansionem significatur. 77.b.
Deus verus agricola. 93.b.94.a.
Deus vt nos colit, & nos Deum. 94.a.
Deus à puro homine mittinō potest.126.a.
Deus per medias causas operatur. 131.b.
Dei miraculosa cognitio quibus data. 145.b.
Deus vt beatificet mentes. 146.a.b.
Deus Christi pater & noster.220.b.
Deus ex veneno fecit antidotum.236.b.
Diaboli audacia.5.b.
Diabolum redemptio latuit. 8.a.
Diaboli suggestionis efficacia. 8.b.
Diabolus mundi princeps. 82.b.
Diabolus morte Christi fractus.82.b.
Diabolus animarum prauarum collector. 98.b.
Diabolus ob duas causas iudicatus. 115.a.
Diabolus cruce vincitur. 236.a.
Dicere bifariam contingit. 24.a.
Dilectionis signa in Domino maxima. 5.b.
Diligere in finem quid. 6.a.
Dilectio triplex.33.b.
Dilectio Christi exemplar nostræ.34.a.
Dilectio ipsa est Deus. 37.b.
Dilectio Dei naturalis quæ.37.b.
Dilectio Dei duplex.38.a.39.a.
Dilectionis fraternæ præceptum.39.b.
Dilectio inimicorum euangelica est. 40.a,
Dilectionem inimicorum Christus dulcē fecit. 41.a.
Dilectio inefficax odium interpretatur. 42.b.
Dilectio Christi erga inimicos vera. 42.b.
Dilectio fraterna neminem excipit. 44.a.
Dilectio fraterna Christo Ioanni & Paulo. 44..a
Dilectio Deo ingrata triplex.44.b.
Dilectio propter Deum purissima. 45.a.
Dilectio fraterna nostras excedit vires.45.b
Dilectio proximi præceptum affirmatiuum. 46.a.
Dilectio proximi est bene velle, & bene facere. 46.a.
Dilectionis præceptum non senescit.46.b
Diligentes Deum impetrabunt quæ petunt. 99.a.
Doctrinæ qualitas ab auditoribus petenda. 171.a.
Domus pro potestate.50.a.

E.

ECclesiæ magister perpetuus Spiritus sanctus.117.a
Ecclesiæ hostis Christi est hostis.282.a

Elemẽta quomodo maneãt in miſto. 227.a
Euangelij legatio nulli prophetarum commiſſa. 265.b
Eſcarocitarum hæreſis. 154.b
Euchariſtiæ inſtitutio an præceſſerit pedũ lotionem. 6. b
Euchariſtia quando inſtituta: concordantur Euangeliſtæ. 25. a. b

F.

FAtum cogens arbitrium nullum eſt. 4.a
Fides ſola non ſufficit, contrà hæreticos. 43.b. 67.a. 95.b. 114.a
Fides iure à Chriſto magnificata. 61. a
Fides via ad docenda myſteria. 88. b
Fideles filij adoptiui Dei, amici gratia, ſerui natura. 101. a
Fides notitia ſupernaturalium. 107. a
Fides parentum paruulis proficiebat. 108. a
Fides Chriſti ad iuſtificationẽ ſemper fuit neceſſaria. 108. a
Fides antiqua & moderna vna. 108. a
Fidei cognitio non eſt vita æterna. 147. b
Fidei myſteria integra ſeruanda. 229. b
Filioli in ſcriptura qui dicantur. 32. b

G.

GAudium fidelium in gloria perficitur. 100. a
Gethſemani quid. 152. b
Glorificare & clarificare, vt differant. 132. b
Gratia Dei diuinę viæ initium, medium & finis. 91. b
Gratia Dei in quibus regnet. 244. b
Gratia Dei & iuſtitia crucis Chriſti ſibi cõſentiunt. 244. b
Gratia verè pœnitentibus maxima confertur. 257. b
Grex Chriſti ex ouib⁹ & agnis cõſtat. 283. a

H.

HÆreſis de non imputatione peccatorũ confutatur. 13. b.
Hæreticorum punitione cur Eccleſia turbetur. 23. a
Hæretici ſolam fidem ſufficere aſſerẽtes cõfutantur. 34. b
Hæretici non ſunt Chriſti, nec in Chriſto. 96. a.
Hæretici noui refelluntur. 98. a
Homo Deo cooperante iuſtificatur. 62. b
Hominis deſideriũ eſt ęternò viuere. 149. a
Hortus lapſus, & reparationis locus. 255. a
Humilitas commendatur. 12. a

I.

IGnorantia culpata & inculpata. 103. a. 112. b
Incarnationis myſterium difficile. 88. a
Incarnationis myſterium, dilectionis pignus. 88. b
Indifferẽtia ex p̃cepto fiũt neceſſaria. 11. b
Infantes non baptizatos beari hæreticum eſt aſſerere. 48. b
Infantes non baptizati nulla beatitudine donabuntur. 48. b
Infantes piorum remedio contra originale ſemper ſunt potiti. 107. b
Infideles omnes extra viam ſunt. 51. b
Infideles inexcuſabiles. 114. b
Infidelitas negatiua & priuatiua. 115. a
Inimicis precari malum, an liceat. 41. a
Inimicis ſubuenire tenemur. 41. b
Interrogatio nõ affirmat, aut negat. 24. b
Inſolentia humani ingenij. 165. a
Ioannes Euangeliſta cur aliquando breuior. 23. b
Ioannes Euãgeliſta propter Mariam virginem honoratior. 214. a
Ioannes Euangeliſta inter Apoſtolos perſpicacior, petrus feruẽtior, & animoſior. 276. b
Ioannes vbi Euangelium, ſcripſerit. 285. b
Ioannis Euangeliſtæ mors apud autores cõtrouerſa. 287. a
Ioãnes Euãgeliſta verè eſt mortuus. 288. b
Ioſeph ab Arimathæa ſenator Hieroſolymitanus. 230. b
Ioſeph ab Arimathæa cæteris diſcipulis audacior. 231. a
Ioſeph ab Arim. tria circa ſepulturam Dñi fecit inſignia. 231. a
Iudas corpus Dñi in vltionẽ accepit. 7. a
Iudæ traditio, an ſit à Dño reuelata. 24. a
Iudæ, an fuerit data Euchariſtia. 28. a. cũ ſe.
Iudæ infauſtus exitus. 183. a. b
Iudæorum ignorantia prauæ diſpoſitionis. 102. b. 103. a
Iudæorum perfidia. 165. a
Iudæi, an poterant ius dicere in cauſa ſanguinis. 182. b
Iudæi, an diebus feſtiuis interficiebant nocentes. 183. a
Iudęi grauiùs peccarunt, quã Pilatus. 197. b
Iudæi maledictionem, quã petiuerunt, patiuntur. 202. b
Iudæorum durities. 217. a. 259. b
Iudæorum de tenebris ſub paſsione Domini opinio. 223. b

Iudæi, Christum infamare maximè tentarunt. 245.a
Iudiciũ finale misericordiæ, & iustitię. 240
Iusti mundi quomodo dicantur. 14.a.b
Iusti ante Christũ, Christi palmites. 106.a
Iustificatio Deo cooperante fit, contra Lutherum. 62.b
Iustificatio nõ est miraculum. 63.a
Iustificatio ordinẽ naturæ restaurat. ibid.
Iustiniani imperatoris error. 154.a

L.

LAbores huius vitę purgatiui sunt. 110.a
Lauare pedes, fideliũ commune præceptum est. 18.a
Laudare quãdo liceat, & quãdo nõ. 16.b
Laudare quomodo se sancti soleant. 17.a
Liberum arbitrium citra Dei charitatẽ operatur inutiliter. 96.b
Libertas arbitrij defenditur. 139.b
Lucescere in Euangelio quid. 249.a
Lutherus refellitur. 262.b
Lutheri in summũ pontificẽ væsania. 282.a
Lutherana ecclesia synagoga Satanę. 282.b

M.

MAgdalena bis vnxit Dñm. 233.a
Magdalenæ in Christum amor singularis. 256.a
Magdalena vt Dñm cognouit. 257.a
Magdalenæ bis apparuit Dñs. 257.b
Mali indulgentia deteriores fiunt. 28.a
Malo vt resistendum. 163.a
Mala nõ sunt faciẽda, vt veniãt bona. 194.b
Mansio, & locus mansionis quid. 49.b.
Mariæ virginis sub passione Dñi dolor, fortitudo & inuiolata fides. 211.b. cum seq. & 258.a
Maria mater ex Christo gloriosa. 214.a
Maria Cleophæ, Ioseph, Iacobi. idẽ. 233.b
Merita, vię & dispositiões ad prędmia. 49.b
Meritorum ratio ex Euãgelio. 96.a
Mereri in gloria, aut purgatorio, an quis possit. 109.b
(gunt. 61.b
Miracula ad credendum disponunt non co
Miracula Christi plura, & maiora cæteris omnibus. 103.a
Mysteria fidei integra seruanda. 229.b
Mysticus sensus Apostolis aliquando vsurpatus. 229.b
Mulierum in Christum amor. 234.a
Mulieres discipulæ Dñi feruentiores viris. 252.a
Mundus transitus recte dicitur. 4.b
Mundus rationalibus, & irrationalibus, bonis & malis constat. 21.b.

N.

NAzarenus duo significat. 207.a
Necessitatis extremæ articulus quis sit. 43.a
Negationis geminatio Græcis & Latinis cõtraria operatur. 83.a
Negationũ Petri loca distingũtur. 169.b
Negationes Petri prælatorũ documentum. 174.b
Nicodemus nepos & discipulus Gamalielis. 232.b
Noë vitis plantator primus. 109.a
Nouatianorum error. 177.a

O.

OBsonium quid. 276.a
Odium Dei imperat omnia peccata. 103.b
Odibilis an sit Deus à creatura rationali. 103.b
Odium, vel amor sine notitia intuitiua haberi possunt. 104.a
Ostreæ vestes quæ. 193.b
Opera heroica fidelium non sunt signũ certum filiationis Dei. 70.b

P.

PAlęstinorum conuiuarum mos. 7.b
Palmitũ extra vitem incommoda. 97.b
Palmites in hac vita purgantur. 110.a
Papa pastor Dominici gregis. 283.b
Papa perfectam habet pascendi fideles potestatem. 284.a
Pascha quid significet. 4.a
Patris & filij mutua inexistentia. 59.b
Pater & filius, an distinguantur in processione Spiritus sancti. 105.a
Pauli locus, vt vbi abũdauit delictum, &c. Rom. 5. exponitur. 241.b
Pax proles dilectionis. 78.b
Pax munda quæ. 80.b
Pax filios Dei nos facit. 81.a
Peccatores publici à cõmuniõe arcẽdi. 29.b
Peccatũ vnũ, alterius peccati est causa. 30.a
Peccatum serpentinum quiddam. 87.a
Peccatorum motus qualis. 158.a.b
Peccare ex odio grauius, q̃ ex timore. 197.b
Peccatũ per primum hominem iustificatio per Christum. 237.b
Peccati propagatio & iustificationis qualis. 237.b
Peccatum Adami maximũ superabundanti Christi gratia expiatum. 242.a
Peccati regnũ ante Christi mortem quale. 244.a
Peccata remittere & retinere quomodo possint

posſint peccatores.267.a.b
Peccatorum remiſsio, aliter per baptiſmũ, aliter per pœnitentiam fit.269.b
Pedum lotio apud veteres patres.12.b
Perſeuerantia in bono diuinæ gratiæ,& no ſtri ſtudij eſt. 92. a
Perſeuerantia Dei donum.97.a
Petri humilitas & amor.10. b
Petri amor feruidus.24.b
Petrus ex amore inſolens. 35.b
Petri negatio,an ſit excuſabilis.36.a.b
Petri lapſus omnibus vtilis. 37.b
Petrus arrogantia lapſus. 213.b
Petrus inter Apoſtolos feruẽtior, & animoſior. 276. b
Petri ſingularis in Chriſtum amoris ſymbola. 280.a
Pilatus cur rex Iudææ dictus.186.b
Pilati cor duriſsimum. 194.
Pilatus contra conſcientiam ſuã egit. 195.b
Piſcationũ Petri myſtica expoſitio.275.a
Pœnitentia omnem maculã tollere poteſt. 15.a
Pontificium Iudæorum ſub Romanis venale. 166. a
PręceptaDei quomodo implere debemus. 19. a
Præcepta Dei grauia eius adiutorio leuia fiunt. 41.b
Prædeſtinati quaten⁹ perire poſſunt.139.b
Prædicator niſi Chriſtus reſpiciat, nil proficiet. 176. a
Prætor vnde dictus. 178.a
Prima Sabbati dies Dominicus.248.b
Prophetæ non ſemper prophetabant.78.a.
Publici peccatores excõmunicantur.95.a
Purgatorij animæ pœnam damni ſecundũ quid habent.150.b
Purpura & coccineum quid. 192. b

R.

RAmathaim Sophim patria Samuelis, & Ioſeph ab Arimathæa.230.b
Redemptionis ſacramẽtum Iudæis ſcandalum Gentibus ridiculum.234.b
Reptilium animalium inceſſus. 85.a
Reſurrectionis veritas nulla ex parte læſa. 232.a
Reſurrectio Chriſti fidei firmamẽtũ. 245.b
Reſurrectionis miraculum Iudæorum confundit perfidiam. ibidem.
Rete Euangelicum ex omni genere piſciũ capit. 276. a
Rhomphæa cuſtodiens paradiſum quid ſignificat. 237.a
Romanorum in crucifigendo mos.286.a

S.

SAbbatum dies ſeptimus per antonomaſiam dicitur. 248.b
Sabellianorum hæreſis confunditur. 58.b
Sacramenta nouæ legis vires ad bene operandum præſtant. 41.b
Sacramenta Eccleſiæ ligamina. 110.b
Sanctis in articulo mortis beatitudo certificatur.73.a
Sanctificare variè ſumitur. 141. a
Sanguis cadaueris, an ſit propriè ſanguis. 226. a
Sãguis & aqua de Chriſti latere quomodo fluxerint. 228.a
Satisfactio Chriſto probatur.96.b
Schiſmata Eccleſiæ ruina. 142. b
Similitudo non eſt quoad omnia. 140.b
Synecdoche figura quid.11.b
Sol totus naturaliter eclipſari nequit. 223.a
Somni pincernæ Pharaonis de vite ſignificatio.105.b
Spiritus Sanctus cur conſolator.68.a
Spiritus ſanctus alius non aliud. ibid.
Spiritus ſanctus veritatis & veritas.ibid.b
Spiritus ſanct. proceſsio ſecũdum Græcos. ibidem.
Spiritus ſanct. martyrum roborator.71.b
Spiritus ſanct.& mundanus contrarij.73.b
Spiritus S. Doctor & cõmone factor.78.a
Spiritus ſanct.non eſt mens filij.105.b
Spiritus veritatis perhibuit teſtimoniũ de veritate. 105.b
Spiritum ſanctum mittẽdum trifariam exponit Chriſtus. 113. b
Spiritus ſanct.quę docuit Apoſtolos.116.b
Spiritus ſanct. Apoſtolos fecit prophetas. ibidem.
Spiritus ſanct. Apoſtolos in fide confirmauit. 117. a
Spiritus ſanct.nõ edoctus à Chriſto, vt prophetæ ab Spiritu ſancto. ibid. b
Spiritus ſanct. perpetuus Eccleſiæ magiſter. 117.a
Spirit⁹ ſancti officia in Eccleſia varia.125.b
Spiritus ſancti afflatus prophetas,& Apoſtolos inſtituit. 126.a
Spiritus ſanctus amor patris, æternus & verus conſolator.127.b.128.a
Spiritus ſanct.& mundus contraria.128.b
Spiritus ſanct. cur hominem interiorem cõſoletur.129.a
Spiritus ſanct. illuſtrat mentem & purificat affectum.ibid.

Spi-

Spiritus sanct. nexus patris & filij. 135.a
Sudor sanguineus an sit naturalis. 187.b. & sequent.


T.

TEstes in causis quales. 171.b
Transeuntibus ex hoc mundo tria obseruanda. 5.a
Translatio omnis secūdum similitudinem fit. 18.a
Tribunorum triplex differentia. 165.b
Trinitatis mysterium ex scripturis non ex creaturis discitur, 59.b
Trinitatis personæ quomodo se inuicem repræsentent. 60.a
Trinitas & munere & personis nobis donatur. 77.b

V.

VErbum Dei visibile factum est. 57.b
Verbum diuinum bis esse incarnatum hæresis est affirmare. 219.b
Veritas ab inimicis testata, maximæ est fidei. 259.b
Vestimenta scindere olim lugubre. 173.b
Vestimenta sua Caiphas scindens quid innuit. 174.a
Viantes per viam Dei non lęduntur tentationibus. 91.b
Virginitas ociosa nil meretur. 214.a
Visio media inter visionē fidei & beatam. 56.a
Visio Dei ænigmatica mentem non satiat. 150.a
Visus in scriptura aliquando tactum significat. 271.a
Vitam corporalem ponere pro bono spirituali qui & quando tenentur. 43.b
Vita æterna mansio & mansiones. 48.a
Vita æterna non est in sensibilibus, sed in intelligibilibus bonis. 134.b
Vocatio Dei, nostri meriti non est. 91.b
Voluntas per intellectum finem assequitur. 149.a
Vvicleff, væsania. 110.b

SALMANTICAE,
Excudebat Ioannes Ferdinandus.
M. D. LXXXI.



67
71

580